CICERÓN, Marco Tulio


Orationum Marci Tullii Ciceronis volumen˙III / denuò adhibitis optimae fidei exemplaribus quàm accuratissimè restitutum ; ex castigatione Ioannis Boulierij. -- Lugduni : Apud Bartholomaeum Vincentium, 1570

519 p., 2A-2Z8, 2a-2i8, 2k4 ; 8º

Marca de imp. en port. -- Apostillas marginales

1. Oratoria romana 2. Oratoria erromatarra I. Boulier, Jean, arr. II. Título

R-6547



C. T. C. 13 – Boiss.t

ORATIONVM MARCI TVLLII CICERONIS VOLVMEN III.

Denuò adhibitis optimæ fidei exemplaribus quàm accuratissimè restitutum.

Ex castigatione Ioannis Boulierij.



LVGDVNI,
Apud Bartholomæum Vincentium.

1570
Cum priuilegio Regis.

INDEX ORATIONVM TERTII TOMI.

Pro P. Sestio. Oratio XXXIII.

In Vatinium. Oratio XXXIIII.

Pro M. Cælio. Oratio XXXV.

Pro L. Cornelio Balbo. Oratio XXXVI.

De prouincijs Consularibus. Oratio XXXVII.

In L. Pisonẽ. Oratio XXXVIII. *est autẽ imperfecta.*

Pro T. Annio Milone. Oratio XXXIX.

Pro C. Rabirio Posthumo. Oratio XL.

Pro M. Marcello. Oratio XLI.

Pro Q. Ligario ad Cæsarem. Oratio XLII.

Pro Rege Deiotaro ad Cæsarem. Oratio XLIII.

In M. Antoniũ Philippica prima. Oratio XLIIII.

In M. Antonium Philippica II. *Oratio* XLV.

In M. Antonium Philippica III. *Oratio* XLVI.

In M. Antonium Philippica IIII. *Oratio* XLVII.

In M. Antonium Philippica V. *Oratio* XLVIII.

In M. Antonium Philippica VI. *Oratio* XLIX.

In M. Antonium Pilippica VII. *Oratio* L.

In M. Antonium Philippica VIII. *Oratio* LI.

In M. Antonium Philippica IX. *Oratio* LII.

In M. Antonium Philippica X. *Oratio* LIII.

In M. Antonium Philippica XI. *Oratio* LIIII.

In M. Antonium Philippica XII. *Oratio* LV.

In M. Antonium Philippica XIII. *Oratio* LVI.

In M. Anto. Philippica XIIII. *Oratio* LVII.

C. Crispi Sallustij in Ciceronem Oratio.

M. T. Ciceronis Responsio.

IA

IACOBO SADOLETO ANDREAS NAVGERIVS.

SAEPE ego mecum, Sadolete, tum à natura editas, tum ab hominibus inuentas res, animo reputans, eúndem in omnibus certa quadam ratione seruari ordinem, ac progressum animaduerto. Primò quidem paruo quodam à principio ortum omnes trahunt: tum deinde augescentes eò paulatim per gradus quasi quosdam perueniunt, quod in uniuscuiusque natura perfectissimum est: tum uerò, postquam id adepta fuerint, referri rursum, ac senescere incipiunt. atque ita sensim minui, ut postremò ad interitum etiam dilabantur. Id & in natis è terra stirpibus, & in omni animantum genere intueri licet: quæ ut imbecilla primò in lucem exierunt, hinc uires in dies sumant, mox quæ acquisierint paulatim dependant, ac conficiantur denique necesse est. Neque uerò fieri potuit, ut non eandem hanc conditionem, omnes item artes, omnia opera, omnia inuenta hominum sequerentur: sed & hæc cùm ab ortu adoleuerint, eadem postea uetustate tandem extabescunt. Tulit hanc scilicet legem natura, quæ nulla unquam ui abrogari posset, sed una sine ulla exceptione inferiora hæc omnia necessitate quadam immutabili contineret. Ac ne multis ego exemplis conquirendis longius in re manifesta immorer, quàm necesse est, uel ex ipsa id eloquentia, cuius causa hæc à nobis dicta sunt, cognosci potest. Hæc (ut Græcos omittam, qui-

bus tamen hoc idem euenisse reperietur) cùm primùm Romæ exorta est, per parua quædam incrementa longo tempore paulatim se ad summum euexit, cùm rudis antea, & propè infans esset, primus Catò ei multum addidit, longius Galba, Porcinna, Carbo, Gracchi prouexerunt: Græcorum eam gloriæ Antonius, Crassus, Hortensius æquauerunt. Ita summa demum illi manus ab Cicerone imposita est, ut nihil præterea cuiusquam neque ingenio, neque industria, neque ullo doctrinæ genere addi posset. Ab eo ruere, & ferri in peius cœpit: ac primò quidem, sublata è ciuitate pax, & ea, cum qua simul creuerat, extincta libertas est. Nam cùm bellis cuncta ciuilibus diutius agitata essent, eorum denique is finis fuit, ut oppressa tandem post multas ciuium clades Respublica, in unius potestatem concesserit. Tum uerò cùm omnia ex unius nutu pendêrent, nulla maiorum more iudicia exercerentur, nullæ in Senatu sententiæ, aut eæ certè non liberè dicerentur, nullæ ad populum conciones haberentur, sed omne penitus sublatum eloquentiæ theatrum esset, aliis quibusdam artibus, & his prauis plerunque, ac flagitiosis summa omnia homines consequerentur: simul præclarissimæ artis restingui in dies studium, simul ea euanescere paulatim cœpit. Post uerò cùm illa omnium populorum uictrix, ac totius terrarum orbis imperio diu potita, eò tandem (ut humanarum rerum uices sunt) redacta gens esset, ut nulli non nationi contemptui ac prædæ esset, ac nouæ quotidie, & ea ab omni humanitate alienæ gentes, uel ab extremis etiam orbis finibus, Italiam deuastarent: extincto Latinæ linguæ usu, deleto penè Romano nomine, factum est, ut è tot cladibus uix

umbra

umbra quædam ad nos eloquentiæ peruenerit. Sed & hæc etiam pene è manibus nuper elapsa, penè omnis funditus extincta est. Quam enim post tot incommoda recreari iam aliquantum decuit, eam noua quædam calamitas excepit. Exorta opinio est, & ea per plurimorum iam animos peruaserat, ut nemo satis eruditus, nemo satis ullo doctrinæ genere excultus iudicaretur, qui cognitis, & usitatis uerbis uteretur. Hi demum præclarè locuti, hi omni laude, omni admiratione digni præter cæteros putabantur, qui ita aliquid scripserant, ut uix id percipi ab ullo posset. Imperiti quidam, & nullo usu, nullo ingenio homines, cùm ea plerunque plurimi fieri uulgi iudicio uiderent, quæ ab omnibus ignorarentur, nec sibi aliud ad commendationem hominum patefieri iter animaduerterent: eò se posse per tenebras peruenire arbitrati sunt, quò pauci luce potuissent. Quod cùm primò illis in maxima Latinæ linguæ, atque omnium bonarum artium inscitia rectè cessissent, tum non pauci eos secuti, eò tandem rem adduxerant, ut breui tempore ueterem illam dicendi gloriam hac caligine obrui, atque aboleri penitus necesse esset. Nullas hi non uetustatis latebras perscrutabantur, hinc uerba uel ipsi etiam Romulo, & priscis illis Latinis iam tum obsoleta, & desita proferebant. Quin ut obscuriora ea essent, quæ dicerent, Græca etiam sæpe pleraque, sæpe barbara congerebant: digni qui eo naturæ munere, quo tam malè abutebantur, omnino carerent. Cùm enim ob id nobis sermo datus sit, ut hoc ea quæ animo occultantur, depromi possint: quid fieri alienius potest, quàm ita quenquam loqui, ut nihilo magis intelligatur, quàm si omnino nihil loqueretur?

Nulla unquam res magis omnem euertere eloquentiam potuit. quippe & labefactatæ iam ac propè dirutæ, inciderat: & sublata uerborum elegantia, ipsum etiam illius solum, ac fundamenta eruebantur. Quid, quòd insolentibus & sordidis illis uerbis hæ sententiæ suberant, ut rectè hoc saltem fecisse uideri queant, quòd tam abiectas res, tam sedulò, tantis uerborum tenebris occultarint? Sed bene id profectò cecidit, quòd non melior huic quàm cæteris rebus conditio data est. Cùm latè serperet, ac non paruam iam Italiæ partem occupasset, atque ubique iam se terrarum diffunderet, medio in cursu concidit. Nonnulli his scilicet se uiri doctissimi, ut infestissimis Latini nominis hostibus obiecerunt, quorum ope factum est, ut fœdæ illa barbarie profligata, ab propinquo iam interitu eloquentia uindicata sit. Et initium quidem bene gerendæ rei ab Romanis ortum est: una Roma, quasi tutissima arx quædam fuit, à qua semper hæc labes reiecta sit, quò nullo unquam conatu irruperit. hîc tanquam pro aris, ac focis summa ui certatum est, ut, cùm cætera à maioribus tradita, amissa essent, hæc saltem parentum laus retineretur. Represso igitur fœdissimorum hostium impetu, facilior de illis uictoria facta est. Ac ne omnes à me hi, quorum egregia in hac re opera extitit, commemorentur, tu certè præter cæteros acerrimè illos semper insectatus es: tu afflictam semper eloquentiam protexisti: tu tuis scriptis, quorum nemo non maximè elegantiam admiratur, quæ illius, quæ Latinæ linguæ uox esset, ostendisti. Factum est igitur, ut nemo iam tota Italia sit, qui obscurum id, & incultũ dicendi genus non magnopere contemnat: qui non unum sibi maximè Ciceronem, tum ut quisque Ciceronis simil-

limus

limus est, & sæpissimè perlegendos, & omni studio sequendos putet. Quin & transalpinæ etiam nationes iam se nobis coniunxerunt: nec minus ab his feliciter arma pro Latino nomine sumpta sunt. Ne omnes ex his recenseam, atque ipsi tantùm à me duces nominentur: Budæus & Longolius propinqua è Gallia, è Germania Erasmus, ita rem gerunt, ita longius quotidie Romanæ linguæ fines proferunt: ea, extrema etiam è Britannia, tum à Reginaldo Polo, & nobilissimo iuuene, & qui generis sui nobilitatem hac maximè laude commendari posse existimarit, tum à plurimis item alijs eruditissimis uiris opera nauatur, ut si id desperandum sit, posse aliquando eloquentiam in antiquam illam, ex qua deiecta est, restitui dignitatem, id certè affirmari possit, eam linguam, quæ quondam, tum cùm maximè floruit. Italiæ tantùm finibus, aut paulò certè latioribus continebatur, nunc breui tempore in nullas non totius orbis partes peruenturam. Neque tamen cessandum est: sed si usquam latet, & ubique locorum perquirenda, & omni ratione eijcienda penitus hæc pestis est. Ego quidem, quantum in me uirium est, id omne in hanc rem confero, & cùm maiora non audeam, id saltem enitor, ut Ciceronis scripta, quæ incuria quadam ac uetustate deformata circunferuntur, ex antiquis exemplaribus meo labore suæ dignitati reddantur, & emendatiora in lucem prodeant. Atque alia quidem aliâs, nunc eius orationes damus. Quarum cùm iam duo uolumina, alterum Leoni x. alterum petro Bembo missum sit, tertium hoc Sadolete sub tuo nomine in manus hominum perueniet. Rectè tu mihi Bembo adiungi uisus es: ambo eiusdem Pont. à secretis estis: ambo & literis, & omni morum

elegantia præstantissimi: quin eo etiam inter uos amore deuincti, ut exemplo esse possitis, nullum esse ad confirmandã amicitiam arctius uinculum, quàm morum similitudinem, ac studiorum societatem. Sed & ego tãti te facio, ut egregias tuas uirtutes neque admirari, neque de ijs, quoties aliqua offertur occasio, prædicare unquam desinam. Id adeò cùm mea ipse sponte libens facio, tum eo libentius etiam, quòd nihil arbitror posse à me Bembo gratius accidere. Multæ mihi cum illo, ac magnæ necessitudinis causæ intercedunt: coniunxit patria communis utriusque nostrum parẽs: mea quædam præstãtis ingenij admiratio, & non alienus illius à me animus coniunctiores fecit: auctam in dies beneuolentiam assidua familiaritas confirmauit: plurimis illius in me meritis hæc omnia cumulata sunt. Quã ob rem, ut nihil me aliud ad id impellat, quî possum non summa te beneuolentia prosequi, cuius summa cum amicissimo mihi uiro coniunctione nihil sit illustrius? Cùm uerò animi ad id tui ea etiam accedãt ornamenta, quæ uel ignotos etiam ut amemus cogere consueuerunt, quam tandem meam in te esse uoluntatem decet? eam scilicet, quæ & amicissimo, & omni laude præstantissimo uiro debetur. Accipe igitur paruum hoc mei in te amoris pignus: neque eum tamen ex hoc metiri uelis, sed ex eo potius, quòd profectus à Leone Pont. Max. cui literarum amantissimo omnia literarum monimenta deberi uidentur, & Petro Bembo, cui ego omnia debeo, neminẽ habui, quem tibi præferendum putarim.

*

PRO P. SESTIO.

ORATIO XXXIII.

Inselecta

a Exordiũ tres habet præcipuos locos, vnde benevolentia captatur, scilicet à reo, accusatore, & officio dicentis.

SI QVIS *antea Iud. mirabatur, quid esset, quòd pro tantis opibus Reipubl. tantáq; dignitate imperij nequaquam satis multi ciues forti & magno animo inuenirentur, qui auderent se, & salutem suam in discrimen offerre pro statu ciuitatis, & pro communi libertate: ex hoc tempore miretur potius, si quem bonum & fortem ciuem uiderit, quàm si quem aut timidum, aut sibi potius, quàm Reip. consulẽtem. Nam ut omittatis de uniuscuiusque casu cogitando recordari, uno aspectu intueri potestis eos, qui cum Senatu, cum bonis omnibus, Remp. afflictam excitarint, & latrocinio domestico liberarint, mœstos, sordidatos, reos, de capite, de fama, de ciuitate, de fortunis, de liberis dimicantes: eos autem, qui omnia diuina, & humana uiolarint, uexarint, perturbarint, euerterint, non solùm alacres lætósque uolitare, sed etiam uolũtarios fortissimis atque optimis ciuibus periculum moliri, de se nihil timere. In quo cùm multa sunt indigna, tum nihil minus est ferendũ, quàm quod iam non per latrones suos, non per homines egestate, & scelere perditos, sed per uos nobis, per optimos uiros optimis ciuibus periculum inferre conantur: & quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos ui, manu, copijs delere nõ potuerũt, hos uestra autoritate, uestra religione, uestris sententijs se oppressuros arbitrantur. Ego autem Iud. qua uoce mihi in agendis gratijs, commemorandóque eorum qui de me optimè sunt meriti, beneficio, esse utendum putabam, ea nunc uti cogor in eorum*

periculis depellendis: ijs potissimùm uox hæc seruiat, quorum opera & mihi, & uobis, & Popu. Roma. restituta est. Et quanquam à Q. Hortẽsio clarissimo uiro, atque eloquẽtissimo causa est P. Sestij perorata: nihilq3 ab eo prætermissum est, quod aut pro Rep. conquerendum fuit, aut pro reo disputandũ: tamen aggrediar ad dicendum, ne mea propugnatio ei potissimùm defuisse uideatur, per quẽ est perfectum, ne cæteris ciuibus deesset. Atq3 ego sic statuo Iud. à me in hac causa, atque hoc extremo dicendi loco,[a] *pietatis potius quã defensionis, querelæ quã eloquentiæ, doloris quàm ingenij partes esse susceptas. Itaq3 si aut acrius egero, aut liberius, quam qui ante me dixerunt: peto à uobis, ut tantum orationi meæ cõcedatis, quãtũ & pio dolori, & iustæ iracundiæ concedendũ putetis. neq3 enim officio cõiunctior dolor ullius esse potest, quàm hic meus, susceptus ex hominis de me optimè meriti periculo: neque iracundia magis ulla laudanda, quàm ea, quæ me inflãmat eorũ scelere, qui cũ omnibus salutis meæ defensoribus bellum esse sibi gerendum iudicauerunt.* [b] *Sed quoniã singulis criminibus cæteri responderunt, dicam ego de omni statu P. Sestij, de genere uitæ, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de studio cõseruandæ salutis cõmunis, atq3 otij: contendamq3 (si modò id cõsequi potero) ut in hac confusa, atq3 uniuersa defensione, nihil à me quod ad uestrã quæstionẽ, nihil quod ad reũ, nihil quod ad Rẽp. pertineat, prætermissum esse uideatur. Et quoniam in grauissimis tẽporibus ciuitatis, atq3 in ruinis euersæ atq3 afflictæ Reip. P. Sestij Tribunatus est à fortuna ipsa collocatus: non aggrediar ad illa maxima atq3 amplissima prius, quàm docuero, quibus initijs ac fundamẽtis hæ tãtæ summis in rebus laudes excitatæ*

a Trapezuntius hanc figuram electionem vocat, & inter schemata circunductionis recenset.

b Propositio est totius orationis. Ait Cicero, crimina quæ Sestio fuerant obiecta, iam ab aliis esse refutata: se verò de omni statu P. Sestii, de genere vitæ, de studio cõseruandæ salutis communis esse dicturum. Itaque loci petuntur ex genere demõstratiuo. Laudatur Sestius à parente, à domesticis virtutibus, deinde quòd se præclarè gesserit in Quæstura, in Tribunatu. Finis autẽ huius demõstrationis est iudiciale genus, videlicet vt iniustè videatur accusatus.

citatæ sint.[a] Parẽte P. Sestius natus est Iud. homine (ut pleriq; meministis) & sapiẽte, & sancto & seuero: qui cũ Trib. pleb. primus inter homines nobilissimos tẽporibus optimis factus esset, reliquis honoribus non tam uti noluit, quã dignus uideri. eo autore duxit honestissimi & spectatissimi uiri C. Albini filiã: ex qua hic est puer, & nupta iam filia. duobus his grauissimis antiquitatis uiris sic probatus fuit, ut utriq; eorũ & charus maximè, & iucundus esset. Ademit Albino soceri nomen mors filiæ, sed charitatem illius necessitudinis & benenolentiã non ademit. hodie sic hũc diligit, ut uos facillimè potestis ex hac uel assiduitate eius, uel sollicitudine & molestia iudicare.[b] Duxit uxorem patre uiuo optimi & calamitosissimi uiri filiã L. Scipionis. clara in hoc P. Sestij pietas extitit, & omnibus grata, quòd & Massiliã statum profectus est, ut socerum uidere, consolariq; posset fluctibus Reip. expulsum, in alienis terris iacentẽ, quem in maiorum suorũ uestigijs stare oportebat: & ad eum filiã eius adduxit, ut illo insperato aspectu, cõplexúq; si non omnẽ, at aliquã partẽ mœroris sui deponeret: & maximis officijs & illius ærũnam, quoad uixit, & filiæ solitudinẽ sustẽtauit.[c] Possum multa dicere de liberalitate, de domesticis officijs, de Tribunatu militari, de prouinciali in eo magistratu abstinẽtia: sed mihi ante oculos obuersatur Reip. dignitas, quæ me ad se se rapit, hæc minora relinquere hortatur. Quæstor hic C. Antonij Collegæ mei Iud. fuit sorte, sed societate cõsiliorum meus. Impedior nonnullius officij, ut ego interpretor, religione, quò minus exponã, quã multa ad me detulerit, *quãta antè prouiderit. Atq; ego de Antonio nihil dico, præter unũ: nũquã illũ in illo summo timore ac periculo ciuitatis, neq; cõmunem metũ omniũ, neq; propriam

[a] Præcipua pars orationis est, q in tribunatu Sestius nihil per vim commiserit, sed cum maxima laude in eo versatus sit. Nihilominus autem altius exorditur Cicero, initium à parentibus sumens, vt etiam fundamẽta illius summæ virtutis intelligantur.

[b] Commendatur Sestius à pietate in socerũ suum.

[c] Paralepsis est, quam autor ad Herennium occupationem vocat.

*quãto ant.

propriam nonnullorũ de ipſo ſuſpicionem, aut inficiando tollere, aut diſſimulãdo ſedare uoluiſſe. In quo Collega ſuſtinendo atq; moderando, ſi meã in illum indulgentiam coniunctã cum ſumma cuſtodia Reip. laudare uerè ſolebatis: par propè laus P. Seſtij eſſe debet, qui ſuũ ita Conſulem obſeruauit, ut & illi Quæſtor bonus, & uobis omnibus optimus ciuis uideretur. Idẽ, cùm illa coniuratio ex latebris, atq; ex tenebris erupiſſet, palámq; armata uolitaret, uenit cum exercitu Capuam: quam urbẽ propter plurimas belli opportunitates, ab illa impia & ſcelerata manu attẽtari ſuſpicabamur: & inde M. Aulanũ Trib. militũ Antonij Capuæ præcipitem eiecit, hominẽ perditũ, & nõ obſcurè Piſauri, & in alijs agri Gallici partibus in illa cõiuratione uerſatum. Idẽq; C. Marcellum, cũ is non ſolùm Capuã ueniſſet, uerũ etiã ſe quaſi armorũ ſtudio in maximã familiam cõiecciſſet, exterminandũ ex illa urbe curauit. Qua de cauſa & tũ cõuẽtus ille Capuæ, qui propter ſalutẽ illius urbis Cõſulatu cõſeruatã meo me unũ patronum adoptauit, huic apud me P. Seſtio maximas gratias egit, & hoc tẽpore ijdẽ homines nomine cõmutato coloni, Decurionésq; fortiſſimi atq; optimi uiri, beneficium P. Seſtij teſtimonio declarant, periculũq; decreto ſuo deprecãtur. Recita quæſo P. Seſti quid decreuerint Capuæ Decuriones, ut iã uirilis tua uox poſſit aliquid ſignificare inimicis noſtris, quidnã cũ ſe corroborarit, effectura eſſe uideatur. DECRETVM DECVRIONVM. Nõ recito decretũ officio aliquo expreſſum uicinitatis. aut cliẽtelæ, aut hoſpitij publici, aut ambitionis, aut cõmẽdationis gratia: ſed recito memoriã perfuncti periculi, prædicationẽ ampliſſimi beneficij, uicẽ officij præſentis, teſtimoniũ præteriti tẽporis. Atq; illis tẽporibus

ijsdẽ, cùm iã Capuã metu Sestius liberasset, urbẽ Senatus, atq; omnes boni deprehensis atq; oppressis domesticis hostibus me duce ex periculis maximis extraxissent: ego literis eũ Capua accersiui cum illo exercitu, quẽ tum secum habebat. quibus hic literis lectis ad urbẽ cõfestim incredibili celeritate aduolauit. Atq; ut illius tẽporis atrocitatẽ recordari possitis, audite literas, & uestrã memoriã ad timoris præteriti cogitationem excitate. LITERAE CIC. CONSVLIS. Hoc aduentu P. Sesty, Trib. pleb. nouorũ, qui tum extremis diebus Cõsulatus mei res eas, quas gesserã, uexare cupiebant, reliquiq; coniurationis impetus, & conatus sunt retardati. Ac posteaquã est intellectũ Catone Trib. pleb. fortissimo atq; optimo ciue Rẽp. defendẽte, per seipsum S.P.Q.R. sine militum præsidio tucri facilè maiestatẽ suam, & dignitatẽ eorũ qui salutẽ cõmunem periculo suo defendissent: Sestius, cum illo suo exercitu summa *autoritate est Antoniũ cõsecutus. Hîc ego quid prædicem, quibus hic rebus Cõsulẽ ad rem gerẽdã excitarit? quot stimulos admouerit homini studioso fortassis victoriæ, sed tamẽ nimiũ cõmunem Martẽ belliq; casum metuẽti? lõgum est *ea dicere: sed hoc breue dicam. Si M. Petreij *nõ excellens animus, & amore Reip. præstans in Rep. uirtus, nõ summa autoritas apud milites, non mirificus usus in re militari extitisset, neq; adiutor ei P. Sestius ad excitandũ Antoniũ, cohortãdum, impellendum fuisset datus: illo in bello esset hyemi locus, neq; unquã Catilina cũ è pruina Apẽnini, atq; è niuibus illis emersisset, atq; æstatem integrã nactus, Italiæ *calles, & pastorũ stabula præclara cepisset, sine multo sanguine, ac sine totius Italiæ uastitate miserrima concidisset. Hunc igitur animũ ad Tribunatũ attulit

* celeritate

*omnia

*aliâs sic, nõ excellẽs animo et amore Reip. uirtus

*caulas, & pastorũ stabula prædari cœpisset.

P. Se

P. Sestius, ut Quæsturã Macedoniæ relinquã, & aliquando ad hæc propiora ueniã. quanquã non est omittenda singularis illa integritas prouincialis, cuius ego nuper in Macedonia uidi uestigia non pressa leuiter ad exigui prædicationẽ tẽporis, sed fixa ad memoriã illius prouinciæ sempiternam. [a] Verũ hæc ita prætereamus, ut tamen intuentes, & respectãtes relinquamus. Ad Tribunatũ, quia ipse ad sese iam dudum uocat, & quodammodo absorbet orationẽ meam, cõtento studio, cursúq; ueniamus. De quo quidẽ Tribunatu ita dictum à Q. Hortẽsio, ut eius oratio non defensionẽ modò criminum uideretur continere, sed etiam memoria digna*uti, & Reip. capessendæ autoritatẽ, disciplinãq; præscribere. Sed tamen quoniã Tribunatus quidem totus P. Sestij nihil aliud nisi meũ nomen causámq; sustinuit, necessariò mihi de ijsdem rebus esse arbitror, si non subtilius disputandum, at certè Iud. dolentius deplorandũ. Qua in oratione si asperius in quosdã homines inuehi uellẽ, quis non cõcederet, ut eos, quorũ sceleris furore uiolatus essem, uocis libertate perstringerẽ? Sed ut agã moderatè, & huic potius tempori seruiam, quàm dolori meo: si qui occultè à salute nostra dissentiunt, lateant: si qui fecerunt aliquid aliquando, atq; ijdem nunc tacent & quiescunt, nos quoq; simus obliti: si qui se offerunt insolẽter, & insectãtur, quoad ferri poterunt, perferemus: neq; quenquã offendet oratio mea, nisi qui se ita obtulerit, ut in eum non inuasisse, sed incurrisse uideamur. Sed necesse est, antequã de Tribunatu P. Sestij dicere incipiã, me totum superioris anni Reip. naufragiũ exponere: in quo colligẽdo, ac reficienda salute cõmuni, omnia reperientur P. Sestij dicta, facta, cõsilia, uersata. Fuerat ille annus in Reip. magno

metu,

[a] Iam de Sestii Tribunatu, in cuius laude fere tota consumitur oratio.

* niti

metu, & multorum timore tanquam intentus arcus in me unũ, sicut uulgò ignari rerũ loquebantur, re quidẽ uera in uniuersam Remp. traductione ad plebẽ furibundi hominis, ac perditi, mihi irati, sed multò acrius otij, & cõmunis salutis inimici. Hunc uir clarissimus, mihiq; multis repugnantibus amicissimus Cn. Pompeius omni cautione, fœdere, execratione deuinxerat, nihil in Tribunatu contra me esse facturũ. at ille nefarius, ex omnium scelerũ colluuione natus, parum se fœdus uiolaturum est arbitratus, nisi ipsum cautorẽ alieni periculi suis proprijs periculis terruisset. hãc tetram immanémq; belluam uinctã auspicijs, alligatam more maiorũ, constrictã legum sacratarũ catenis, soluit subitò legum cura Consul, uel, ut ego arbitror, exoratus, uel, ut non nemo putaret, mihi iratus, ignarus quidem certè, & imprudens impendentium tantorũ scelerũ ac malorum, qui Trib. pleb. felix in euertenda Rep. fuit nullis suis neruis. qui enim in eiusmodi uita nerui esse potuerũt hominis fraternis flagitijs, sororis stupris, omni inaudita libidine infamis? Sed fuit profectò quædam illa Reip. fortuna fatalis, ut ille cæcus, atq; amens Trib. pleb. nanciscereturᵃ, quid dicam Consules? hoccine ut ego appellem nomine ᵇ euersores huius imperij, proditores uestræ dignitatis, hostes bonorum omnium? qui ad delendum Senatum, affligendum Equestrẽ ordinem, extinguenda omnia iura, atq; instituta maiorum, se illis fascibus, cæterísq; insignibus summi honoris atq; imperij ornatos esse arbitrabantur. Quorum, per deos immortales, si nondũ scelera uulnerágq; inusta Reip. ultis recordari, ultũ atq; incessum animis intueamini facilius facta eorum occurrẽt mentibus uestris, si ora ipsa oculis proposueritis. ᶜ Alter unguentis affluens,

a ἐπανόρθωσις est, & διορισμός.

b Schema dissolutum, & ὁμοιόπτωτον.

c εἰκὼν, & effictio est. Porrò nõ solùm hic vituperatur à corporis habitu, sed animi quoque vitiis, & peruersa opinione de voluptatibus tanquã summo bono.

affluens, calamistrata coma, despiciens cõscios stuprorum, ac ueteres uexatores ætatulæ suæ, puteali, & fœneratorũ gregibus inflatus, atq; perculsus, olim ne Scylleo illo æris alieni in freto ad columnã adhæresceret, in Tribunatus portũ perfugerat. contẽnebat Equites Romanos, minitabatur Senatui, uenditabat se operis, atq; ab ijs se ereptũ, ne de ambitu causam diceret, prædicabat: ab ijsdémq; se etiam inuito Senatu prouinciã sperare dicebat: eámq; nisi adeptus esset, se incolumẽ nullo modo fore arbitrabatur. Alter, ô dij boni, quã teter incedebat, quã truculẽtus, quã terribili aspectu? unũ aliquẽ te ex barbatis illis, exemplum imperij ueteris, imaginem antiquitatis, columẽ Reip. diceres intueri: incessitus asper nostra hac purpura plebeia ac penè fusca, capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipse tum imaginis formandæ causa Duũuiratum gerebat, Seplasiã sublaturus uideretur. Nam quid ego de supercilio dicam, quod tum hominibus non superciliũ, sed pignus Reip. uidebatur? tãta erat grauitas in oculo, tãta frontis cõtractio, ut illo supercilio Resp. tanquã Atlãte cœlum, niti uideretur. Erat deniq; hic omnium sermo: est tamen Reip. magnũ firmũq; subsidiũ: habeo, quẽ opponam labi illi, atq; cœno: uultu medius fidius collegæ sui libidinẽ, leuitatẽq; frãget: habebit Senat⁹ in hũc annũ, quẽ sequatur: nõ deerit autor, & dux bonis. mihi deniq; homines præcipuè gratulabãtur, q; habiturus essẽ contra Trib. pleb. furiosum, & audacẽ, cũ amicũ, & affinẽ, tum etiã fortẽ, & grauẽ Cõsulẽ. Atq; eorũ alter fefellit neminẽ. q; s enim clauũ tãti imperij tenere & gubernacula Reipu. tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominẽ emersũ subitò ex diuturnis tenebris lustrorum, ac stuprorum, uino, ganeis, leno-

cinijs

cinijs, adulteriisque confectũ, cùm is præter ſpem in altiſſimo gradu alienis opibus poſitus eſſet: qui non modò tempeſtatem intueri impendentem temulentus, ſed ne lucem quidem inſolitam aſpicere poſſet? Alter multos planè in omnes partes fefellit. erat enim hominum opinioni nobilitate ipſa blanda conciliatricula cõmendatus. Omnes boni ſemper nobilitati fauemus, & quia vtile eſt Reip. nobiles homines eſſe dignos maioribus ſuis, & quia valet apud nos clarorũ hominũ & bene de Rep. meritorum memoria etiam mortuorum. quia triſtem ſemper, quia taciturnum, quia ſubhorridũ atque inculturn videbãt, & quòd erat eo nomine, ut ingenerata familiæ frugalitas videretur, fauebant, gaudebant, & ad integritatẽ maiorum ſpe ſua hominẽ vocabãt materni generis obliti. Ego autem (uerè hoc dicã Iud.) tantũ eſſe in homine ſceleris, audaciæ, crudelitatis, quantum ipſe cum Rep. ſenſi, nunquàm putaui: nequã eſſe hominem, & leuẽ, & falſa opinione errore hominũ ab adoleſcentia commendatũ ſciebã. etenim animus eius uultu, flagitia parietibus tegebantur: ſed hæc obſtructio, nec diuturna eſt, nec obducta ita, ut curioſis oculis perſpici non poſſit. Videbamus genus uitæ, deſidiã, inertiam: incluſas eius libidines, qui paulò propius acceſſerant, intuebantur. denique etiã ſermonis anſas dabat, quibus recõditos eius ſenſus tenere poſſemus. Laudabat homo doctus philoſophos neſcio quos: neque eorum tamen nomina poterat dicere: ſed eos tamen laudabat maximè, qui dicuntur præter cæteros eſſe autores & laudatores uoluptatis: cuius, & quo tempore, & quo modo, non quærebat, uerbũ ipſum omnibus modis animi & corporis deuorabat: eoſdemq; præclarè dicere aiebat, Sapientes omnia ſua cauſa facere: Rẽp. capeſſere hominẽ bene ſanũ nõ oportere:

tere: nihil esse præstabilius otiosa uita, & plena, & cõferta uoluptatibus. eos autem, qui dicerẽt dignitati esse seruiendum, Reip. consulendũ, officij rationẽ in omni uita, non cõmodi esse ducendã, subeunda pro patria pericula, uulnera excipienda, mortẽ oppetendã, uaticinari atque insanire dicebat. Ex his assiduis eius quotidianisq; sermonibus, & quòd uidebam quibuscũ hominibus in interiore adium parte uiueret, & quòd ita domus ipsa fumabat, ut multa eius sermonis indicia redoleret: statuebã sic, boni nihil ab illis nugis expectandũ, mali quidẽ certè nihil pertimescendũ. [a] Sed ita est Iud. ut si gladiũ paruo puero, aut si imbecillo seni, aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat: sin ad nudũ uel fortissimi uiri corpus accesserit, possit acie ipsa & ferri uiribus uulnerari: ita cùm hominibus eneruatis, atque exanguibus Cõsulatus tanquã gladius esset datus, qui per se pũgere neminẽ unquã potuissent, hi summi imperii nomine armati Remp. contrucidauerunt: fœdus fecerũt cum Tribuno pl. palàm, ut ab eo prouincias acciperent, quas ipsi uellẽt, exercitum, & pecuniã quantam uellent, ea lege, si ipsi prius Tribuno pleb. afflictã Rempu. tradidissent. id autem fœdus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant. Quare patefacta (neque enim dissimulari tãtum scelus poterat, nec latere) promulgantur uno eodemq; tempore rogationes ab eodẽ Tribuno de mea pernicie, & de prouinciis Consulum nominatim. Hic tum senatus solicitus, uos Equites excitati, Italia cũcta permota, omnes denique omnium generum, atq; ordinum ciues summæ Reipub. à Consulibus, atque à summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur, cùm illi soli essent præter furiosum illum Tribunum, duo Reip. turbines, qui non modò præcipitanti patriæ nõ subuenirent,

[a] Oppolonius illa satis est illustris. Eadem proportione se puer ad gladiũ habet, qua mollis homo ad cõsulatũ.

sed

sed etiã nimiũ tardè concidere mœrerent. Flagitabatur ab his quotidie cum querelis bonorum omnium, tum etiam precibus Senatus, ut meam causam susciperent, agerent aliquid, denigꝫ ad Senatum referrent. hi non modo negando, sed etiam irridendo amplissimũ quenꝫ illius ordinis insequebantur. Hîc subitò cùm incredibilis in Capitolium multitudo ex tota Vrbe, cunctaqꝫ Italia conuenisset, uestem mutandam omnes, meqꝫ etiam omni ratione priuato consilio (quoniam publicis ducibus Respub. careret) defendendum putarunt. Erat eodem tẽpore Senatus in ædẽ Concordiæ, quod ipsum templum representabat memoriã Cõsulatus mei, cùm flens uniuersus ordo Cincinnatum consulem orabat. nam alter ille horridus, & seuerus consulto se domi continebat. qua tum superbia cœnum illud ac labes, amplissimi ordinis preces, & clarissimorũ ciuium lacrymas repudiauit? me ipsum ut contempsit helluo patriæ? nã quid ego patrimonij dicam, quod ille cùm quasi quæstũ faceret, amisit? quum uenisset ad Senatũ, uos, inquam, Equites Rom. & omnes boni ueste mututa, uos, inquam, pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi proiecistis, cùm uestris precibus à latrone illo repudiatis, uir incredibili fide, magnitudine animi, constantia, L. Mummius ad Senatũ de Rep. retulit, Senatusqꝫ frequẽs uestẽ pro mea salute mutandam censuit. O diem illum Iudꝫ funestum Senatui bonisqꝫ omnibus, Reip. luctuosum! mihi ad domesticum mœrorẽ grauem, ad posteritatis memoriam glorioſum. Quid enim quisquã potest ex omni memoria sumere illustrius, quàm pro uno ciue & bonos omnes priuato consensu, & uniuersum Senatũ publico consilio mutasse uestem? Quæ quidẽ tum mutatio non deprecationis causa est facta, sed luctus: quẽ enim depreca-

tur, cùm omnes essent sordidati: cumq; hoc satis esset signi, esse improbũ, qui mutata ueste nõ esset? Hac mutatione uestis facta, tãto in luctu ciuitatis, omitto quid ille Tribunus omnium rerum diuinarum humanarumq; prædo fecerit, qui adesse nobilissimos adolescẽtes, honestissimos Equites Ro. deprecatores salutis meæ iusserit, eosq; operarum suarum gladiis & lapidibus obiecerit: de Consulibus loquor, quorum fide Respub. niti debuit, exanimatus euolat ex Senatu, non minus perturbato animo atq; uultu, quàm si antè annis paucis in creditorum conuentũ incidisset: aduocat cõcionem: habet orationem talẽ Consul, qualem nunquã Catilina uictor habuisset: errare homines, si etiã tum Senatum aliquid in Rep. posse arbitrarentur: Equites uerò Ro. daturos illius diei pœnas, quo me Cõsule cũ gladiis, in cliuo Capitolino fuissent: uenisse tẽpus iis qui in timore fuissent (cãiuratos uidelicet dicebat) ulciscẽdi se. Si dixisset hoc sõlùm, omni supplicio esset dignus: nã oratio ipsa Consulis pernicioſa, potest Rem. labefactare. quid fecerit, uidete: L. Lamia, qui cùm me ipsum pro summa familiaritate, quæ mihi cũ fratre, cum patre eius erat, unicè diligebat, ti: pro Rep. uel morte oppetere cupiebat, in concione relegauit: edixitq; ut ab Vrbe abesset* M. passus, quòd esset ausus pro ciue, pro bene merito ciue, pro amico, pro Rep. deprecari. Quid hoc homine facias? aut quò ciuem importunum, aut quò potius hostem tam sceleratum reserues? qui, ut omittam cætera, quæ sunt ei cum collega immani impuroq; coniuncta atq; communia, hoc unum habet proprium, ut expulerit ex urbe, relegarit, nõ dico Equitem Romanũ, non ornatissimum, atque optimum rerum, non amicissimũ Reip. ciuem, non illo ipso tempore unà cum Senatu, & cũ bonis omnibus casum amici Reiq;

* millia passuũ ducenta.

*Reiq́ publ. lugentẽ: sed ciuem Romanum sine ullo iudicio, aut edicto ex patria Consul eiecerit. Nihil acerbius socij Latini ferre soliti sunt, quàm id, quod perrarò accidit, ex urbe exire à Consulibus iuberi. atq́ illis tũ erat reditus in suas ciuitates, ad suos lares familiares, & in illo cõmuni incõmodo nulla in quenquã propria ignominia nominatim cadebat: hoc uerò quid est? exterminabit ciues Romanos edicto Cõsul à suis dijs penatibus? expellet à patria? deliget quem uolet, dãnabit, atq́ ejiciet nominatim? hic, si unquam uos eos, qui nũc estis in Repub. fore putasset, si denique imaginem iudiciorum, aut simulacrum aliquod futurum in ciuitate reliquum credidisset, unquã ausus esset Senatũ de Repub. tollere, Equitũ Ro. preces aspernari, ciuiũ deniq́ omniũ nouis & inauditis edictis ius, libertatemq́ * euertere. Etsi me attẽtissimis animis summa cũ benignitate auditis Iudices: tamẽ uereor, ne quis fortè uestrũ miretur, quid hæc mea oratio tã lõga, ac tã altè repetita uelit, aut quid ad P. Sestij causam, eorũ qui ante huius Tribunatũ Remp. uexarunt, delicta pertineat. [a] mihi autem hoc propositũ est ostendere, omnia consilia P. Sestij, mentemq́ totius Tribunatus hanc fuisse, ut afflictæ & perditæ Reipub. quãtũ posset, mederetur. Ac si in exponẽdis uulneribus illis, de me ipso plura dicere uidebor, ignoscitote. nã & illam meam cladem uos, & omnes boni maximum esse Reipub. uulnus iudicastis: & P. Sestius est reus non suo, sed meo nomine: qui cùm omnem uim sui Tribunatus in mea salute consumpserit, necesse est meam causam præteriti temporis cum huius præsenti defensione esse coniunctam. Erat igitur in luctu Senatus: squalebat ciuitas publico consilio mutata ueste: nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Ro-*

* peruertere

a Explicatis tẽporibus quasi materia tribunatus consilia Sextii subiiciuntur, quæ non alia erant, nisi vt afflictæ & perditæ Reip. quantum posset mederetur. Horũ expositio valde prolixa est: quoties enim occasio Cic. datur omnino fusissimè prædicare sua facinora solet. Iam verò Sextii causa non poterat seperatim explicari, vt Cicero suam non adiungeret.

mæ ſocietas uectigalium, nullum collegiũ, aut cõcilium, aut omnino aliquod commune conſilium, quod tum non honorificentiſſimè decreuiſſet de mea ſalute: cùm ſubitò edicunt duo Conſules, ut ad ſuum ueſtitum Senatores redirent. Quis unquam Conſul Senatum ipſius decretis parêre prohibuit? quis tyrannus miſeros lugere uetuit? parúmne eſt Piſo, ut omittam Gabinium, quòd tantum homines fefelliſti, ut negligeres authoritatem Senatus? optimi cuiuſque conſilia contemneres? Rempublic. proderes? Conſulare nomen affligeres? etiámne edicere audeas ne mœrerent homines meam, ſuam, Reipu. calamitatem? néue hunc ſuum dolorem ueſte mutata ſignificarẽt? ſiue illa ueſtis mutatio ad luctum ipſorũ, ſiue ad deprecandũ ualebat, quis unquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quenquã, aut ſibi mœrere, aut cæteris ſupplicare? quid? ſua ſponte homines in amicorum periculis ueſtitum mutare non ſolent? pro te ipſo Piſo nemóne mutauit? ne iſti quidem, quos Legatos non modò nullo Senatuſconſulto, ſed etiam repugnante Senatu tute tibi legaſti? Ergo hominis deſperati & proditoris Reipub. caſum lugebunt fortaſſe qui uolent: ciuis florentiſſimi beneuolentia bonorum, & optimè de ſalute patriæ meriti periculum coniunctum cum periculo ciuitatis lugere Senatui non licebit? Iidem Conſules, ſi appellandi ſunt Cõſules, quos nemo eſt, qui non modò ex memoria, ſed etiam ex faſtis euellendos non putet, pacto iam fœdere prouinciarum, producti in circo Flaminio in concionem ab illa furia, ac peſte patriæ maximo cum gemitu ueſtro, illa omnia, quæ tum contra me, contráque Remp. dixerant, uoce ac ſententia ſua cõprobauerunt. Iiſdem Conſulibus ſedentibus, atque inſpectantibus lata lex eſt, ne auſpicia ualerent, ne quis obnuntiaret,

tiaret, ne quis legi intercederet: ut omnibus festis diebus legem ferri liceret: ut lex Aelia, lex Fusia ne ualeret. qua una rogatione, quis est, qui nõ intelligat uniuersam Remp. esse deletam? Iisdẽ C O S S. *inspectãtibus, seruorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio nomine collegiorũ, cùm uicatim homines cõscriberentur, decuriarẽtur, ad uim, ad manus, ad cædẽ, ad direptionem incitarentur. Iisdem* C O S S. *arma in templum Castoris palàm comportabantur, gradus eiusdẽ templi tollebantur, armati homines foru & conciones tenebant, cædes lapidationesq; fiebant: nullus erat Senatus, nihil reliqui magistratus: unus omnem omniũ potestatem armis & latrociniis possidebat, non aliqua ui sua, sed cùm duos Consules à Rep. prouinciarum fœdere retraxisset: insultabat, dominabatur, aliis pollicebatur, terrore ac metu multos, plures etiam spe & promissis tenebat. Quæ cùm essent eiusmodi Iudices, cùm Senatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potius apertos hostes haberet: Equester ordo reus à Consulibus citaretur: Italiæ totius autoritas repudiaretur: alij nominatim relegarentur, alij metu ac periculo terrerentur: arma essent in tẽplis, armati in foro: eaq; non silentio Consulũ dissimularentur, sed & uoce, & sententia comprobarentur: cùm omnes urbem nondum excisam, & euersam, sed iam captam, atq; oppressam uideremus: tamen his tãtis malis, tanto bonorũ studio Iud. restitissemus. Sed me alij metus, atque aliæ curæ, suspicionesq; mouerunt. Exponam enim hodierno die Iud. omnẽ rationem facti & consilij mei: neque huic uestro tãto studio audiendi, neque uerò huic tantæ multitudini, quanta mea memoria nũquam ullo in iudicio fuit, deero. nam si ego in causa tam bona, tanto studio Senatus, cõsensũ tam incredibili bonorum*

omnium,tam parato,tota denig; Italia ad omnẽ cõtentionẽ expedita, cessi Trib.pl.despicatissimi hominis furori, cõtemptissimorũ Consulum leuitatem audaciámque pertimui: nimiũ me timidũ,nullius animi, nullius consilii fuisse cõfiteor.quid enim simile fuit in Qu.Metello? cuius causam etsi omnes boni probabant,tamẽ neque Senatus publicè,neq; ullus ordo propriè,neque suis decretis Italia tota susceperat.ad suã enim magis quãdam ille gloriã,quam ad perspicuã salutem Reipub.spectarat, cùm unus in legẽ per uim latã iurare noluerat: denique uidebatur ea cõditione tam fortis fuisse,ut cùm patriæ charitate cõstantiæ gloriam cõmutaret.erat autem ei res cũ exercitu C.Marij inuicto:habebat inimicum C.Mariũ conseruatorem patriæ,sextum iam illum Consulatũ gerẽtem:res erat cum L.Saturnino iterum Tribuno pleb.uigilante homine,& in causa populari si non moderatè, at certè populariter abstinenterq; uersato.cessit,ne aut uictus à fortibus uiris cum dedecore caderet, aut uictor multis & fortibus ciuibus Remp. orbaret.Meam causam Senatus palàm,Equester ordo acerrimè,cũcta Italia publicè,omnes boni propriè enixéque susceperãt.eas res gesseram, quarũ non unus autor,sed dux omniũ uoluntatis fuissem, quæq; non modò ad singularem meam gloriam,sed ad salutem communem omnium ciuium,& propè gentium pertinerent:ea conditione gesseram, ut meum factum semper omnes præstare tuerique deberent. Erat autem mihi contentio non cum uictore exercitu,sed cum operis conductis, & ad diripiendam urbem concitatis. habebam inimicum nõ C.Mariũ terrorẽ hostium,spem,subsidiumq; patriæ, sed duo importuna prodigia, quos egestas,quos æris alieni magnitudo, quos leuitas, quos improbitas

Trib

Tri.ple. cõstrictos addixerat. Nec mihi res erat cũ Saturnino, qui, quòd à se Quæstore Ostiẽsi per ignominiã ad principem & Senatus & ciuitatis M. Scaurũ rem frumentariam translatam sciebat, dolorẽ suum magna contentione animi persequebatur: sed cum scurrarũ locupletum scorto, cum sororis adultero, cum stuprorũ sacerdote, cum uenefico, cum testamentario, cum sicario, cum latrone. quos homines, si, id quod facilè factu fuit, & quod fieri debuit, quódque à me optimi & fortissimi ciues flagitabant, ui armísq; superassem, non uerebar, ne quis aut uim ui repulsam reprehenderet, aut perditorũ ciuium, uel potius domesticorũ hostium mortẽ mœreret. sed me illa mouerunt. omnibus in concionibus illa furia clamabat, se, quæ faceret contra salutem meam, facere autore Cn. Pompeio clarissimo uiro, mihíq; & nunc, & quoad licuit, amicissimo. M. Crassus, quócũ mihi erant omnes amicitiæ, necessitudines, uir fortissimus, ab eadẽ illa peste infestissimus esse meis fortunis prædicabatur. C. Cæsar, qui à me nullo meo merito alienus esse debebat, inimicissimus esse meæ saluti ab eodem quotidianis concionibus dicebatur. his se tribus authoribus in consiliis capiendis, adiutoribus in re gerẽda esse usurum dicebat. ex quibus unum habere exercitum maximum in Italia: duos, qui priuati tum essent, & præesse, & parare, si uellent, exercitum posse: idque facturos esse dicebat. nec mihi ille iudicium populi, nec legitimam aliquam contẽtionem, nec disceptationem, aut causæ dictionem, sed uim, arma, exercitus, Imperatores, castra denũtiabat. Quid ergo? inimici oratio, uana præsertim, tã improbè in clarissimos uiros cõiecta me mouit? me uerò nõ mouit illius oratio, sed eorum taciturnitas, in quos illa oratio tam improba cõferebatur: qui tum, quanquã ob

aliã causam tacebant, tamẽ hominibus omnia timentibus tacendo loqui, non inficiando confiteri uidebantur. illi autem aliquo tũ timore perterriti, q̃ acta illa, atque omnis res superioris anni labefactari à Prætoribus, infirmari à Senatu atque principibus ciuitatis putabãt, Tribunũ popularem à se alienare nolebant, suáque sibi propiora pericula esse, quàm mea, loquebantur. Sed tamen & Crassus à Consulibus meam causam suscipiendam esse dicebat, & eorũ fidem Pompeius implorabat, neque se priuatum causæ publicè susceptæ defuturũ esse dicebat. quem uirum studiosum mei, cupidissimũ Reip. conseruandæ, domi meæ certi homines ad eam rẽ compositi monuerũt, ut esset cautior: eiúsque uitæ à me insidias apud me domi positas esse dixerunt: atq; hãc ei suspitionem alij literis mittendis, alij nuntiis, alij coràm ipsi excitauerũt, ut ille, cùm à me certè nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, sibi cauendũ putaret. Ipse autẽ Cæsar, quẽ maximè ignari homines ueritatis mihi esse iratũ putabãt, erat ad portas, erat cum imperio, erat in Italiq eius exercitus, inque eo exercitu ipsius Tri.ple. inimici mei fratrem præfecerat. Hæc ego cùm uiderem (neque enim erant occulta) Senatũ, sine quo ciuitas stare non posset, omnino de ciuitate esse sublatum: Consules, qui publici consilii duces esse deberent, perfecisse, ut per ipsos publicũ consilium funditus tolleretur: eos qui plurimum possent, opponi omnibus concionibus falsò, sed formidolosè tamen, autores ad perniciem meam: conciones haberi quotidie cõtra me, uocem pro me, ac pro Rep. neminẽ mittere: intenta signa legionũ existimari ceruicibus ac bonis uestris falsò, sed putari tamẽ: coniuratorum ueteres copias, & effusam illã ac superatã Catilinæ manum importunã nouo duce, &

insperatæ

insperata commutatione rerũ esse renouatam: hæc cùm uiderem, quid agerem Iudices? [a] scio enim tum, non mihi uestrum studiũ, sed meum propè uestro defuisse. contenderem contra Tribu. pleb. priuatus armis? uicissent improbos boni, fortes inertes, interfectus esset is, qui hac una medicina sola potuit à Reip. peste depelli. quid deinde? quid reliquiarum restaret? quid denique? erat dubium, quin ille sanguis Tribunitius, nullo præsertim publico consilio profusus, Consules ultores, & defensores esset habiturus? cùm quidem in concione dixisset, aut mihi semel pereundum, aut bis esse uincendũ. quid erat bis uincere? id profectò, ut cum amentissimo Trib. pleb. cùm decertassem, cum Consulibus, cæteríque eius ultoribus dimicarẽ. Ego uerò si mihi uni pereundũ fuisset, ac non accipienda plaga mihi insanabilis, illi mortifera, quam Reip. imposuissem: semel perire tamen Iud. maluissem, quàm bis uincere. Erat enim illa altera eiusmodi cõtentio, ut neque uicti, neque uictores Remp. tenere possemus. Quid, si in prima cõtẽtione ui Tribunitia uictus in foro cũ multis bonis uiris concidissem? Senatũ consules credo uocassent. quem totum de ciuitate delerant: ad arma uocarent, qui ne uestitu quidem defendi Remp. siuissent: à Tri. ple. post interitum meum dissedissent, qui eandẽ horam meæ pestis & suorum præmiorum esse uoluissent. Vnum enim mihi restabat illud, quod forsitan non nemo uir fortis, & acris animi, magníque dixerit: restitisses, repugnasses, mortem pugnans oppetisses. de quo te, te inquam, patria obtestor, & uos penates patríique dij, me uestrarum sedium tẽplorúmque causa, me propter salutem meorũ ciuium, quæ mihi semper [b] fuit mea charior uita, dimicationem cædémque fugisse. Etenim si mihi in aliqua naue cũ meis amicis nauigãti hoc Iud. accidisset, ut

[a] ἀνάλωσις καὶ ἀντιμεταβολή.

[b] Noema est.

multi

multi ex multis locis prædones classibus eam nauem se oppressuros minitarẽtur, nisi me unum sibi dedidissent: si id uectores negarent, ac mecum simul interire, quàm me tradere hostibus mallent: iecissem me ipse potius in profundum, ut cæteros cõseruarem, quàm illos mei tam cupidos non modò ad certã mortem, sed in magnum uitæ discrimen adducerem. Cùm uerò in hãc Reipub. nauẽ, ereptis Senatui gubernaculis, fluitãtem in alto tempestatibus seditionũ ac discordiarũ, armatæ tot classes, nisi ego unus deditus essem, incursuræ uiderentur: cùm proscriptio, cædes, direptio denuntiarentur: cùm alij me

a Distributio sententiæ.

*suspicione periculi sui non defenderent,[a] alij uetere odio bonorum incitarentur, alii inuiderent, alij obstare sibi me arbitrarentur, alij ulcisci dolorẽ suum aliquem uellent, alij rem ipsam publicam atque hũc bonorũ statum otiúmque odissent, et ob hasce causas tot támque uarias me unum deposcerẽt: depugnarem potius cum summo, non dicam exitio, sed periculo certè uestro, liberorúmque uestrorum, quàm non id quod omnibus impẽdebat, unus pro omnibus suscipere ac subirẽ? [b] Victi essent improbi: at ciues, at ab eo priuato, qui sine armis Remp. etiam Consul conseruarat: sin uicti essent boni, * quid superesset? nõ ad seruos uidetis rem uenturã fuisse? an mihi ipsi, ut quidã putãt, fuit mors æquo animo oppetẽda? quid? tum mortémne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine cùm gerebã, nõ mihi mors, non exilium ob oculos uersabantur? non hæc denique à me tũ, tanquã fata, in ipsa re gerẽda concinebantur? an erat mihi in tanto luctu meorũ, tanta dissũctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerũ, quas mihi aut natura aut fortuna dederat, uita retinenda?*

b Probat Cicero sibi non pugnandum fuisse, cum à Clodianis impeteretur, & in exiliũ abigeretur. aut enim improbi victi essent, aut probi. Si probi, Respeniisset ad seruos: Si improbi, ad ciues, aut ab eo priuato, qui sine armis Rẽp. etiam Consul conseruarat. A maiori ad minus.

* *qui superessent.*

tam eram rudis? tam ignarus rerũ? tam expers cõsilii, aut ingenii? nihil audieram? nihil uideram? nihil ipse legendo, quærẽdoq; cognoueram? nescieb̃ uitæ breuem esse cursum, gloriæ sempiternũ? cùm esset omnibus definita mors, optandum esse, ut uita quæ necessitati deberetur, patriæ potius donata, quàm reseruata naturæ uideretur? nesciebam inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent animos hominum, sensúsq; morte restingui, alij autẽ tum maximè mentes sapientum ac fortium uirorum, cum è corpore excessissent, sentire ac uigere? quorum alterum fugiendum non esse, carere sensu: alterum etiã optandũ, meliore esse sensu. deniq; cùm omnia semper ad dignitatem retulissem, nec sine ea quicquã expetẽdũ esse homini in uita putassem, mortem, quã etiã uirgines Athenis, Regis, opinor, Erechthæi filiæ, pro patria contempsisse dicũtur, ego uir Cõsularis tãtis rebus gestis timerẽ? præsertim cùm eius essem ciuitatis, ex qua Q. Mutius solus in castra Porsenæ uenisset, eúmq; interficere proposita sibi morte conatus esset: ex qua P. Decius primùm pater, post aliquot annos patria uirtute præditus filius, se ac uitam suam instructa acie pro salute Pop. Ro. uictoriáque deuouisset: ex qua innumerabiles alii partim adipiscendæ laudis, partim uitandæ turpitudinis causa mortẽ in uariis bellis æquissimis animis oppetissent: in qua ciuitate ipse meminissem patrem huius M. Crassi fortissimum uirũ, ne uideret uictorem uiuus inimicum, eadem sibi manu uitã exhausisse, qua mortẽ sæpe hostibus obtulisset. Hæc ego, & multa alia cogitans, hoc uidebã, si causam publicam mea mors peremisset, neminẽ unquã fore, qui auderet suscipere contra improbos ciues Reip. salutẽ. itaq; non solùm si ui interissem, sed etiam si morbo extinctus

essem,

eſſem, fore putabam, ut exemplũ Reip. conſeruandæ mecum ſimul interiret. Quis enim unquam me à Senatu populóque Romano tãto bonorum omnium ſtudio nunc reſtituto, omnia adire pericula pro Repub. dubitabit? quòd certè ſi eſſem interfectus, nunquã accidere potuiſſet, ut quiſquam ullã Reipu. partẽ cum ſua minima inuidia auderet attingere. Seruaui igitur Rempu. diſceſſu meo Iudices: eadẽ à nobis, liberiſq; neſtris, naſtitatem, incendia, rapinas, meo dolore luctúq; depuli: & unus Remp. bis ſeruaui, ſemel gloria, iterũ ærumna mea. neq; enim in hoc me hominem eſſe inficiabor unquam, ut me optimo fratre, chariſſimis liberis, fidiſſima coniuge, neſtro conſpectu, patria, hoc honoris gradu ſine dolore ca: iſſe glorier. quod ſi feciſſem, quod à me beneficium haberetis, cùm pro uobis ea, quæ mihi eſſent uilia, reliquiſſem? hoc, meo quidem animo, ſummi in patriam amoris mei ſignum eſſe debet certiſſimum, quòd cùm abeſſe ab ea non poſſem ſine ſummo dolore, hũc me perpeti, quàm illam labefactari ab improbis malui. Memineram Iud. diuinum illum uirũ atq; ex iſdẽ, quibus nos, radicibus natum, ad ſalutẽ imperij huius C. Marium, ſumma ſenectute, cùm propè uim iuſtorũ armorũ profugiſſet, primò ſenile corpus paludibus occultaſſe demerſum: deinde ad infimorum ac tenuiſſimorum hominum Minturnis miſericordiam confugiſſe: inde nauigio perparuo, cũ omneis portus terráſq; fugeret, in oras Africæ deſertiſſimas perueniſſe, atq; ille uitam ſuam, ne inultus eſſet, ad incertiſſimã ſpem, & ad Reip. ſtatum reſeruauit: ego qui (quemadmodũ multi in Senatu me abſente dixerunt) periculo Reip. uiuebã, quíq; ob eam cauſam Conſularibus literis de Senatus ſentẽtia exteris nationibus commẽdabar, nónne ſi meam uitam deſeruiſſem,

Remp.

Remp.prodidiſſem? in quo quidẽ nunc me reſtituto uiuit mecũ ſimul exẽplum fidei publicæ,exemplum Reip. defendẽdæ.quòd ſi immortale retinetur, quis nõ intelligit immortalem hanc ciuitatem futurã? Nam externa bella Regum,gẽtium,nationum,iampridem ita extincta ſunt,ut præclarè cùm iis agamus,quos pacatos eſſe patiamur.denique ex bellica uictoriæ non ferè quenquã eſt inuidia ciuium conſecuta:domeſticis malis,& audacium ciuium conſiliis ſæpe eſt reſiſtendum:eorúmq; periculorum eſt in Rep.retinẽda medicina,quam omnem Iud.perdidiſſetis,ſi meo interitu Senatui populóq; Romano doloris ſui de me declarandi poteſtas eſſet erepta.

** Quare moneo uos adoleſcẽtes, atque hoc meo iure præcipio,qui dignitatem,qui Remp. qui gloriam ſpectatis, ne ſi qua uos aliquando neceſſitas ad Rempu. cõtra improbos ciues defendendam uocabit,ſegniores ſitis,& recordatione mei caſus à conſiliis fortibus refugiatis.Primùm nõ eſt periculum, * ne qui unquam ſint in ciuitate eiuſmodi Conſules, præſertim ſi erit his id, quod debetur,perſolutum.deinde nunquam iam,ut ſpero,quiſquam improbus conſilio & auxilio bonorũ ſe oppugnare Rempubli.dicet,illis tacẽtibus,nec armati exercitus terrorẽ opponet togatis: neque erit iuſta cauſa ad portas ſedenti Imperatori,quare terrorẽ ſuum falsò iactari opponíque patiatur.nunquam enim erit tam oppreſſus Senatus, ut ei ne ſupplicandi quidem ac lugendi ſit poteſtas:tam captus Equeſter ordo,ut Equites Romani à Conſule relegentur. Quæ cùm omnia,atque etiã multò alia maiora,quæ conſultò prætereo,accidiſſent,uidetis me tamen in priſtinam meã dignitatem,breui temporis dolore interiecto,Reipu. uoce eſſe reuocatum. Sed ut reuertar ad illud,quod mihi in hac omni eſt oratione propoſi*

* Hortatur adoleſcentes ad fortitudinẽ ne quis ſemel ipſe Reip. cauſa diſceſſit, illi quoque timere fugiãt imminente periculo, ſed potius, vt decet, ſtrenuè pugnent.

* *ne quis unquã incidat in eiuſmodi conſ.*

proposítum, omnibus malis illo anno scelere Consulum Remp. esse confectam: primùm illo ipso die, qui mihi funestus fuit, omnibus bonis luctuosus, cùm ego me è complexu patriæ, conspectúq; uestro eripuissem, & metu periculi uestri, nõ mei, furori hominis, sceleri, perfidiæ, telis, minisq; cessissem, patriamq;, quæ mihi erat charissima, propter ipsius patriæ charitatem reliquissem, cùm meum illũ casum tam horribilẽ, tam grauẽ, tam repentinum non solùm homines, sed tecta urbis ac templa lugerent, nemo uestrum forum, nemo curiam, nemo lucem aspicere uellet: illo, inquam, ipso die, die dico? imò hora, atq; etiam puncto temporis eodem, mihi Reique publi. pernicies, Gabinio & Pisoni prouincia rogata est. Prò dij immortales custodes & conseruatores huius urbis atque imperij! quænã illa in Rep. monstra, quæ scelera uidistis? ciuis erat expulsus, is, qui Remp. ex Senatus autoritate cum omnibus bonis defenderat, & expulsus nõ alio aliquo, sed eo ipso crimine: erat autem expulsus sine iudicio, ui, lapidibus, ferro, seruitio denicq; concitato: lex erat lata uastato ac relicto foro, & sicariis, seruisq; tradito, & ea lex, quæ ut ne ferretur, Senatus fuerat uestem mutata. Hac tanta perturbatione ciuitatis, ne noctem quidem Consules inter meum discrimẽ & eorum prædã interesse passi sunt: statim me perculso, ad meũ sanguinẽ hauriendũ, & spirante etiam Rep. ad eius spolia detrahẽda aduolauerunt. omitto gratulationes, epulas, partitionẽ ærarij, beneficia, spem, promissa, prædam, lætitiam paucorum in luctu omnium. uexabatur uxor mea: liberi ad necẽ quærebãtur: gener, & Piso gener, à Pisonis Consulis pedibus supplex reiiciebatur: bona diripiebãtur, eáq; ad Cõsules deferebãtur: domus ardebat in Palatio: Consules epulabãtur. Quòd si meis incommodis

modis lætabantur, urbis tamen periculo commouerentur. Sed ut à mea causa iam recedã, reliquas illius anni pestes recordamini. sic enim facillimè perspicietis, quãtam uim omniũ remediorũ à magistratibus proximis Resp. desiderarit. legum multitudinẽ, cùm earum, quæ latæ sunt, tum uerò quæ promulgatæ fuerunt, dicã? nam latæ quidem sunt Consulibus illis tacentibus, imò uerò approbantibus etiam: ut Censoria notatio, & grauissimũ iudiciũ sanctissimi magistratus de Rep. tolleretur: ut Collegia nõ modò illa uetera contra Senatusconsultum restituerẽtur, sed ab uno gladiatore innumerabilia alia noua conscriberentur: ut remissis semissibus & trientibus, quinta propè pars uectigalium tolleretur: ut Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi, si Remp. prodidisset, pactus erat, Syria daretur: ut uni helluoni bis de eadem re deliberandi, & rogata lege potestas fieret prouinciæ commutandæ. Mitto eam legem, quæ omnia iura religionum, auspiciorum, potestatum, omnes leges, quæ sunt de iure & de tempore legum rogandarum, una rogatione delexit: mitto omnem domesticam labem: etiam exteras nationes illius anni furore conquassatas uidebamus. lege Tribunitia Matris Magnæ Pessinuntius ille sacerdos expulsus, & spoliatus sacerdotio est, fanúmque sanctissimarum atque antiquissimarũ religionum uenditum pecunia grãdi Brogitaro impuro homini, atque indigno illa religione: præsertim cùm ea sibi ille non colendi, sed uiolãdi causa appetisset: appellati Reges à populo, qui id nunquàm ne à Senatu quidem postulassent: reducti exules Byzantiũ cõdẽnati tum, cùm indemnati ciues è ciuitate eiiciebantur. Rex Ptolemæus, qui si nondum erat ipse à Senatu socius appellatus, erat tamẽ frater eius Regis, qui cùm esset in eadẽ causa, iã erat à

Senatu honorẽ iſtum conſecutus, erat eodem genere iiſdémque maioribus, eadem uetuſtate ſocietatis, denique erat Rex, ſi nondum ſocius, at non hoſtis: pacatus, quietus, fretus imperio Pop. Roma. regno paterno atq; auito, regali otio perfruebatur. de hoc nihil cogitante, nihil ſuſpicãte, eiſdem operis ſuffragium ferentibus, eſt rogatum, ut ſedens cum purpura, & ſceptro, & illis inſignibus regiis præconi publico ſubiiceretur, & imperãte Popu. Roma. qui etiam bello uictis Regibus regna reddere conſueuit, Rex amicus nulla iniuria cõmemorata, nullis repetitis rebus, cum bonis omnibus publicaretur. Multa acerba, multa turpia, multa turbulẽta habuit ille annus: tamen illi ſceleri, quod in me illorum immanitas edidit, haud ſcio, an rectè hoc proximũ eſſe dicam. Antiochum illum magnum maiores noſtri magna belli contentione terra mariq; ſuperatum, intra mõtem Taurum regnare iuſſerũt: Aſiam, qua illum mulctarunt, Attalo, ut is regnaret in ea, condonauerunt. Cum Armeniorum Rege Tigrane graue bellum perdiuturnúmque geſſimus, cùm ille iniuriis in ſocios noſtros inferendis bello propè nos laceſſiſſet: hic & ipſe per ſe uehemens fuit, & acerrimum hoſtem huius imperij Mithridatẽ pulſum Ponto, opibus ſuis regnóq; defendit, & à Lucullo ſummo uiro atque Imperatore pulſus, animo tamẽ hoſtili cum reliquis copiis ſuis in priſtina mẽte manſit. hunc Cn. Pompeius, cùm in ſuis caſtris ſupplicem abiectúmque vidiſſet, erexit, atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abiecerat, repoſuit, & imperatis certis rebus regnare iuſſit: nec minus & ſibi & huic imperio glorioſum putauit, conſtitutum à ſe Regem, quàm conſtrictũ uideri. Tulit, geſſit, qui & ipſe hoſtis fuit Po. Ro. & acerrimum hoſtem in regnum recepit, qui conflixit, qui ſigna

contulit

cõtulit, qui de imperio penè certauit, regnat hodie, & amicitiæ nomẽ ac societatis, quod armis uiolarat, id precibus est consecutus. Ille Cyprius miser, qui semper socius, semper amicus fuit, de quo nulla unquam suspicio durior aut ad Senatum, aut ad Imperatores nostros allata est, uiuus (ut aiunt) est & uidẽs cum uictu, ac uestitu suo publicatus. En, cur cæteri Reges stabilem esse suã fortunã arbitrentur, cùm hoc illius funesti anni perdito exemplo uideant, per Tribunum aliquem, & sexcentas operas se fortunis spoliari, & regno omni posse nudari? At etiam eo negotio M. Catonis splendorem maculare uoluerunt, ignari quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique uirtus ualeret: quæ in tempestate sæua quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa loco manet tamẽ, atque hæret in patria, splendétq; per se semper, neq; alienis unquam sordibus obsolescit. [a] Non illi ornandum M. Catonẽ, sed relegãdum: nec illi committendum illud negotiũ, sed imponẽdum putauerunt: qui in cõcione palàm dixerint, linguam se euellisse M. Catoni, quæ semper contra extraordinarias potestates libera fuisset. Sentient, ut spero, breui tempore, manere libertatem illam: atq; hoc etiam, si fieri poterit, esse maiorem, quòd cum Consulibus illis M. Cato, etiam cùm iam desperasset aliquid autoritate sua * proficere posse, tamen uoce ipsa ac dolore pugnauit, & post meũ discessum iis Pisonẽ uerbis, flens meũ, & Reip. casum, uexauit, ut illum hominẽ perditissimum, atq; impudentissimum penè iã prouinciæ pœniteret. Cur igitur rogationi paruit? quasi uerò ille non in alias quoq; leges, quas inustè rogatas putaret, iam antè iurarit. non offert se ille istis temeritatibus, ut cùm Reip. nihil prosit, se ciue Remp. priuet. Cõsule me, cùm esset designatus Tribunus

a Huiusmodi ἀντιθέσιν Hermogenes uocat κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν.

* perficere

plebis, obtulit in discrimen uitam suam: dixit eam sententiam, cuius inuidiã capitis periculo sibi præstandam uidebat: dixit uehemẽter: egit acriter: ea quæ sensit, præse tulit: dux, autor, actor rerum illarum fuit: nõ quò periculum suum nõ uideret, sed in tanta Reipu. tempestate nihil sibi, nisi de patriæ periculis cogitãdum putabat. Consecutus est ipsius Tribunatus. quid ego de singulari magnitudine animi eius, ac de incredibili uirtute dicã? meministis illum diem, cùm templo à collega occupato, nobis omnibus de uita eius uiri, & ciuis timentibus, ipse animo fortissimo uenit in templum, & clamorem hominum autoritate, impetum improborum uirtute sedauit. adiit tum periculum, sed adiit ob causam: quæ quanta fuerit, iã mihi dicere non est necesse. At si isti Cypriæ rogationi sceleratissimæ non paruisset, hæreret illa nihilominus in Rep. turpitudo. Regno enim iã publicato, de ipso Catone erat nominatim rogatum. quod ille si repudiasset, dubitatis, quin ei uis esset allata, cùm omnia acta illius anni per illum unũ labefactari uidereẽtur. Atq; etiam hoc uidebat: quoniã illa in Rep. macula regni publicati maneret, quã nemo iã posset eluere, quod ex malis boni possit in Rep. prouenire, id utilius esse per se conseruari, quàm per alios. Atq; ille etiam si alia quapiam ui expelleretur illis temporibus ex hac urbe, facilè pateretur. etenim qui superiore anno Senatu caruisset, quò si tum ueniret, me tamẽ socium suorũ in Rep. consiliorum uidere posset: is æquo animo tum me expulso, & meo nomine cum uniuerso Senatu, tum sententia sua condemnata, in hac urbe esse posset? ille uerò eidem tempori cui, nos, eidem furori, eisdem Consulibus, eisdem minis, insidiis, periculis cessit. luctum nos hausimus maiorẽ, dolorem ille animi non minorem. His de tot, tantísque in-

iurijs

iuriis in ſocios, in Reges, in liberas ciuitates, Conſulum querela eſſe debuit. in eius magiſtratus tutela Reges, atque exteræ nationes ſemper fuerunt. ecquæ uox unquam eſt audita Conſulum? quanquã quis auderet, ſi maximè queri uellet? de Cyprio Rege quererentur, qui me ciuem nullo meo crimine, patriæ nomine laborantem, non modò ſtantem non defenderunt, ſed ne iacentem quidẽ protexerũt? Ceſſeram, ſi alienam à me plebem fuiſſe uultis, quæ non fuit, inuidiæ: ſi commoueri omnia uidebantur, tempori: ſi uis ſuberat, armis: ſi ſocietas, magiſtratuum pactioni: ſi periculum ciuium, Reip. Cur, cùm de capite ciuis (non diſputo, cuiuſmodi ciuis) & de bonis proſcriptio ferretur, cùm & ſacratis legibus, & XII. tabulis ſancitum eſſet, ut neq; priuilegium irrogari liceret, neque de capite, niſi comitiis centuriatis rogari, nulla uox eſt audita Conſulum? cõſtitutúmque illo anno eſt, quantum in illis duabus huius imperij peſtibus fuit, iure poſſe per operas cõcitatas quẽuis ciuem nominatim Tribuni plebis cõſilio ex ciuitate exturbari? Quæ uerò promulgata illo anno fuerũt, quæ promiſſa multis, quæ conſcripta, quæ ſperata, quæ cogitata, quid dicam? qui locus orbis terræ iam non erat alicui deſtinatus? cuius negotij publici cogitari, optari, fingíque procuratio potuit, quæ nõ eſſet attributa atque deſcripta? quod genus imperij, quæ prouincia, quæ ratio aut auferendæ, aut conflandæ pecuniæ non reperiebatur? quæ regio, oráue terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod ſtatueretur? quis autem Rex, qui illo anno non aut emendũ ſibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis prouinciam, quis pecuniam, quis legationem ab Senatu petebat? Damnatis de ui, reſtitutio, Conſulatus petitio ipſi illi populari ſacerdoti comparabatur. Hæc

gemebant boni, sperabãt improbi, agebat Tribunus plebis, Consules adiuuabant. Hic aliquãdo, serius quàm ipse uellet, Cn. Pompeius, inuitissimis iis, qui mentẽ optimi ac fortissimi uiri suis consiliis ac fictis terroribus à defensione meæ salutis auerterant, excitauit illam suam non sopitam, sed suspicione aliqua retardatam cõsuetudinem Reip. bene gerẽdæ. Non est passus ille uir, qui sceleratissimos ciues, qui acerrimos hostes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras atque inauditas, qui prædonum infinitam manum, qui etiam seruitia uirtute uictoriáque domuisset, qui omnibus bellis terra marique compressis, imperium Popu. Ro. orbis terrarum terminis definisset, Remp. euerti scelere paucorum: quam ipse non solùm cõsiliis, sed etiam sanguine suo sæpe* defendisset: accessit ad causam publicam: restitit autoritate sua, reliquis rebus: de præteritis questus est. fieri quædã ad meliorem spem inclinatio uisa est. decreuit Senatus frequens de meo reditu Calen. Iunij dissentiente nullo, referente L. Mummio, cuius in mea causa nunquam fides, uirtúsque contremuit. Intercessit Ligus iste nescio qui, additamentũ inimicorum meorum. res erat & causa nostra eo iam loci, ut erigere oculos & uiuere uideretur. quisquis erat, qui aliquam partem in meo luctu sceleris Clodiani attigisset, quocunque uenerat, quod iudicium cunq; subierat, damnabatur, inueniebatur nemo, qui se suffragium de me tulisse confiteretur. decesserat ex Asia frater meus magno squalore, sed multò etiam maiore mœrore: huic ad urbem uenienti tota obuiã ciuitas cum lacrymis gemitúq; processerat: loquebatur liberius Senatus: concurrebant Equites Romani: Piso ille gener meus, cui fructum pietatis suæ neque ex me, neque a Popu. Ro. ferre licuit, à propinquo suo socerum suum flagitabat:

* seruasset

gitabat: omnia Senatus reiiciebat, nisi de me primũ Cõsules retulissent. Quæ cùm res iam manibus teneretur: & cùm Consules prouinciarum pactione libertatem omnẽ perdidissent, qui, cùm in Senatu priuati, ut de me sententias dicerent, flagitabantur, legem illi se Clodiam timere dicebant: cùm hæc non possent iam diutius sustinere, initur cõsilium de interitu Cn. Pompeij: quo patefacto, ferróq; deprehenso, ille inclusus domi tandiu fuit, quãdiu inimicus meus in Tribunatu. de meo reditu octo Tribuni promulgarunt. ex quo intellectum est mihi absenti creuisse amicos, in ea præsertim fortuna, in qua nõnulli etiam, quos esse putaueram, non erant, sed eos uoluntatem semper eandem, libertatem non eandem semper habuisse. nam ex nouem Tribunis, quos tunc habueram, unus me absente defluxit, qui cognomẽ sibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quò magis nationis eius esse, quàm generis uideretur. Hoc igitur anno magistratibus nouis designatis, cùm omnes boni omnẽ spem melioris status in eorum fidem conuertissent, princeps P. Lentulus autoritate ac sententia sua, Pisone & Gabinio repugnantibus, causam suscepit, Tribunísque plebis octo referentibus, præstantissimam de me sententiam dixit. qui cùm ad gloriam suam, atq; ad amplissimi beneficij gratiam magis pertinere uideret, causam illam integram ad suum Consulatum reseruari tamen rẽ talem per alios citius, quàm per se tardius cõfici malebat. Hoc interim tempore P. Sestius Iudices designatus, iter ad C. Cæsarem pro mea salute suscepit. quid egerit, quantum profecerit, nihil ad causam. equidẽ existimo, si ille (ut arbitror) æquus nobis fuerit, nihil ab hoc profectum: sin iratior, non multum. sed tamen sedulitatem atq; integritatẽ hominis uidetis.[a] Ingredior iam in Sestij Tri

[a] Ex iis quæ sequuntur, facilè totã Sestii causã

licet cognoscere. Nã propriè pertinet ad præsens negotium, vbi consilia & facta Sestii proponuntur, & quòd ab aduersariis iniustè reus de vi agatur.

bunatum, nam hoc primum iter designatus Reip. causa suscepit: pertinere & ad concordiam ciuium putauit, & ad perficiendi facultatem, animum Cæsaris à causa non abhorrere. Abiit ille annus, respirasse homines uidebantur, nondum re, sed spe Reip. recuperandæ. exierunt malis omnibus atq; execrationibus duo Vulturij paludati: quibus utinam ipsis euenissent ea, quæ tũ homines precabantur: neq; nos prouinciam Macedoniã cum exercitu, neq; equitatum in Syria, & cohortes optimas perdidissemus. Ineunt magistratum Tribuni plebis, qui omnes de me promulgaturos confirmarant. ex his princeps emitur ab inimicis meis, is, quem homines in luctu irridentes Gracchũ uocabant: quoniam id etiam fatum ciuitatis fuit, ut illa ex uepreculis extracta nitedula Rẽp. conaretur arrodere * Alter uerò nõ ille Serranus ab aratro, sed ex deserto * Gaui Oleli horreo, calatis gratiis, in Calatinos ac Lælios insitus, subitò nominibus in tabulas relatis, nomen suũ de tabula sustulit. Veniũt Calẽdæ Ianuarij (uos hæc melius scire potestis: equidẽ audita dico) quæ tum frequentia Senatus, quæ expectatio populi, qui concursus Legatorum ex Italia cuncta, quæ uirtus, actio, grauitas P. Lentuli Consulis fuerit? quæ etiam collegæ eius moderatio de me? qui cùm inimicitias sibi mecum ex Reip. dissensione susceptas esse dixisset, eas se Patribus Cõscriptis dixit, & tẽporibus, & Reipu. permissurum. Tum princeps rogatus sentẽtiam L. Cotta, dixit id, quod dignissimum Rep. fuit, nihil de me actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non posse quenquã de ciuitate tolli sine iudicio: de capite non modò ferri, sed ne iudicari quidẽ posse, nisi comitiis Cẽturiatis, uim fuisse illam, flammam quassatæ Reip. perturbatorúmque temporum, iure iudiciisque sublatis:

magna

magna rerũ * perturbatione impendente, declinasse me * permupaululũ, & spe reliquæ tranquillitatis præsentes fluctus, tatione tempestatémque fugisse. quare cùm absens Rempublicam non minus magnis periculis, quàm quodam tempore præsens liberassem, non restitui me solùm, sed etiam ornari à Senatu decere. Disputauit etiã multa prudenter, ita de me illum amentissimum, & profligatissimum hostem pudoris, & pudicitiæ scripsisse quæ scripserat, iis uerbis, rebus, sententiis, ut etiam si iure esset rogatum, tamen uim habere non posset. quare me, qui nulla lege abessem, non restitui lege, sed reuocari Senatus autoritate oportere. hunc nemo erat, quin uerissimè sentire diceret. Sed post eum rogatus Cn. Pompeius, approbata laudatáq; Cottæ sententia, dixit, sese otij mei causa, ut omni populari concitatione defungerer, censere, ut ad Senatus autoritatem, populi quoque Ro. beneficium erga me adiungeretur. Cùm omnes certatim, aliusq; alio grauius, atque ornatius de mea salute dixissent, fieretq; siue ulla uarietate discessio: surrexit, ut sciatis, Attilius hic Gauianus: nec ausus est, cùm esset emptus, intercedere: noctem sibi ad deliberandum postulauit. Clamor Senatus, querelæ, preces, socer ad pedes abiectus. Ille se affirmare postero die moram nullam esse facturum. creditum est: discessum est. Illi interea deliberatori merces longa interposita nocte, duplicata est. Cõsecuti dies pauci omnino Ianuario mense, per quos Senatum haberi liceret: sed tamen actũ nihil, nisi de me. Cùm omni mora, ludificatione, calũnia Senatus autoritas impediretur, uenit tandem consilij de me agendi dies, VIII. Cal. Feb. Princeps rogationis uir mihi amicissimus Qu. Fabricius, templũ aliquantò ante lucẽ occupauit. Quietus eo die Sestius, is qui est de ui reus, actor hic, defensorq;

*cauſæ meæ: nihil progreditur, conſilia expectat inimicorum meorum. quid illi, quorum conſilio P. Seſtius in iudicium uocatur, quo ſe pacto gerunt? cùm forum, comitium, curiam multa de nocte armatis hominibus, ac ſeruis pleriſq; occupauiſſent, impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt nonnullos, uulnerant multos: uenientem in forum uirum optimũ, & conſtantiſſimum M. Ciſpium Tribunum pl. ui depellũt: cædem in foro maximam faciunt: uniuerſiq; diſtrictis gladiis, & cruentis in omnibus fori partibus fratrem meum uirum optimum, fortiſſimum, meique amantiſſimum, oculis quærebant, uoce poſcebant: quorum ille telis libenter in tanto luctu ac deſiderio mei non repugnandi, ſed moriendi cauſa corpus obtuliſſet ſuum, niſi ſuam uitam ad ſpem mei reditus reſeruaſſet. ſubiit tamen uim illam nefariam cõſceleratorum latronum: & cùm ad fratris ſalutem à populo Roma. deprecandam uenifſet, pulſus è roſtris, in comitio iacuit, ſeq; ſeruorum & libertorum corporibus obtexit, uitamq; tum ſuã noctis, & fugæ præſidio, non iuris, iudiciorumq; defendit. Meminiſtis tum Iud. corporibus ciuium Tiberim compleri, cloacas referciri, è foro ſpongiis effundi ſanguinem, ut omnes tantam illam copiam, & tam magnificum apparatum, nõ priuatum aut plebeium, ſed patritium, & Prætorium eſſe arbitrarentur: nihilq; neque ante hoc tempus, neque hoc ipſo turbulentiſſimo die * crimina mini Seſtium. Atqui uis in foro uerſata eſt? certè. quando enim maior? lapidationes perſæpe uidimus: non ita ſæpe, ſed nimium tamen ſæpe gladios: cædem uerò tantam, tantos aceruos corporum extructos, niſi fortè illo Cinnano atque Octauiano die, quis unquam in foro uidit? qua ex concertatione animorum? nam ex pertinacia, aut*

* crimina tionis eſſe in Seſtium

constãtia intercessoris oritur sæpe seditio, culpa atq; improbitate latoris, commodo aliquo imperitis aut largitione proposita: oritur ex concertatione magistratuum: oritur sensim ex clamore primùm? deinde aliqua discessione cõcionis: uix serò, & rarò ad manus peruenitur: nullo uerò uerbo facto, nulla cõcione aduocata, nulla lege, concitatam nocturnã seditionẽ quis audiuit? An uerisimile est, ut ciuis Romanus, aut homo liber quisquam cum gladio in forum descẽderit ante lucẽ, ne de me ferri pateretur, præter eos qui ab illo pestifero ac perdito ciue iampridem Reip. sanguine saginantur? Hîc iam de ipso accusatore quæro, qui P. Sestium queritur cum multitudine in tribunatu, & cum præsidio magno fuisse, num illo die fuerit? certè nõ fuit. Victa igitur est causa Reipu. & uicta, non auspicijs, non intercessione, non suffragijs, sed ui, manu, ferro. nam si obnũtiasset Fabricio, is Trib. ple. qui seruasse de cælo dixerat, accepisset Respub. plagam, sed eam, quã acceptam gemere posset. Si intercessisset collega Fabricio, læsisses Remp. sed Remp. iure læsisses. Gladiatores tu nouitios, pro expectata Aedilitate suppositos, cũ sicarijs è carcere emissis ante lucem in forum immittas? magistratus tẽplo deijcias? cædem maximam facias? forum purges? & cùm omnia ui & armis egeris, accuses eum, qui se præsidio munierit, non ut te oppugnaret, sed ut uitam suam posset defendere? Atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sestius, ut à suis munitus, tuto in foro tum magistratum gereret, Remp. administraret. Itaq; fretus sanctitate Tribunatus, cùm se non modò contra uim, & ferrum, sed etiã contra uerba, atq; intercessionem legibus sacratis esse armatum putaret, uenit in templum Castoris, obnuntiauit Consuli: cum subito manus illa Clodiana in cæde ciuium sæpe iã uictrix,

Strix,exclamat,incitatur,inuadit:inermem atq; imparatum Tribunũ alij gladiis adoriuntur, alij fragmentis ſeptorum, & fuſtibus: à quibus hic multis uulneribus acceptis,ac debilitato corpore, & contrucidato ſe abiecit exanimatus:neq; ulla alia re ab ſe mortem, niſi opinione mortis depulit.quem cùm iacentem,& conciſum plurimis uulneribus extremo ſpiritu exanguem & confectum uiderent, defatigatione magis, & errore, quàm miſericordia,& modo,aliquando cædere deſtiterunt.Et cauſam dicit Seſtius de ui?quid ita? quia uiuit. at id non ſua culpa.plaga una illa extrema defuit:quæ ſi acceſſiſſet,reliquum ſpiritum exhauſiſſet.accuſa Lentidium:non percuſſit locum: maledicito Sabino homini Reatino,cur tam temere exclamarit occiſum. ipſum uerò quid accuſas? num defuit gladiis?num *repudiauit? num ut gladiatoribus imperari ſolet,ferrum nõ recepit? an hæc ipſa uis eſt,non poſſe emori?an illa, quòd Tribunus plebis templum cruentauit? an,quod cùm eſſet ablatus, primumq; reſipuiſſet, non ſe referri iuſſit? ubi eſt crimen,quod reprehẽditis?Hîc quæro Iudices,ſi illo die gens iſta Clodia, quod facere uoluit, effeciſſet,ſi P. Seſtius, qui pro occiſo relictus eſt,occiſus eſſet: fuiſtisne ad arma ituri?fuiſtisne uos ad patrium illum animũ, maiorúmque uirtutẽ excitaturi?fuiſtisne aliquando Rempublicam à funeſto latrone repetituri? an etiam tunc quieſceretis,cunctaremini,timeretis, cùm Rempublicã à facinoroſiſſimis ſicarijs, & à ſeruis eſſe oppreſſam,atque occupatam uideretis? Cuius igitur mortem ulciſceremini, ſi quidem liberi eſſe, & habere Rempublicam cogitaretis: de eius uirtute uiri quid uos loqui,quid ſentire,quid cogitare,quid iudicare oporteat, dubitandum putatis? At uerò ipſi parricidæ, quorũ effrænatus furor

* repugnauit

alitur

alitur impunitate diuturna, adeo uim facinoris sui perhorruerant, ut si paulò longior opinio mortis Sestij fuisset, Gracchum illum suum transferendi in nos criminis causa occidere cogitarint. sensit rusticulus non incautus (neque enim homines nequam tacere potuerunt) suũ sanguinem quæri ad restituendam inuidiam facinoris Clodiani: mulioniam penulam arripuit, cum qua primùm Romã ad comitia uenerat: messoria se corbe contexit: cùm quærerent alij Numerium, alij Quintiũ, gemini nominis errore seruatus est. atque hoc scitis omnes, usque adeò hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit Sestium uiuere: quod nisi esset patefactum paulò citius, quàm uellem, nõ illi quidẽ mortẽ mercenarij sui transferre potuissent inuidiam in quos putabãt, sed acerbissimi sceleris infamiam grato quodã scelere minuissent. Ac si tunc P. Sestius Iudices in tẽplo Castoris animam, quàm uix retinuit, edidisset: non dubito, quin, si modò esset in Republica Senatus, si maiestas populi Romani reuixisset, aliquando statua huic ob Rempublicam interfecto in foro statueretur. Nec uerò illorum quisquam, quos à maioribus nostris morte obita positos in illo loco, atque in rostris collocatos uidetis, esset P. Sestio aut acerbitate mortis, aut in Rempublicã animo præponendus: qui cùm causam ciuis calamitosi, causam amici, causam bene de Repub. meriti, causam Senatus, causam Italiæ, causam Reipublicæ suscepisset: cumq; auspiciis, religionibusq; parens obnuntiaret, quod senserat, luce palàm à nefariis pestibus in deorum, hominumq; conspectu esset occisus, sanctissimo in templo, sanctissima in causa, sanctissimo in magistratu. [a] Eius igitur uitam quisquam spoliandam ornamẽtis esse dicet, cuius mortem ornandam monimento sempiterno putaretis? Homines

[a] A maiori argumentũ: Si in isto tumultu succubuisset Sestius, haud dubiè fuisset æterno monumento virtutis ornãdus. Ergo multo minus cum vix euaserit iustissimè pugnans, erit mulctandus.

*mines, inquit, emisti, coëgisti, parasti. quid uti faceret? Senatum obsideret? ciueis indemnatos expelleret? bona diriperet? & desincenderet? tecta disturbaret? tẽpla deorum immortalium inflãmaret? Tribunos plebis ferrò è rostris expelleret? prouincias, quas uellet, quibus uellet, uenderet? Reges appellaret? rerũ capitalium cõdemnatos in liberas ciuitates per Legatos nostros reduceret? principem ciuitatis ferro obsessum teneret? hæc ut efficere posset, quæ fieri nisi armis oppressa Republica nullo modo poterãt, idcirco credo manũ sibi P. Sestius, & copias comparauit. At nondũ erat maturum: nondum res ipsa ad eiusmodi præsidia uiros bonos compellebat: pulsi nos eramus, non omnino ista manu sola, sed tamen non sine ista: uos taciti *mirabamini. Captum erat forum anno superiore, & de Castoris, tanquam arce aliqua, à fugitiuis occupata: *ferebatis: omnia hominum cùm egestate, tum audacia perditorum, clamore, concursu, ui, manu gerebantur: perferebatis. magistratus templis pellebantur: alij omnino aditu, ac foro prohibebantur: nemo resistebat. gladiatores ex Prætoris comitatu comprehensi, in Senatum introducti, confessi, in uincula coniecti à Milone, missi à Serrano: mentio nulla. forum corporibus ciuium Romanorum constratum cæde nocturna: non modo nulla noua quæstio, sed etiã uetera iudicia sublata. Tribunum plebis plus uiginti uulneribus acceptis iacentẽ, moribundumq; uidistis: alterius Tribuni pleb. diuini hominis (dicam enim quod sentio, & quod mecũ sentiunt omnes) diuini, insigni quadã, inaudita, noua magnitudine animi grauitate, fide præditi, domus est oppugnata ferro, facibus, exercitu Clodiano. [a] Et tu hoc loco laudas Milonẽ, & iure laudas. quẽ enim unquã uirũ tã immortali uirtute præditũ uidimus, qui nullo*

* mœrebamini
* silebatur

[a] Argumentum à pari. Idem fecerunt & Sextius & Milo: sed Milonem aduersarii laudãt: cur igitur Sextiũ accusant? Vnde Cicero dicit: Eademque ratio fuit P. Sextii in necessitate defensionis suæ, præsidióque cõtra vim & manũ comparato.

nullo præmio proposito, præter hoc, quod iam contritum & cõtemptum putatur, iudicium bonorum, omnia pericula, summos labores, grauissimas cõtẽtiones, inimicitias q3 susceptit? qui mihi unus ex omnibus ciuibus uidetur re docuisse, non uerbis, quid oporteret à præstantissimis uiris in Rep. fieri, & quid necesse esset: oportere hominũ audacium, euersorum Reip. sceleri, legibus & iudiciis resistere: si leges non ualerent, iudicia non essent, si Resp. ui consensuq3 audacium armis oppressa teneretur, præsidio & copiis defendi uitam & libertatem necesse esse. [a] hoc sentire, prudentiæ est: facere, fortitudinis: & sentire uerò & facere, perfectæ cumulataq3 uirtutis. Adiit ad Rẽp. Tribunus plebis Milo: de cuius laude plura dicam, non quò aut ipse hæc dici, quàm existimari malit, aut ego hunc laudis fructum præsenti libẽter impertiam, præsertim cùm uerbis consequi non possim: sed quòd existimo, si Milonis causam accusatoris uoce collaudatam probaro, uos in hoc crimine parem Sestij causam existimaturos. Adiit igitur T. Annius ad causam Reip. sic ut ciuem patriæ recuperare uellet Reipub. tum simplex causa, constans ratio plena cõsensionis omnium, plena concordiæ. collegas adiutores habebat. Consulis alterius summum studium, alterius animus penè placatus. de Prætoribus unus alienus, Senatus incredibilis uolũtas, Equitum Ro. animi ad causam excitati, erecta Italia. duo soli erant empti ad impediendũ: qui homines despecti & contempti tantam rem sustinere non potuissent, se causam quam susceperat, nullo labore peracturũ uidebat. agebat autoritate, agebat cõsilio, agebat per summum ordinẽ, agebat exemplo bonorũ & fortium ciuium: quid Rep. quid se dignum esset, quis ipse esset, quid sperare, quid maioribus suis reddere deberet, diligen-

[a] Elegans distributio.

tiss

tissimè cogitabat. Huic grauitati hominis, uidebat ille gladiator se, si moribus ageret, parẽ esse nõ posse: ad ferrũ, ad faces, ad quotidianam cædem, incendia, rapinas se cum exercitu suo cõtulit, domũ oppugnare, itineribus occurrere, ui lacessere, & terrere cœpit. Non mouit hominẽ summa grauitate: summaq; cõstantia: sed quanquã dolor animi, innata libertas, prompta excellens q; uirtus fortissimum uirum hortabantur, ui uim, oblatam præsertim sæpius, ut frangeret, & refutaret: tãta moderatio fuit hominis, tãtum consilium, ut contineret dolorem, neque eadẽ se re ulciscereturqua esset lacessitus: sed illum tot iam in funeribus Reipub. exultantem ac tripudiantem, legum, si posset, laqueis constringeret. descendit ad accusandum: quis unquam tam propriè Reipub. causa? nullis inimicitiis, nullis præmiis, nulla hominũ postulatione, aut etiã opinione id unquã esse facturum. fracti erant animi hominis. hoc enim accusante pristini illius sui iudicij turpitudinem desperabat. Ecce tibi Cõsul. Prætor. Trib. pleb. noua noui generis edicta proponũt. Ne reus adsit, ne citetur, ne quæratur, ne mentionem omnino cuiquam iudicũ, aut iudiciorum facere liceat. Quid ageret uir ad uirtutem, dignitatem, gloriam natus, ui sceleratorum hominum corroborata, legibus iu-

* At & diciisq; sublatis? ceruices Trib. pleb. priuato, præstantis- uinci tur- simus uir profligatissimo homini daret? an causam sus- pe putauit ceptam affligeret? an se domi cõtineret? * & uinci tur- & deterre pe putauit, & deterreri etiã * eripi reiecit: ut, quoniam ri etiã, & sibi in illum legibus uti non liceret, illius uim neque in causam si- suo, neq; in Reip. periculo pertimesceret. Quomodo igi- bi eripi, re tur in hoc genere præsidij cõparati accusas Sestiũ, cum iecit. idem laudes Milonem? an qui sua tecta defendit, qui ab

* aris, focis, ferrũ flammamq; depellit, qui sibi licere ult

tutò

tutò esse in foro, in templo, in curia, qui uitæ præsidium comparat, qui uulneribus, quæ cernit quotidie toto corpore, mouetur, ut aliquo præsidio caput, & ceruices, & iugulum, ac latera tutetur, hũc de ui accusandũ putas? Quis enim uestrũ Iud. ignorat, ita naturã rerum tulisse, ut quodam tẽpore homines, nondũ neq; naturali neque ciuili iure descripto, fusi per agros ac dispersi uagarẽtur, tantumq; haberent, quantum manu ac uiribus per cædem ac uulnera aut eripere, aut retinere potuissent? qui igitur primi uirtute & consilio præstanti extiterunt, ij perspecto genere humanæ docilitatis atque ingenij, dissipatos unum in locũ congregarũt, eosq; ex feritate illa ad iustitiam, atque mansuetudinem traduxerũt. *tum res ad communẽm utilitatẽ continentes, quas publicas appellamus, tum conuenticula hominũ, quæ posteà ciuitates nominatæ sunt, tũ domicilia cõiuncta, quas urbes dicimus, inuento & diuino, & humano iure, mœnibus sepserunt. Atq; inter hãc uitã perpolitam humanitate, & illam immanẽ, nihil tam interest, quàm ius, atq; uis. horum utro uti nolimus, altero est utendum. uim uolumus extingui? ius ualeat necesse est, id est iudicia, quibus omne ius continetur. iudicia displicent, aut nulla sunt? uis dominetur necesse est. Hæc uident omnes, Milo & uidit, & fecit, ut ius experiretur, uim depelleret, altero uti uoluit, ut uirtus audaciã uinceret: altero usus necessariò est, ne uirtus ab audacia uinceretur. Eademq; ratio fuit P. Sestij, si minus in accusando (neque enim per omnes fuit idem necesse fieri) at certè in necessitate defendendæ salutis suæ, præsidioq; contra uim & manum comparando. O dij immortales, quemnam ostenditis exitum nobis? quam spem Reipublicæ datis? quotus quisque inuenietur tanta uirtute uir, qui optimã quanque causam

*tum res cõmunem

Reip. amplectatur, qui bonis uiris deseruiat, qui solidã laudem, ueramq; quærat? cùm sciat illa duo Reip. penè fata Gabinium & Pisonem, alterũ haurire quotidie ex pacatissimis atq; opulentissimis Syriæ gazis innumerabile pondus auri, bellum inferre quiescentibus, ut eorum uetera illibata asq; diuitias in profundissimũ libidinum suarum gurgitem profundat: uillam ædificare in oculis omnium tãtam, tugurium ut iam uideatur esse illa uilla, quam ipse Trib. pleb. pictã olim in concionibus explicabat, quò fortissimum ac summum ciuem in inuidiam homo castus ac non cupidus uocaret: alterum Thracibus ac Dardanis primũ pacem maxima pecunia uendidisse: deinde, ut illi pecuniam cõficere possent, uexandam his Macedoniam & spoliandam tradidisse: eundemq; bona creditorum ciuium Roma. cum debitoribus Græcis diuisisse: cogere pecunias maximas à Dyrrhachinis, spoliare Thessalos, certã Achæis in anno singulos pecuniã imperauisse: neque tamẽ ullo in publico, aut religioso loco, signũ aut tabulã, aut ornamentũ reliquisse? hos sic illudere, quibus omne supplicium, atque omnis iure optimo pœna debetur? reos esse hos duos, quos uidetis? omitto iam Numerium, Serranum, Aelium qui squilias seditionis Clodianæ, sed tamen hi quoq; etiam nũc uolitant, ut uidetis: nec dũ nos de uobis aliquid timebitis, illi unquam de se pertimescent. Nam quid ego de Aedile ipso loquar, qui etiã diem dixit, & accusauit de ui Milonẽ? neque hic tamen ulla unquam iniuria adducetur, ut eum tali uirtute, tantaq; firmitate animi se in Rempublicam fuisse pœniteat: sed qui hæc uident, adolescentes, quonam suas mentes conferent? ille, qui monimenta publica, qui ædes sacras, qui domos inimicorum suorum oppugnauit, excidit, incendit, qui stipatus semper

sicar

ſicariis, ſeptus armatis, munitus indicibus fuit, quorum hodie copia redundat, qui & peregrinā manum facinoroſorum concitauit, & ſeruos ad cædem idoneos emit, & in Tribunatu carcerem totum in forum effudit: uolitat Aedilis, accuſat eum qui aliqua ex parte eius furorem exultantem repreſſit: hic, qui ſe eſt tutatus ſic, ut in priuata re deos penates ſuos, in Republica iura Tribunatus auſpiciaq; defenderet, accuſare eum moderatè, à quo ipſe nefariè accuſatur, per Senatus autoritatem nō eſt ſitus. Nimirum hoc illud eſt, quod de me potiſſimum tu in accuſatione quæſiſti, quæ eſſet noſtra natio optimatium. ſic enim dixiſti. Rem quæris præclaram iuuētuti ad diſcendum, nec mihi difficilem ad perdocendum. de qua pauca Iud. dicā: & ut arbitror, nec ab utilitate eorum, qui audient, nec ab officio noſtro, nec ab ipſa cauſa P. Seſtij abhorrebit oratio mea. [a] Duo genera ſemper in hac ciuitate fuerunt eorū, qui uerſari in Republ. atque in ea ſe excellentius gerere ſtuduerūt: quibus ex generibus alteri ſe populares, alteri optimates & haberi, & eſſe uoluerunt. qui ea, quæ faciebant, quæq; dicebant, multitudini iucūda eſſe uolebāt, populares: qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur. Quis ergo optimus iſte? quis? de numero ſi quæris, innumerabiles: neque enim aliter ſtare poſſemus. ſunt principes conſilij publici: ſunt, qui eorum ſectam ſequuntur: ſunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia: ſunt municipales ruſticique Romani: ſunt negotia gerentes: ſunt etiam libertini optimates. numerus, ut dixi, huius generis latè & uariè diffuſus eſt: ſed genus uniuerſum (ut tollatur error) breui circumſcribi & definiri poteſt. Omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi,

[a] Locus eſt annotandus de differentia popularium & optimatium.

nec furiosi, nec malis domesticis impediti. Esto igitur ut hi sint, quam tu nationẽ appellasti, quiqui integri sunt, & sani, & bene de rebus domesticis cõstituti. horum qui uoluntati, commodis, opinioni in gubernanda Rep. seruiunt, defensores optimatiũ, ipsiq; optimates grauissimi, & clarissimi ciues nominantur, & principes ciuitatis. Quid est igitur propositum his Reip. gubernatoribus, quod intueri, & quò cursum suum dirigere debeant? id quod est præstantissimum, maximeq; optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis, cum dignitate otium. hoc qui uolunt, omnes optimates: qui efficiunt, summi uiri, & cõseruatores ciuitatis putantur: neque enim rerũ gerẽdarum dignitate homines efferri ita cõuenit, ut otio nõ proficiant, neq; ullum amplexari otium, quod abhorreat à dignitate. Huius autẽ otiosæ dignitatis hæc fundamẽta sunt, hæc membra, quæ tuenda principibus, & uel capitis periculo defẽdẽda sunt: religiones, auspicia, potestates magistratuũ, Senatus autoritas, leges, mos maiorũ, iudicia, iurisdictio, fides, prouinciæ, socij, imperij laus, res militaris, ærariũ. Harũ rerum tot, atque tantarũ esse defensorem, & patronum magni animi est, magni ingenij, magnæq; constantiæ. Etenim in tanto ciuium numero magna multitudo est eorum, qui aut propter metum pœnæ peccatorum suorũ conscij, nouos motus conuersionesq; Reipubl. quærant, aut qui propter insitum quẽdam animi furorem, discordiis ciuium ac seditione pascãtur, aut qui propter implicationem rei familiaris cõmuni incẽdio malint, quàm suo, deflagrare. qui cùm autores sunt, & duces suorum studiorũ, uitiorumq; nacti, in Repub. fluctus excitantur: ut uigilandum sit iis, qui sibi gubernacula patriæ depoposcerũt: enitendumq; omni scientia ac diligentia, ut conseruatis his, quæ ego

paulò

paulò antè fundamẽta ac membra esse dixi, tenere cursum possint, & capere otij illum portum, & dignitatis. Hãc uiam Iudices si aut asperam atque arduã, aut plenam esse periculorum, aut insidiarum negem, mentiar: præsertim cùm id non modò intellexerim semper, sed etiã præter cæteros senserim, maioribus præsidiis & copiis oppugnatur Respublica, quàm defenditur, propterea quòd audaces homines, & perditi, nutu impelluntur, & ipsi etiam sponte sua contra Rempublicam incitantur: boni nescio quomodo tardiores sunt, & principiis rerũ neglectis, ad extremũ ipsa denique necessitate excitantur: ita ut nonnunquã cunctatione ac tarditate, dum otium uolunt etiã sine dignitate retinere, ipsi utrunq; amittãt. Propugnatores autẽ Reipublicæ qui esse uoluerunt, si leuiores sunt. desciscunt: si timidiores, desunt: permanẽt illi soli, atque omnia Reip. causa perferunt, qui sunt tales, qualis pater tuus M. Scaure fuit: qui à C. Graccho usq; ad C. Mariũ seditiosis omnibus restitit, quẽ nulla unquã uis, nulla minæ, nulla inuidia labefecit: aut qualis Qu. Metellus patruus matris tuæ: qui cũ florentem hominẽ in populari ratione L. Saturninũ Cẽsor notasset, cumq; insitiuum Gracchum contra uim multitudinis incitatæ censu prohibuisset: cumq; in eam legem, quam non iure rogatã iudicaret, iurare unus noluisset, de ciuitate maluit, quàm de sententia dimoueri: aut, ut uetera exempla, quorum est copia digna huius imperij gloria, relinquam: néue eorum aliquem qui uiuũt, nominem: qualis nuper Qu. Catulus fuit, quem neq; periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu, aut spe, aut metu dimouere. Hæc imitamini per deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriã quæritis: hæc ampla sunt, hæc diuina, hæc immortalia: hæc fama cele

brantur, monimentis annalium mandantur, posteritati propagãtur. Est labor: non nego. pericula magna: fateor. multæ insidiæ sunt bonis, uerissimè dictum est.

Sed te id, quod multi inuideant, multiq; expetant, Insciti a sit, inquit, postulare, si tu laborem summa cum cura efferas nullum.

Idem alio loco dixit, quod exciperent improbi ciues,

Oderint, dum metuant. *præclara enim illa præcepta dederat iuuentuti: sed tamen hæc uia, hæc ratio Reipublicæ capessendæ olim erat magis pertimescenda, cùm multis in rebus multitudinis studium ad Populi commodum ab utilitate Reipublicæ discrepabat. Tabellaria lex ab L. Cassio ferebatur: Populus libertatem agi putabat suam: dissentiebant principes, & in salute optimatium temeritatem multitudinis, & tabellæ licentiam pertimescebant. Agrariam Tib. Gracchus legem ferebat: grata erat Populo: fortunæ constitui tenuiorum uidebantur: nitebantur contrà optimates, quòd ea discordiam excitari uidebant, & cùm locupletes possessionibus diuturnis mouerentur, spoliari Rempublicam propugnatoribus arbitrabantur. Frumentariam legem C. Gracchus ferebat: iucunda res plebi Romanæ: uictus enim suppeditabatur largè sine labore: repugnabant boni, quòd & ab industria plebem ad desidiam auocari putabant, & ærarium exhauriri uidebatur. Multa etiam nostra memoria, quæ consultò prætereo, fuerunt in ea contentione, ut popularis cupiditas à consilio principum dissideret. Nunc iam nihil est, quòd populus à delectis, principibusq; dissentiat: nec flagitat rem ullam, neque nouarum rerum est cupidus, & otio suo, & dignitate optimi cuiusque, & uniuersæ Reipublicæ gloria delectatur. Itaq; homines seditiosi ac turbulẽti, quia nulla*

iam

iam largitione populum Roma. concitare possunt, quod plebs perfuncta grauissimis seditionibus ac discordiis otiam malle uideatur, conductas habent conciones: neque id agunt, ut ea dicant, aut ferant, quæ illi uelint audire, qui in concione sunt: sed pretio ac mercede perficiunt, ut quicquid dicant, id illi uelle audire uideãtur. Num uos existimatis Gracchos, aut Saturninum, aut quenquam illorum ueterum, qui populares habebantur, ullum unquam in concione habuisse conductum? nemo habuit. ipsa enim largitio, & spes commodi propositi, sine mercede ulla multitudinem concitabat. Itaque temporibus illis, qui populares erant, offendebant illi quidem apud graues & honestos homines, sed populi iudiciis, atque omni significatione florebant. his in theatro plaudebatur: hi suffragiis, quod contenderant, consequebãtur: horum homines nomen, orationem, uultum, incessum amabant. Qui autem aduersabantur ei generi, graues & magni homines habebantur: sed ualebant, in Senatu multum, apud bonos uiros plurimum: multitudini iucundi non erant: suffragiis offendebatur sæpe eorum uolũtas: plausum uerò etiam si quis eorum aliquando acceperat, ne quid peccasset, pertimescebat. Attamen si qua res erat maior, idem ille populus, horum autoritate maximè cõmouebatur. Nunc, nisi me fallit, in eo statu ciuitas est, ut si operas conductorum remoueris, omnes idem de Republica sensuri esse uideantur. Etenim tribus locis significari maximè populi Romani iudicium, ac uoluntas potest, concione, comitiis, ludorum gladiatorumq; consessu. Quæ concio fuit per hos annos, quæ quidem esset non conducta, sed uera, in qua pop. Ro. consensus perspici posset? Habitæ sunt multæ de me à gladiatore sceleratissimo, ad quas nemo adibat incorruptus, nemo

integer, nemo illum fœdum uultũ aſpicere, nemo furialem uocem bonus audire poterat. Erant, erant illæ conciones perditorum hominum neceſſariò turbulẽtæ. Habuit de eodem me P. Lentulus Conſul concionem: concurſus eſt populi Romani factus, omnes ordines, tota in illa contione Italia conſtitit: egit cauſam ſumma cum grauitate copiaq; dicẽdi, tanto ſilentio, tãta approbatione omniũ, nihil ut unquã uideretur tã populare ad populi Romani aures accidiſſe. Productus eſt ab eo Cn. Pompeius, qui ſe nõ ſolùm autorem meæ ſalutis, ſed etiã ſupplicẽ populo Romano exhibuit: huius oratio & pergrauis, & grata concioni fuit. ſic contendo, nunquã neque ſententiam eius autoritate, neq; eloquentiã iucunditate fuiſſe maiorẽ. Quo ſilẽtio ſunt auditi de me cæteri principes ciuitatis? quos idcirco non appello hoc loco, ne mea oratio, ſi minus de aliquo dixero, ingrata: ſi ſatis de omnibus, infinita eſſe uideatur. Cedò nunc eiuſdẽ illius inimici mei de me eodẽ ad ueriũ populum in campo Martio concionẽ. quis non modò approbauit, ſed nõ indigniſſimum facinus putauit, illum nõ dicam loqui, ſed uiuere ac ſpirare? quis fuit, qui non eius uoce maculari Rempublicam: ſeq; ſi eum audiret, ſcelere aſtringi arbitraretur? Venio ad comitia ſiue magiſtratuũ placet, ſiue legum. Leges uidemus ſæpe ferri multas. omitto eas quæ ferũtur ita, uix ut quini, & hi ex alia tribu, qui ſuffragium ferant reperiantur. de me, quem tyrannum atque ereptorẽ libertatis eſſe dicebat, in illa ruina Reipublicæ dicit ſe legem tuliſſe. quis eſt, qui ſe, cùm contra me ferebatur, iniſſe ſuffragium confiteatur? cùm autem de me eodem ex Senatuſconſulto comitiis Centuriatis ferebatur, quis eſt qui non profiteatur ſe affuiſſe, & ſuffragium de ſalute mea tuliſſe? Vtra igitur cauſa popularis

debet

debet uideri: in qua omnes honestates ciuitatis, omnes ætates, omnes ordines unà cõsentiunt? ant in qua furiæ cõcitatæ tanquam ad funus Reipub. cõuolant? An, sicubi aderit Gellius, homo & fratre indignus uiro clarissimo, atque optimo Consule, & ordine Equestri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta consecit: id erit popularè? est enim homo iste Popu. Rom. deditus. nihil uidi magis. qui cùm eius adolescentia in amplissimis honoribus summi uiri L. Philippi uitrici florere potuisset, usque eò non fuit popularis, ut bona solus comesset. deinde ex impuro adolescẽte & petulantè, posteaquàm rem paternam ab idiotarum diuitiis ad philosophorum regulam perduxit, Græculum se, atque otiosum putari uoluit: studio literarum se subitò dedidit. Nihil sanè à te iuuabatur. Anagnostæ, libelli etiam pro uino sæpe oppignerabantur: manebat insaturabile abdomen, copiæ deficiebant. Itaque semper uersabatur in spe rerum nouarum: otio & tranquillitate Reipub. consenescebat. Ecquæ seditio unquam fuit, in qua non ille princeps? ecquis seditiosus, cui ille non familiaris? ecquæ turbulenta concio, cuius ille non cõcitator? cui bene dixit unquam bono? bene dixit? imò, quem fortem & bonum ciuem non petulantissimè est insectatus? qui, ut credo, non libidinis causa, sed ut plebicola uideretur, libertinam duxit uxorem, is de me suffragium tulit, is affuit, is interfuit epulis, & gratulationibus parricidarum. in quo: men est * ne ullus cum illo reo inimicus est meus suauiatus. qui * quasi mea culpa bona perdiderit, ita ob eam ipsam causam est mihi inimicus, quia nihil habet. Vtrum ego tibi patrimonium eripui Gelli, an tu comedisti? quid: tu meo periculo gurges, ac uorago patrimonii helluabare: ut, si ego Consul Remp. contra te & gregales tuos defen-

dissem, in ciuitate esse me nolles? te nemo tuorum uidere uult: omnes aditum, sermonẽ, congressum tuum fugiunt: te sororis filius Posthumius adolescens grauis, senili iudicio notauit, cùm in magno numero tutorem liberis non instituit. Sed elatus odio, & meo & Reip. nomine, quorum ille utri sit inimicitior, nescio, plura dixi, quàm dicẽdum fuit, in furiosissimum atque egentissimum ganeonem. Illuc reuertor: contra me cùm sit actum, capta urbe atque oppressa, Gelliũ, Firmidiũ, Titium eiusdem modi furias, illis mercenariis gregibus duces & autores fuisse, cùm ipse lator nihil ab horum turpitudine, audacia, sordibus abhorreret. At cùm de dignitate mea ferebatur, nemo sibi nec ualetudinis excusationẽ, nec senectutis satis iustam putauit: nemo fuit, qui se non Remp. mecum simul reuocare in suas sedes arbitraretur. Videamus nunc comitia magistratuum. Fuit collegium nuper Tribunitium, in quo tres minimè, uehemẽter duo populares existimabantur. ex his qui populares nõ habebantur, quibus in illo genere conductarum concionum consistendi potestas non erat, duos à Po. Ro. Prætores uideo esse factos: & quantum sermonibus uulgi, & suffragiis intelligere potui, præ se Po. Ro, ferebat, sibi illum in Tribunatu Cn. Domitij animum constãtem, & egregium, atque Q. Ancharij fidem ac fortitudinem, etiam si nihil agere potuissent, tamen uoluntate ipsa gratum fuisse. Iã de C. Fannio quæ sit existimatio, uidemus: quod iudicium Po. Ro. in honoribus eius futurum sit, nemini dubium esse debet. Quid, populares illi duo quid egerunt? alter, qui tamen se cõtinuerat, tulerat nihil. senserat tantũ de Rep. aliud, atq; homines expectabãt, uir & bonus, & innocens, & bonis uiris semper probatus, quòd parum uidelicet intellexit in Tribunatu, quid uerò populo

proba

probaretur, & quòd illũ esse Po. Ro. qui in cõcione erat, arbitrabatur, non tenuit eum locum, in quem, nisi popularis esse noluisset, facillimè peruenisset. alter, qui ita se in populari ratione iactarat, ut auspicia, legẽ Aeliam, Senatus autoritatem, Consulem, collegas, bonorum iudiciũ, nihil putaret, Aedilitatẽ petiuit cum bonis uiris, & hominibus primis, sed non præstantissimis opibus, & gratia, tribũ suam non tulit: Palatinam denique, per quam omnes illæ pestes uexare Po. Ro. dicebãtur, perdidit: nec quicquã illis conuitiis, quod boni uiri uellent, nisi repulsam, tulit. Videtis igitur Populum ipsum, ut ita dicam, iam nõ esse populare, qui ita uehementer eos, qui populares habentur, respuat: eos autẽ qui ei generi aduersantur, honore dignissimos iudicet. Veniamus ad ludos. facit enim Iud. uester iste in me animorum, oculorúmq; cõtuitus, ut mihi iam licere putem remissiore uti genere dicendi. Comitiorum & cõcionum significationes interdum ueræ sunt, nonnũquam uitiatæ, atq; corruptæ: theatrales gladiatoriique cõsessus dicuntur omnino solere leuitate nonnullorum emptos plausus & exiles & raros excitare. attamẽ facile est, cùm id fit, quẽadmodum, & à quibus fiat, & quid integra multitudo faciat, uidere. Quid ego nunc dicam, quibus uiris, aut cui generi ciuiũ maximè applaudatur? neminẽ uestrum fallit. sit hoc sanè leue, quod nõ ita est, quoniam optimo cuique impertitur: sed si est leue, homini graui leue est: ei uerò, qui pendet à rebus leuissimis, qui rumore, & (ut ipsi loquuntur) fauore populi tenetur & ducitur, plausum immortalitatem, sibilum mortẽ uideri necesse est. Ex te igitur Scaure potissimùm quæro, qui ludos apparatissimos magnificẽtissimósq; feciſti, ecquis istorũ populariũ tuos ludos aspexerit? ecquis se theatro, populóq; Ro. com-

miser

miſerit? Ipſe ille maximè ludius, non ſolũ ſpectator, ſed actor & acroama, qui omnia ſororis embolia nouit, qui in cœtum mulierum pro pſaltria adducitur, nec tuos ludos aſpexit in illo ardenti Tribunatu ſuo, nec ullos alios, niſi eos, à quibus uix uiuus effugit. Semel, inquam, ſe ludis homo popularis commiſit omnino, cùm in templo Virtutis honos habitus eſſet Virtuti, C. ḡ Marij conſeruatoris huius imperij monumentum municipi eius, & Reip. defenſori ſedẽ ad ſalutẽ præbuiſſet. quo quidẽ tẽpore quid Po. Ro. ſentire ſe oſtẽderit, utroque in genere declaratum eſt: primò, cùm audito S.C. ore ipſi atq; abſenti Senatui plauſus eſt ab uniuerſis datus: deinde, cùm Senatoribus ſingulis ſpectatum è Senatu redeuntibus. cùm uerò ipſe qui ludos faciebat, Conſul aſſ[illegible]dit, ſtantes & [illegible]nibus paſſis gratias agentes, & lacrymantes gaudio, ſuam erga me beneuolentiam, ac miſericordiam declararunt. At cùm ille furibundus incitata illa ſua uecordi mẽte ueniſſet, uix ſe Po. Ro. tenuit, uix homines odium ſuum à corpore eius impuro, atq; infando repreſſerunt: uoces quidem, & palmarum intentus, & maledictorum clamorem omnes profuderunt. Sed quid ego Po. Ro. animum uirtutémq; cõmemoro, libertatem iam ex diuturna ſeruitute reſpicientis in eo homine, cui tum petenti iam Aedilitatem ne hiſtriones quidem coràm ſedenti pepercerunt? Nam cùm ageretur Togata, ſimulans, ut opinor, caterua tota, clariſſima contentione in ore impuri hominis imminens concionata eſt.

Huic uitæ tuæ-- &,

Poſt principia atq; exitus uitioſæ uitæ. ſedebat examinatus: & is, qui antea cantorũ conuicio conciones celebrare ſuas ſolebat, cantorum ipſorũ uocibus eiiciebatur. Et quoniã facta mentio eſt ludorum, ne illud quidẽ prætermit

termittam, in magna uarietate sententiarum, nunquam ullum fuisse locum, in quo aliquid à poëta dictum cadere in tempus nostrum uideretur, quod aut populum uniuersum fugeret, aut non exprimeret ipse actor. & quæso hoc loco Iud. ne qua me leuitate ductum ad insolitum genus dicendi labi putetis, si de poetis, de histrionibus, de ludis in iudicio loquar. non sum tam ignarus Iud. causarum, non tam insolens in dicendo, ut omni ex genere orationem aucuper, & omnes undique flosculos carpam, atque delibem. scio quid grauitas uestra, quid hæc aduocatio, quid illi cõuentus, quid dignitas P. Sestij, quid periculi magnitudo, quid ætas, quid honos meus postulet. sed mihi sumpsi hoc loco doctrinã quandã iuuẽtuti, qui essent optimates. in ea explicanda demonstrandum est, non esse populareis omneis eos, qui putentur. Id facillimè consequar, si uniuersi populi iudicium uerum & incorruptum, & si intimos sensus ciuitatis expressero. Quid fuit illud, quòd recenti nuntio de illo S. C. quod factum est in templo Virtutis, ad ludos scenámque perlato, consessu maximo, summus artifex, & mehercule semper partium in Republica, tanquam in scena optimatium, flens, & recenti lætitia, & misto dolore, ac desiderio mei, egit apertè multò grauioribus uerbis meam causam, quàm egomet de me agere potuissem? summi enim poëtæ ingenium non solùm arte sua, sed etiam dolore exprimebat.

Quàm enim certo animo qui Rẽp. adiuuerit, steterit cum Achiuis. uobiscum me stetisse dicebat, uestros ordines demonstrabat, reuocabatur ab uniuersis.

Re dubia, nec dubitarit uitã offerre, nec capiti peperce rit. Hæc quãtis ab illo clamoribus agebantur? cum iã omisso gestu, uerbis poeta, & studio actoris, & expectationi

tioni noſtræ plauderetur?

Summum amicum ſummo in bello--

(nam illud ipſe actor adiungebat amico animo: & fortaſſis homines propter aliquod deſiderium approbant)

Summo ingenio præditum.

Tum illa quantò cum gemitu Populi Romani ab eodem paulò pòſt in eadem fabula ſunt acta?

O pater.

Me me ille abſentem, ut patrem deplorandũ putarat, quem Q. Catulus, quem multi alij ſæpe in Senatu patrem patriæ nominarant. quanto cum fletu de illis noſtris incendiis, ac ruinis, cùm patrem pulſum, patriam afflictam deploraret, domum incenſam euerſámque? ſic egit, ut demonſtrata priſtina fortuna, cum ſe conuertiſſet,

Hæc omnia uidi inflammari:

fletum etiam inimicis, atque inuidis excitaret. Prò dij immortales, quid, illa quemadmodum dixit idem? quæ mihi quidem ita & acta & ſcripta uidentur eſſe, ut uel à Catulo, ſi reuixiſſet, præclarè poſſe dici uiderentur (is enim liberè reprehendere & accuſare populi nonnunquam temeritatem ſolebat, aut errorem Senatus)

O ingratifici Argiui, inanes Graij, immemores beneficij. Non erat illud quidem uerũ: non enim ingrati, ſed miſeri, quibus reddere ſalutem à quo acceperant, non liceret: nec unus in quenquam unquam gratior, quàm in me uniuerſi. ſed tamen illud ſcripſit diſertiſſimus poeta pro me, egit fortiſſimus actor, non ſolùm optimus, de me, cùm omnes ordines demonſtraret, Senatũ, Equites Romanos, uniuerſum Populum Romanũ accuſaret,

Exulare ſinitis, ſiuiſtis pelli, pulſum patimini.

Quæ tum ſignificatio fuerit omniũ, quæ declaratio uoluntatis

luntatis ab uniuerſo Po. Ro. in cauſa hominis non popularis, equidem audiebamus: exiſtimare facilius poſſunt, qui adfuerunt. Et quoniã me huc prouexit oratio, hiſtrio caſum meum toties collacrymauit, cùm ita dolẽter ageret cauſam meã, ut uox eius illa præclara, lacrymis impediretur. neque poetæ, quorum ego ſemper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt: eáque Pop. Ro. non ſolùm plauſu, ſed etiam gemitu ſuo comprobauit. Vtrum igitur hæc Aeſopum potius pro me, aut Accium dicere oportuit, ſi Popu. Roma. liber eſſet, an principes ciuitatis? Nominatim ſum appellatus in Bruto, Tullius, qui libertatem ciuibus ſtabiliuerat: millies reuocatum eſt. Parúmne uidebatur, Pop. Ro. iudicare id à me, & à Senatu eſſe conſtitutum, quod perditi ciues ſublatum per nos criminabãtur? Maximum uerò Po. Ro. iudicium uniuerſo conſeſſu gladiatorio declaratum eſt. erat enim munus Scipionis, dignum & eo ipſo, & illo Q. Metello cui dabatur. Id autem ſpectaculi genus erat, quod omni frequentia atq; omni genere hominum celebratur, quo multitudo maximè delectatur. in hũc conſeſſum P. Seſtius Tribunus ple. cùm ageret nihil aliud in eo magiſtratu, niſi meam cauſam, uenit, & ſe populo dedit, non plauſus cupiditate, ſed ut ipſi inimici noſtri uoluntatem uniuerſi populi uiderent. uenit (ut ſcitis) ad columnam Meniam: tantus eſt ex omnibus ſpectaculis uſque à Capitolio, tantus ex fori cãcellis plauſus excitatus, ut nunquam maior cõſenſio, aut apertior Po. Ro. uniuerſi fuiſſe ulla in cauſa diceretur. Vbi erant tum illi concionũ moderatores, legum domini, ciuium expulſores? aliúſne eſt aliquis improbis ciuibus peculiaris populus, cui nos offenſi inuiſiq; fuerimus? Equidẽ exiſtimo, nullũ tempus eſſe frequentioris populi, quàm illud gladiatoriũ: neque

concionis

concionis ullius, neq; uerò ullorum comitiorum. Hæc igitur innumerabilis hominum multitudo, hæc Po. Ro. tanta significatio sine ulla uarietate uniuersi, cùm illis ipsis diebus de me actum iri putaretur, quid declarauit, nisi optimorum ciuium salutem & dignitatem Po. Ro. charam esse uniuerso? At uerò & ille Tribunus pleb. qui de me non patris, aui, proaui, maiorum denique suorum omnium, sed Græculorum instituto concionem interrogare solebat, Vellétne me redire: & cùm erat reclamatum semiuiuis mercenariorũ uocibus, Popu. Roma. negare dicebat: is cùm quotidie gladiatores spectaret, nunquam est conspectus: cùm ueniret, emergebat subitò, cùm sub tabulas subrepserat, ut

Mater te appello--

di...rus uideretur. Itaq; illa uia latebrosa, qua spectatũ ille veniebat, Appia iam uocabatur. Qui tamen quoquo tẽpore conspectus erat, non modò gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum repẽtinis sibilis extimescebant. Videtisne igitur, quantum inter Populũ Rom. & concionem interfit? dominos concionum omni odio populi notari: quibus autem consistere in operarum concionibus non liceat, eos omni Po. Ro. significatione decorari? Tu mihi etiam M. Attiliũ Regulum cõmemoras, qui redire ipse Carthaginem sua uoluntate ad suppliciũ, quàm sine his captiuis, à quibus ad Senatũ missus erat, Romæ manere maluerit? & mihi negas optãdum reditum fuisse, per familias cõparatas, & homines armatos? uim scilicet ego desideraui, qui dũ uis fuit, nihil egi, & quẽ, si uis nõ fuisset, nulla res labefactare potuisset? Hunc ego reditũ repudiarẽ, qui ita florẽs fuit, ut uerear, ne quis me studio gloriæ putet idcirco exisse, ut ita redirẽ? Quẽ enim unquã Senatus ciuẽ, nisi me, nationibus exteris cõmendauit?

cuius

cuius unquam propter ſalutem, niſi meam, Senatus publicè ſociis Pop. Rom. gratias egit? de me uno P. C. decreuerunt, ut qui prouincias cũm imperio obtinerent, qui Quæſtores, Legatique eſſent, ſalutem & uitam meã cuſtodirent. In mea una cauſa poſt Romam cõditam factum eſt, ut literis Conſularibus ex Senatuſcõſulto cuncta ex Italia, omnes qui Remp. ſaluam uellent, conuocarentur. quod nunquam Senatus in uniuerſæ Reipublicæ periculo decreuit, id in unius mea ſalute conſeruanda decernendum putauit. Quem curia magis requiſiuit? quem forum luxit? quem æquè ipſa tribunalia deſiderauerunt? omnia diſceſſu meo deſerta, horrida, muta, plena luctus & mœroris fuerunt. Quis eſt Italiæ locus, in quo non fixum ſit in publicis monimentis ſtudiũ ſalutis meæ, teſtimonium dignitatis? Nam quid ego illa de me diuina Senatuſconſulta commemorem? uel quòd in templo Iouis Optimi Maximi factũ eſt, cùm uir is, qui tripartitas orbis terrarum oras, atq; regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notauit, deſcripto ſententia dicta, mihi uni teſtimonium patriæ conſeruatæ dedit: cuius ſententiam ita frequẽtiſſimus Senatus ſecutus eſt, ut unus diſſentiret hoſtis: idq; ipſum tabulis publicis mandaretur ad memoriam poſteri temporis ſempiternã: uel quod eſt poſtridie decretum in curia, populi ipſius Romani, & eorum qui ex municipiis conuenerant, admonitu, ne quis de cœlo ſeruaret, ne quis moram ullam afferret: ſi quis aliter feciſſet, eum planè euerſorem Reip. fore, idque Senatum grauiſſimè laturum: & ut ſtatim de eius facto referretur. Qua grauitate ſua, cùm frequens Senatus nõnullorum ſcelus audaciámque tardaſſet, tum illud addidit, niſi diebus quinque, quibus agi de me potuiſſet, non eſſet actum, redirem in patriam dignitate omni

recuperata. Decreuit eodem tempore Senatus, ut iis, qui ex tota Italia salutis meæ causa conuenerant, agerentur gratiæ: atque ut iidem ad res redeuntes, ut uenirent, rogarentur. Hæc erat studiorum in mea salute contentio: ut ij qui à Senatu de me rogabantur, iidem Senatui pro me supplicarent. Atque ita in his rebus unus est solus inuentus, qui ab hac tam impẽsa uoluntate bonorum palàm dissideret: ut etiam Q. Metellus COS. qui mihi uel maximè ex magnis contentionibus Reipu. fuisset inimicus, de mea salute retulerit. qui excitatus summa cum autoritate, P. Seruilij quadã grauitate dicendi, cùm ille omnes propè ab inferis euocasset Metellos, & ad illius generis, quod sibi cum eo cõmune esset, dignitatem, propinqui sui mentem à Clodianis latrociniis reflexisset: cúmq; eum ad domestici exempli memoriam, & ad unũ dicto citius Metelli casum uel glorioſum, uel grauem conuertisset, collacrymauit, ut uir egregius, ac uerè Metellus, totúmq; se P. Seruilio dicenti etiam tum tradidit. nec illam diuinam grauitatem, plenam antiquitatis, diutius homo eiusdem sanguinis potuit sustinere, & mecum absens beneficio rediit in gratiã. Quod certè, si est* aliquis sensus in morte præclarorũ uirorum, cum omnibus Metellis, tum uerò uni uiro fortissimo & præstantissimo ciui gratissimum fratri suo fecit, socio laborum, periculorum, consiliorum meorũ. Reditus uerò meus qui fuerit, quis ignorat? quemadmodum mihi aduenienti tanquam totius Italiæ, atque ipsius patriæ dexteram porrexerint Brundusini: cùm ipsis Nonis Sextilibus idẽ dies aduentus mei fuisset, qui reditus natalis: idem charissimæ filiæ, quam ex grauissimo tum primùm desiderio luctúq; conspexi: idem etiam ipsius coloniæ Brundusinæ: idem ut scitis: cúmq; me domus eadem optimorum & doctissimorum

*aliqui

rum uirorum Lenij Flacci & patris, & fratris eius lætiſſima accepiſſet, quæ proximo anno mœrens receperat, & ſuo præſidio periculóque defenderat: cúmque itinere toto urbes Italiæ feſtos dies agere aduentus mei uidebantur: uia multitudine Legatorum undiq; miſſorum celebrabantur: ad urbem acceſſus incredibili hominum multitudine & gratulatione florebat: iter à porta, in Capitolium aſcenſus, domum reditus erat eiuſmodi, ut ſumma in lætitia illud dolerem, ciuitatem tam gratam, tam miſeram, atq; oppreſſam fuiſſe. Habes igitur, quod ex me quæſiſti, qui eſſent optimates. nõ eſt natiõ, ut dixiſti: quod ego uerbum agnoui. eſt enim illius, à quo uno maximè P. Seſtius ſe oppugnari uidet, hominis eius, qui hanc nationem deleri & concidi cupiuit, qui C. Cæſarem mitem hominem & à cæde abhorrẽtem ſæpe increpuit, ſæpe accuſauit, cùm affirmaret illum nunquam, dum hæc natio uiueret, ſine cura futurum. nihil profecit de uniuerſis: de me agere non deſtitit: me oppugnauit primùm per indicem Vectium, quem in concione de me & de clariſſimis uiris interrogauit. in quo tamen eos ciues coniunxit eodem periculo & crimine, ut à me inierit gratiam, q; me cum ampliſſimis & fortiſſimis uiris congregauit. Sed poſtea mihi nullo meo merito, niſi q; bonis placere cupiebam, omnes eſt inſidias ſceleratiſſimè machinatus. Ille ad eos, à quibus audiebatur, quotidie* aliquid defecti afferebat: ille hominem mihi amiciſſimum Cn. Pompeiũ monebat, ut meam domũ metueret, atq; à me ipſo caueret: ille ſe ſic cũ inimico meo copularat, ut illũ meæ proſcriptionis. quã adiuuabat Sex. Clodius, homo iis digniſſimus quibus cum uiuit, tabulã eſſe, ſe ſcriptorem diceret: ille unus ordinis noſtri, diſceſſu meo, luctu neſtro palàm exultauit. de quo ego, cùm quotidie rueret, uerbum feci

* aliquid deferebat

Iud. nunquam: neq; putaui, cùm omnibus machinis ac tormẽtis ui, exercitu, copiis oppugnarer, de uno ſagittario me queri conuenire. Acta mea illi diſplicere, quis neſcit? qui legem cõtemnat, quæ dilucidè uetat gladiatores biennio, quo quis petierit, aut petiturus ſit, dare. In quo eius temeritatem ſatis mirari Iudices non queo. facit apertiſſimè contra legem: facit is, qui neq; elabi ex iudicio iucunditate ſua, neq; emitti gratia poteſt, neq; opibus, & potentia leges ac iudicia perfringere. Quæ res hominem impellit, ut ſit tam intemperans? iſta nimia gloriæ cupiditate familiam gladiatoriam credo nactus eſt, ſpecioſam, nobilem, glorioſam: norat ſtudia populi: uidebat clamores & concurſus futuros. Hac expectatione elatus homo flagrãs cupiditate gloriæ, tenere ſe non potuit, quin hc gladiatores induceret, quorũ eſſet ipſe pulcherrimus. Si ob eam cauſam peccaret, & pro recenti Pop. Ro. in ſe beneficio, populari ſtudio elatus: tamen ignoſceret nemo: cùm uerò ne de uenalibus quidem homines electos, ſed ex ergaſtulis emptos, nominibus gladiatoriis ornarit, & ſortitò alios Samnites, alios prouocatores fecerit: tanta licentia, tanta legum contemptio ne nõ habitura ſit exitum, pertimeſcit? Sed habet defenſiones duas: primùm, Do, inquit, beſtiarios: lex eſt ſcripta de gladiatoribus. feſtiuè. accipite aliquid etiam acutius. dicit ſe non gladiatores, ſed unum gladiatorem dare, & totam Aedilitatem in munus hoc tranſtuliſſe. Præclara Aedilitas unus leo, ducẽti beſtiarij. Verùm utatur hac defenſione: cupio eum ſuæ cauſæ confidere. Solet enim Trib. pleb. appellare, & ui iudicium diſturbare, cùm diffidit. quem nõ tam admiror, quòd meam legem contemnat hominis inimici, quàm quòd ſe ſtatuit omnino Conſularem legem nullam putare. Aciliam, Didiam, Liciniam, Iuniam cõtempſit.

tempſit. etiámne eius, quem ſua lege, & ſuo beneficio ornatum, munitum, armatum ſolet gloriari, C. Cæſaris legem de pecuniis repetundis non putat eſſe legẽ? & aiunt alios eſſe, qui acta Cæſaris reſcindant, cùm hæc optima lex, & ab illo ſocero eius, & ab hoc aſſecla negligatur? Et cohortari auſus eſt accuſator in hac cauſa uos Iudices, ut aliquando eſſetis ſeueri, aliquãdo medicinam adhiberetis Reipu. Non eſt ea medicina, cùm ſanæ parti corporis ſcalpellum adhibetur atq; integræ: carnificina eſt iſta, & crudelitas. hi medentur Reip. qui execant peſtem aliquã, tanquam ſtrumã ciuitatis. Sed ut extremũ habeat aliquid oratio mea, & ut ego antè dicẽdi finẽ faciam, quàm uos me tam attentè audiendi, concludã illud de optimatibus, eorúmq; principibus, ac Reipu. defenſoribus: uóſq; adoleſcẽtes, & qui nobiles eſtis, ad maiorum ueſtrorum imitationem excitabo, & qui ingenio & uirtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem, in qua multi homines noui & honore & gloria floruerunt, cohortabor. Hæc eſt una uia, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris: à bonis uiris ſapientibus, & bene natura conſtitutis laudari & diligi: noſſe deſcriptionem ciuitatis à maioribus noſtris ſapientiſſimè conſtitutam: qui cùm Regum poteſtatem nõ tuliſſent, ita magiſtratus annuos creauerunt, ut conſilium Senatus Reipu. proponerent ſempiternũ: deligerẽtur autem in id conſilium ab uniuerſo populo, aditúſq; in illum ſummum ordinem omnium ciuium induſtriæ, ac uirtuti pateret. Senatum Reip. cuſtodem, præſidem, propugnatorem collocauerũt: huius ordinis autoritate uti magiſtratus, & quaſi miniſtros grauiſſimi conſilij eſſe noluerunt: Senatum autem ipſum proximorum ordinum ſplendore confirmari, plebis libertatem & commoda tueri, atque augere

uoluerunt. Hæc qui pro uirili parte defendunt, optimates sunt, cuiuscunq; sint ordinis: qui autem præcipuè suis ceruicibus tanta munia, atq; Rempu. sustinent, ij semper habiti sunt optimatium principes, autores & conseruatores ciuitatis. Huic hominum generi fateor, ut antè dixi, multos aduersarios, inimicos, inuidos esse, multa proponi pericula, multas inferri *iniurias, magnos esse experiundos & subeundos labores: sed mihi omnis oratio est cum uirtute, non cum desidia: cum dignitate, non cum uoluptate: cum iis, qui se patriæ, qui suis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui somno, & cõuiuiis, & delectationi natos arbitrantur. Nam si qui uoluptatibus ducuntur, & se uitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt, missos faciant honores, nec attingãt Remp. patiantur uiros fortes labore, se otio suo perfrui. qui autẽ bonam famam bonorum, quæ sola uerè gloria nominari potest, expetunt, aliis otium quærere debent & uoluptates, non sibi. sudandum est his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, subeundæ sæpe pro Repub. tempestates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus, dimicandum. Hæc audiuimus de clarissimorum uirorum consiliis & factis, hæc accepimus, hæc legimus. neq; eos in laude positos uidemus, qui incitarunt aliquando populi animos ad seditionem, aut qui largitione cæcarunt mentes imperitorum, aut qui forteis & claros uiros, & bene de Rep. meritos in inuidiam aliquam uocauerunt. leueis hos semper nostri homines, & audaces, & malos, & pernicioſos ciues putauerũt. at uerò qui horum impetus & conatus repressérunt, qui autoritate, qui fide, qui constantia, qui magnitudine animi consiliis audaciũ restiterunt: ij graues, ij principes, ij duces, ij autores huius dignitatis, atq; imperij semper habiti sunt.

*insidias

sunt. Ac ne quis ex nostro, aut aliquorũ præterea casu hanc uitæ uiam pertimescat: unus in hac ciuitate, quem quidem ego possim dicere, præclarè uir de Repu. meritus L. Opimius indignissimè concidit: cuius monimentũ celeberrimum in foro, sepulcrũ desertissimũ in litore Dyrrhachino relictũ est. Atq; hunc tamen flagrantẽ inuidia propter interitum C. Gracchi, semper ipse Po. Ro. periculo liberauit: alia quædã ciuem egregiũ iniqui iudicij procella peruertit. cæteri uerò aut repentina ui perculsi, ac tẽpestate populari, per populũ tamen ipsum recreati sunt, atq; reuocati, aut omnino inuulnerati, inuiolatique uixerunt. At uerò ij, qui Senatus consiliũ, qui autoritatẽ bonorum, qui instituta maiorũ neglexerunt, & imperitæ aut concitatæ multitudini iucundi esse uoluerunt: omnes ferè Reip. pœnas aut præsenti morte, aut turpi exilio dependerunt. Quòd si apud Athenienses, homines Græcos, lõgè à nostrorũ hominum grauitate disiunctos, non deerant qui Remp. contra populi temeritatẽ defenderent, cùm omnes, qui ita fecerant, è ciuitate eiicerẽtur: si Themistoclẽ illum conseruatorẽ patriæ non deterruit à Rep. defendenda nec Miltiadis calamitas, qui illã ciuitatem paulò antè seruarat, nec Aristidis fuga, qui unus omnium iustissimus fuisse traditur: si posteà summi eius dẽ ciuitatis uiri, quos nominatim appellari non est necesse, propositis tot exẽplis iracundiæ leuitatisq; popularis, tamen suã Remp. illam defenderunt: quid nos tandẽ facere debemus? primũ in ea ciuitate nati, unde orta mihi grauitas, & magnitudo animi uidetur: tũ in tanta gloriæ insistẽtes, ut omnia humana leuiora uideri debeãt: deinde, ad eã Rẽp. tuendã aggressi, quæ tanta dignitate est, ut eã defendentẽ occidere non aliud sit, quàm oppugnantẽ rerũ potiri. Homines Græci, quos anteà nominaui, iniquè

à ſuis ciuibus dãnati, atq; expulſi, tamen, quia bene ſunt de ſuis ciuitatibus meriti, tanta hodie gloria ſunt, non in Græcia ſolùm, ſed etiã apud nos, atq; in cæteris terris, ut eos, à quibus illi oppreſſi ſunt, nemo nominet, horũ calamitatẽ dominationi illiorũ omnes anteponant. Quis Carthaginienſiũ pluris fuit Annibale cõſilio, uirtute, rebus geſtis? qui unus cũ tot Imperatoribus noſtris per tot annos de imperio, & de gloria decertauit? hunc ſui ciues è ciuitate eiecerunt: nos etiam hoſtẽ literis noſtris, & memoria uidemus eſſe celebratũ. Quare imitemur noſtros Brutos, Camillos, Halas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, innumerabiles alios, qui hanc Remp. ſtabiliuerunt: quos equidem in deorũ immortaliũ cœtu, ac numero repono: amemus patriã pareamus Senatui, cõſulamus bonis: præſenteis fructus negligamus, poſteritati & gloriæ ſeruiamus: id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum: ſperemus quæ uolumus, ſed quod acciderit, feramus: cogitemus denique corpus uirorũ fortium, magnorúmq; hominũ eſſe mortale, animi uerò motus & uirtutis gloriã ſempiternã: neq; hanc opinionẽ ſi in illo ſanctiſſimo Hercule conſecratã uidemus, cuius corpore ambuſto uitã eius, & uirtutẽ immortalitas excepiſſe dicitur, minus exiſtimemus eos, qui hanc tantã Remp. ſuis conſiliis aut laboribus aut auxerint, aut defenderint, aut ſeruarint, eſſe immortalem gloriã conſecuturos. [a] Sed me repentè Iudices de fortiſſimorũ & clariſſimorũ ciuium dignitate, & gloria dicentẽ, & plura etiã dicere parantẽ, horũ aſpectus in ipſo curſu orationis repreſſit. uideo P. Seſtiũ meæ ſalutis, ueſtræ autoritatis, publicæ cauſæ defenſorẽ, propugnatorẽ, autorẽ, reũ: uideo hũc prætextatum eius filiũ oculis lacrymantibus me intuentẽ: uideo Milonẽ uindicẽ ueſtræ libertatis, cuſtodem

a In fine orationis Cicero miſericordiam mouere conatur, quo vel affectu Iudices commoti Seſtium abſoluant. Nec, inquit, me ab iis quos meo nomine ſordidatos videtis nunquã ulla fortuna diuellet, &c. Sed de ratione cõmiſerationem excitãdi nemo copioſius ſcripſit ipſo Ariſtot. libro 2. Rhet. Illinc petẽdum erit, & qui, & quorum, & ob quæ miſereri ſoleamus. Sic enim & hoc Ciceronis exemplũ facilius eũ intelligere, tũ imitari licebit.

cuſtodem ſalutis meæ, ſubſidiũ afflictæ Reip. extinctorẽ domeſtici latrocinij, repreſſorem cædis quotidianæ, defenſorem templorum atq; tectorum, præſidium Curiæ, ſordidatum & reum: uideo P. Lentulũ, cuius ego patrẽ deum ac parentem ſtatuo fortunæ, ac nominis mei, & fratris, rerúmq; noſtrarũ, in hoc miſero ſqualore & ſordibus: cui ſuperior annus idẽ & uirilẽ patris, & prætextatã populi iudicio togam dederit, hunc hoc anno in hac toga, rogationis iniuſtiſſimæ ſubitã acerbitatem pro patre fortiſſimo, & clariſſimo ciue deprecantẽ. Atq; hic tot & talium ciuiũ ſqualor, hic luctus, hæ ſordes ſuſceptæ ſunt propter unum me, quia me defenderunt, quia meum caſum, luctúmq; doluerunt, quia me lugenti patriæ, flagitanti Senatui, poſcenti Italiæ, uobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum eſt in me ſcelus? quid tantopere deliqui illo, illo die, cùm ad uos indicia, literas, confeſſiones: cõmunis exitij detuli? cũ parui uobis? Ac ſi ſceleſtum eſt amare patriã, pertuli pœnarum ſatis: euerſa domus eſt, fortunæ uexatæ, diſſipati liberi, raptata coniunx, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in ſqualore uolutatus eſt ad pedes inimiciſſimorũ: ego pulſus aris, focis, diis penatibus, diſtractus à meis, carui patria, quã (uti leuiſſimè dicam) certè texerã: pertuli crudelitatẽ inimicorum, ſcelus infideliũ, fraudem inuidorũ. Si hoc non eſt ſatis, quòd hæc omnia deleta uidentur reditu meo: multò mihi, multò, inquã, Iudices præſtat, in eandẽ illam recidere fortunã, quàm tantam importare meis defenſoribus, & conſeruatoribus calamitatẽ. An ego in hac urbe eſſe poſſum, his pulſis, qui me huius urbis cõpotem fecerunt? non ero. nõ potero eſſe Iudices: neq; hic unquã puer, q; his lacrymis qua ſit pietate declarat, amiſſo patre ſuo propter me, me ipſum incolumẽ uidebit:

nec quotiescunq; me uiderit, ingemiscet, ac pestẽ suã, & patris sui sese dicet uidere. Ego uerò uos in omni fortuna, quæcunq; erit oblata, complectar: nec me ab iis, quos meo nomine sordidatos uidetis, unquã ulla fortuna diuellet: neq; eæ nationes, quibus me Senatus cõmendauit, quibus de me gratias egit, hũc exulẽ propter me sine me uidebũt. Sed hæc dij immortales, qui me suis tẽplis aduenientẽ receperũt, stipatũ ab his uiris, & P. Lẽtulus Cõsul, atq; ipsa Resp. qua nihil est sanctius, uestræ potestati Iudices cõmiserunt. uos hoc iudicio omniũ bonorum mẽtes cõfirmare, improborũ reprimere potestis: uos his ciuibus uti optimis, uos me reficere, & renouare Remp. potestis. Quare uos obtestor atq; obsecro, ut si me saluũ esse noluistis, eos conseruetis, per quos me recuperauistis.

IN VATINIVM.

ORATIO XXXIII.

Selecta

a Orditur κατὰ παράλειψιν, & causam reddit cur interroget potius Vatinium quàm cõtemptũ tacitus dimittat.

SI TVA[a] *tantummodò Vatini quid indignitas postularet, spectare noluissem, feciss*ẽ *id, quod his uehemẽter placebat, ut te, cuius testimoniũ propter turpitudinẽ uita, sordésq; domest. cas nullius momenti putaretur, tacitus dimittere*ẽ*.* [b] *nemo enim horũ aut ita te refutãdũ, ut graue*ẽ *aduersarium, aut ita rogãdũ, ut religiosum teste*ẽ *arbitrabatur. sed fui paulò in te intẽperãtior fortasse quã debui. odio enim tui, in quo etsi omnes propter tuũ in me scelus, superare debeo, tamen ab omnibus penè uincor, sic sum incitatus, ut cũ te nõ minus contemnerẽ, quàm odissem, tamẽ uexatũ potius, quàm despectũ, uellẽ dimittere.* [c] *Quare ne tibi hũc honorẽ à me haberi fortè mirere, q̃ interrogem, quẽ nemo congressu, nemo aditu,*

b Actiologia interpretandi causa.

c Concludit sententiam.

nemo

nemo ſuffragio, nemo ciuitate, nemo luce dignum putet: nulla me ad id cauſa impuliſſet, niſi ut ferocitatẽ tuam iſtam cõprimerem, & audaciam frangerẽ & loquacitatem pauciſſimis interrogationibus irretitam retardarẽ. [a] *Etenim debuiſti Vatini, etiam ſi falsò ueniſſes in ſuſpicionem P. Seſtio, tamẽ mihi ignoſcere, ſi in tanto hominis de me optimè meriti periculo, & tẽpori, eius & uolũtati parêre uoluiſſem.* [b] *ſed heſterno pro teſtimonio eſſe mẽtitũ, cũ affirmares nullũ tibi omnino cũ Albinouano ſermonẽ non modò de Seſtio accuſando, ſed nulla unquã de re fuiſſe, paulò antè imprudẽs indicaſti,* [c] *qui & T. Claudium tecum cõmunicaſſe, & à te conſiliũ P. Seſtij accuſandi petiſſe, & Albinouanũ, quẽ antea uix tibi notum eſſe dixiſſes, domũ tuã ueniſſe, multatecũ locutũ dixeris: deniq; cõciones P. Seſtij ſcriptas, quas neq; noſſet, neq; reperire poſſet, te Albinouano dediſſe, easq; in hoc iudicio eſſe recitatas.* [d] *In quorũ altero es confeſſus, à te accuſatores eſſe inſtructos, & ſubornatos, in altero inconſtantiã tuam cùm leuitate, tũ etiam periurio implicatam refelliſti: cùm quem alieniſſimum à te eſſe dixiſſes, eũ domi tuæ fuiſſe: quem præuaricatorẽ ab initio iudicaſſes, ei te, quos rogaſſet, ad accuſandũ libros dixeris dediſſe. Nimium es uehemens feroxq; natura: nõ putas fas eſſe uerbum ex ore exire cuiuſquam, quod nõ iucundũ, & honorificum ad aures tuas accedat. ueniſti iratus omnibus: quod ego, ſimul ac te aſpexi, prius quàm loqui cœpiſti, cũ antè Gellius, nutricula ſeditioſorũ omniũ, teſtimoniũ diceret, ſenſi atq; prouidi.* [e] *repentè enim te, tanquã ſerpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti. ut mihi renouatus ille tuus in te ueterẽ meũ amicũ, ſed tamẽ tuũ familiarẽ defenderim. cùm in hac ciuitate oppugnatio ſoleat, qua tu nũc uteris,* ★ *nõnunquam*

a Cauſa cur vexandum potius putarit, quàm dimittendũ: & eſt ex meritis Vatinii.

b Refutatio qua primum vanitatẽ arguit ex ipſius Vatinii dictis, quia pugnantia dixerit.

c Epiſtola 7. ad Quintũ Fratrẽ refert Seſtium à quodam M. Tullio de via accuſatum fuiſſe, ergo plures fuerunt accuſatores.

d Oſtendit quid efficiatur ex dictis Vatinii, quæ expoſuit.

e Comparatio ad hypotypoſin i. euidentiã orationis. Hypotypoſi autem reſpicit ad guttur Vatinii quod illi ſtrumoſum erat

★ *nonnunquam defenſio nunquãuit up.*

quã defendi, nonnunquã uituperari. Sed quæro à te, cur C. Corneliũ non defenderẽ? num legẽ aliquã Cornelius cõtra auſpicia tulerit? [a] num Aeliam? num Fuſiã legem neglexerit? num Conſulium attulerit? nũ armatis hominibus tẽplum tenuerit? num interceſſorẽ ui deiecerit? num religiones polluerit? ærariũ exhauſerit? Remp. cõpilarit? tua ſunt, tua ſunt hæc omnia. Cornelio eiuſmodi nihil obiectum eſt. [b] codicẽ legiſſe dicebatur: defendebatur teſtibus collegis ſuis, nõ recitãdi cauſa legiſſe, ſed recognoſcendi. conſtabat tamen Corneliũ cõſilium illo die dimiſiſſe, interceſſioni paruiſſe. Tu uerò, cui Cornely defenſio diſplicet, quàm cauſam ad patronos tuos, aut quod os afferes? quibus iam præſcribis, quanto illis probro futurum ſit, ſi te defenderint, cũ tu mihi Cornely defenſionẽ in maledictis obiciendã putaris. [c] Attamen hoc Vatini memento, paulò poſt iſtam defenſionẽ meam. quã tu bonis uiris diſplicuiſſe dicis, me cùm uniuerſi Po. Ro. ſumma uoluntate, tu optimi cuiuſq; ſingulari ſtudio magniſicentiſſimè poſt hominũ memoriam Conſulẽ factum, omniáq; ea me pudenter uiuendo conſecutum eſſe, quæ tu impudenter uaticinando ſperare te ſæpe dixiſti. Nam q̃ mihi deceſſum obieciſti meum, & quòd horũ, quibus ille dies acerbiſſimus fuit, qui idẽ tibi lætiſſimus, luctum & gemitũ renouare uoluiſti: tantũ tibi reſpõdeo, me, cùm tu cæteraq; Reip. peſtes armorũ cauſam quæreretis, & cùm per meũ nomen fortunas locupletum diripere, ſanguinẽ principũ ciuitatis exorbere, crudelitatẽ ueſtrã, odiúmq; diuturnum, quod in bonos iam inueteratum habebatis, ſaturare cuperetis: ſcelus & furorẽ ueſtrum cedẽdo maluiſſe frangere, quàm reſiſtendo. [d] Quare peto à te, ut mihi ignoſcas Vatini, cùm patriæ pepercerim, quam ſeruarã: & ſi ego te perditorem, & uexatorẽ Reip. ſero, tu me conſer

a Lex Aelia & Fuſia obnunciationẽ confirmabant, quã reſiſtebatur pernicioſis legibus. Caius autem Cæſar in cõſulatu cum legẽ Agrariam inuito Senatu ferret, adiuuante Vatinio qui tum Tribun. pleb. erat obnunciantem collegã ſuum M. Bibulũ armis è foro expulerat.

b Defendit cauſam Cornelii ex vi definitionis quid ſit maieſtatem minuere: de qua re lege Aſconium.

c Oſtendit à ſigno, ſe in defendendo Cornelio, populo Romano rem gratam feciſſe.

d Concluſio, per quam ironiã amariorem facit.

conſeruatorẽ, & cuſtodem feras. Deinde eius uiri diſceſſum increpas, quem uides omnium ciuiũ deſiderio, ipſius denig3 Reip. luctu eſſe reuocatum? [b] At enim dixiſti non mea, ſed Reip. cauſa homines de meo reditu laborasse. quaſi uerò quiſquam uir excellenti animo in Remp. ingreſſus, optabilius quicquam arbitretur, quàm ſe à ſuis ciuibus Reip. cauſa diligi. [c] Scilicet aſpera mea natura, difficilis aditus, grauis uultus, ſuperba reſponſa, inſolens uita: nemo humanitatẽ meã, nemo conſuetudinẽ, nemo conſiliũ, nemo auxiliũ requirebat, cuius deſiderio (ut hæc minima dicam) forum mœſtum, muta Curia, omnia denique bonorũ artium ſtudia ſiluerunt. [d] Sed nihil ſit factum mea cauſa: omnia illa Senatuſcõſulta, populi iuſſa, Italiæ totius, cunctarum ſocietatũ, collegiorum omnium decreta, de me Reip. cauſa eſſe facta fateamur. Quid ergo homo imperitiſſime ſolidæ laudis ac ueræ dignitatis, præſtantius mihi potuit accidere? quid optabilius ad immortalitatem gloriæ, atq3 ad memoriã mei nominis ſempiternã, quàm omnes hoc ciues meos iudicare, ciuitatis ſalutẽ cũ mea unius ſalute eſſe coniunctã? Quod quidẽ ego tibi reddo tuum. nã ut tu me charum eſſe dixiſti Senatui populóq3 Ro. nõ tam mea cauſa quàm Reip. ſic ego te quãquã ſis omni diritate atq3 immanitate teterrimus, tamen dico eſſe odio ciuitati non tã tuo, quàm Reip. nomine. [e] Atq3 ut aliquando ad te ueniam, de me hoc ſit extremum: quid quiſq3 noſtrum de ſe ipſe loquatur, non eſt ſanè requirendum: boni uiri iudicent: id eſt maximi momenti & ponderis. Duo ſunt tempora, quibus noſtrorũ ciuium ſpectẽtur iudicia de nobis: unum honoris, alterum ſalutis. bonos talis pop. Ro. uoluntate paucis eſt delatus, ac mihi: ſalus tanto ſtudio ciuitatis nemini reddita. de te autem homines quid ſentiãt, in honore experti ſumus, in ſalu

a Vide num, Ne increpes, legendũ ſit. Nam alioqui deeſſe aliquid videtur.

b Reprehendit aliud dictum Vatinii, idq; ex qualitate, cui inficiationem adiungit.

c Inficiatio.

d Conceſsio ex abũdanti qua ad qualitatẽ reuertitur.

e Infectatio vitæ (tertia orationis pars) quam grauiter & vehementer tractat obſeruato more interrogandi teſtes in iudicio.

a Incipit à natiuitate & ordine tẽporis persequitur.

salute, expectamus.[a] *Et ut ne me cum homine uno nõ solùm impudentissimo, atq; insimo conferam, de te ipso homine & arrogãtissimo, & mihi inimicissimo, quæro Vatini, utrum tandem putes, huic ciuitati, huic Reipu. huic urbi, his tẽplis, ærario, curiæ, uiris his quos uides, horum bonis, fortunis, liberis, ciuibus, cæteris denique deorũ immortalium delubris, auspicijs, religionibus, melius fuisse & præstabilius, me ciuẽ in hac ciuitate nasci, an te? cùm mihi hæc responderis, aut ita impudenter, ut manus à te homines uix abstinere possint: aut ita dolenter, ut aliquando ista alia, quæ sunt inflata, rũpantur: tũ memoriter respondeto ad ea, quæ de te ipso rogaro.*[b] *At illud tenebricosissimum tẽpus ineuntis ætatis tuæ patiar latêre. licet impunè per me parietes in adolescentia perfoderis, uicinos cõpilaris, matrẽ uerberaris: habeat hoc præmium tua indignitas, ut adolescentiæ turpitudo obscuritate, & sordibus tuis obtegatur. Quæsturã petisti cum P. Sestio, cùm hic nihil loqueretur, nisi quod agebat: tu de altero Consulatu gerendo te diceres cogitare. Quæro abs te, teneásne memoria, cum P. Sestius Quæstor sit cunctis suffragijs factus, tunc te uix inuitis omnibus*[c] *non populi beneficio, sed Consulis, extremum adhæsisse? in eo magistratu, cùm tibi magno clamore*[d] *aquaria prouincia sorte obtigisset, missúsne sis à me Consule Puteolos, ut inde aurum exportari, argentúmque prohiberes? in eo negotio, cùm te non custodem ad continendas, sed portitorem ad partiendas merces missum putares, cúmque omnium domos, apothecas, naueis, furacissimè scrutarere, hominésq; negotia gerentes iudicijs iniquissimis irretires, mercatores è naui egredientes terreres, conscendentes morarere: teneásne memoria tibi in conuentu Puteolis manus esse allatas? ad me Consulem Puteolanorum*

b Oratoria ὑπόφασις.

c Puto L. Cæsarem intelligi. Nam hic cũ C. Figulo consulatum Ciceronis anteceſsit.

d Puteolis in Campania à calidis aquis dicta.

quere

querelas esse delatas? post Quæsturã exieríne Legatus in ulteriorem Hispaniã C. Cosconio Proconsule? cùm illud iter Hispaniẽse pedibus ferè cõfici soleat: aut si quis nauigare uelit, certa sit ratio nauigandi: uenerísne in Sardiniam, atq; inde in Africã? fuerísne, quod sine Senatusconsulto tibi facere non licuit, in regno Hiẽpsalis? fuerísne in regno Mastaneosi? uenerísne ad fretum per Mauritaniam? quem scias unquam Legatum Hispaniensem in illam prouinciam istis itineribus peruenisse? [a] Factus es Tribunus pl. (quid enim te de Hispaniensibus flagitijs tuis, sordidissimisq; furtis interrogẽ?) quæro abs te, primũ, quod genus improbitatis, & sceleris in eo magistratu prætermiseris? [b] Ac tibi iam inde præscribo, ne tuas sordes cum clarissimorũ uirorum splendore permisceas. ego te quacunq; rogabo, de te ipso rogabo, neq; te ex amplissimi uiri dignitate, sed ex tuis tenebris extraham: omniáq; mea tela sic in te conijcientur, ut nemo per tuum latus (quod soles dicere) saucietur. in tuis pulmonibus, ac uisceribus hærebunt. Et quoniam omnium rerum magnarum à dijs immortalibus principia ducuntur, uolo ut mihi respondeas tu, qui te Pythagoricũ soles dicere, & hominis doctissimi nomen tuis immanibus & barbaris moribus prætendere, quæ te tãta prauitas mentis tenuerit, qui tantus furor, [c] ut, cùm inaudita ac nefaria sacra susceperis, cùm inferorum animas elicere, cùm puerorum extis deos manes mactare soleas: auspicia, quibus hæc urbs cõdita est, quibus omnis Respublica, atq; imperium tenetur, contempseris? initioq; Tribunatus tui Senatui denuntiaris, tuis actionibus Augurum respõsa, atque eius collegij arrogantiam impedimento non futuram? Secundum ea, quæro, seruarísne in eo fidem? num quando tibi moram attulerit, quò minus consilium aduoc

a Tribunatus plebis, quem vehementer, exaggerat.

b Præmunit ad tribunatus infectationem, ne C. Cæsarẽ offendat.

c Colligit indignitatem rei ex cõtrariis, vel ex minori, quod Vatinius in magica sacra colat, contemnat auspicia.

aduocares, legemq; ferres, quòd eo die scires de cœlo esse seruatum? [a] Et quoniam hic locus unus est, quẽ tibi cum Cæsare communem esse dicas: seiungam te ab illo, non solùm Reip. causa, uerùm etiam Cæsaris, ne qua ex tua summa indignitate labes illius dignitati aspersa uideatur. [b] Primùm quæro, nũ tu Senatui causam tuam permittas, quod facit Cæsar? deinde, quæ sit autoritas eius, qui se alterius facto, nõ suo defẽdat? deinde (erũpet enim aliquãdo ex me uera uox, & dicã sine cunctatione quod sentio) si iã uiolẽtior aliqua in re C. Cæsar fuisset, si eum magnitudo contentionis, studiũ gloriæ, præstans animus, excellens nobilitas aliquò impulisset, quod in illo uiro & tum ferendum esset, & maximis rebus, quas posteà gessit, obliterandum: id tu tibi furcifer sumes, & Vatinij latrones ac sacrilegi nox audietur, hoc postulantis, ut idem sibi concedatur, quod Cæsari? sic enim ex te quæro. Tribunus plebis fuisti: seiunge te à Consule: collegas habuisti uiros forteis nouem: ex his tres erant, quos tu quotidie sciebas de cœlo seruare, quos irridebas, quos priuatos esse dicebas: [d] de quibus duos prætextatos sedentes uides, te Aedilitiam prætextam togam, quam frustra conficeras, uendidisse: [e] tertium scis, ex illo obsesso atque afflicto Tribunatu, Consularem autoritatem hominem esse adolescentem consecutum. Reliqui sex fuerunt: ex quibus partim planè tecum sentiebant, partim medium quendam cursum tenebant. omnes habuerunt leges promulgatas: in his multas meus necessarius, etiam de mea sententia, C. Cosconius iudex noster: quem, tu dispeream, cùm Aedilitium uides. Volo uti mihi respondeas, num quis ex toto collegio legem sit ausus ferre præter unum te? quæ tanta in te fuit audacia? quæ tanta uis? ut cùm tui nouem collegæ sibi timendum esse du-

a Iterum se iungit Cæsarem à Vatinio vt acrius vrgeat.

b Ex differentibus probat.

c παρρησία quæ maxima est assentationi.

d Id est maioribus honoribus functos, vt Aedilitate, vel Prætura, vel Cõsulatu. quamuis hic Aedilitatem intelligat. Nam prætexta erat eorũ magistratuum insigne.

e Puto Q. Metellum Nepotem intelligi.

xer

xerint, id unus tu emersus è cœno omniũ facilè omnibus rebus infimus, contẽnendum, despiciendum, irridendum putares? num quẽ post urbem conditã scias Tribunum plebis egisse cum plebe, cùm constaret seruatum esse de cœlo? Simul etiam illud uolo uti respondeas, cũ te Tribuno plebis esset etiam tũ in Rep. lex Aelia, & Fusia, quæ leges sæpenumero Tribunitios furores debilitarũt, & repressérunt, quas contra præter te nemo unquã est facere conatus, [a] *quæ quidem leges anno post* sedẽtibus in templo duobus non Consulibus, sed proditoribus huius ciuitatis, ac pestibus, unà cũ auspicijs, cũ intercessionibus, cũ omni iure publico conflagrauerunt:* [b] *ecquando dubitaris contra eas leges cũ plebe agere, & cõsilium conuocare? num quem ex omnibus Tribunis pl. quicunq; seditiosi fuerint, tam audacẽ audieris fuisse, ut unquam contra legem Aeliam, aut Fusiam concilium conuocaret? Quæro illud etiã ex te, conatúsne sis, uoluerísne, deniq; cogitaris, (est enim res eiusmodi, ut si tibi modò in mentem uenit, nemo sit, qui te ullo cruciatu esse indignũ putet) cogitarísne, in illo tuo intolerabili, nõ regno (nã cupis id audire) sed latrocinio, Augur fieri in Qu. Metelli locum? ut quicunq; te aspexisset, duplicem dolorem gemitumq; susciperet, & ex desiderio clarissimi & fortissimi ciuis, & ex honore turpissimi atq; improbissimi?* [c] *Adeóne non labefactam Remp. te Tribuno, neq; conquassatam ciuitatem, sed captam hanc urbem atq; euersam putares, ut Augurem Vatinium ferre possemus?* [d] *Hoc loco quæro, si, id quod concupieras, Augur factus esses: in qua tua cogitatione nos, qui te oderamus, uix dolorẽ ferebamus:* [e] *illi autem, quibus eras in deliciis, uix risum renebant: sed quæro, si ad cætera uulnera, quibus putasti Rem. deleri, hanc quoq; mortiferã plagã inflixisses Auguratus*

a Gabinium & Pisonem intelligit, qui annum Consulatus Cæsaris sequuti sunt.

* præsidentibus

b Redditio periodi.

c Increpatio.

d Argumentatur ex hypothesi per fictionem, ex eo quod futurum erat, si fuisset augur.

e Pompeius & Cæsar.

tui, utrũ decreturus fueris id, quod Augures omnes usq; à Romulo decreuerunt, Ioue fulgente cum populo agi nefas esse, an, quia tu semper sic egisses, auspicia fueris Augur dissoluturus? Ac ne diutius loquar de Auguratu tuo, quod inuitus facio ut recorder ruinas Reip. neq; enim tu unquam stante non modò maiestate horũ, sed etiã urbe, te Augurem fore putasti: uerũtamen ut somnia tua relinquam, ad scelera ueniam, uolo uti mihi respondeas: cùm M. Bibulũ Consulẽ non dicam bene de Rep. sentientem, ne tu mihi homo potẽs irascare, qui ab eo dissensisti: sed hominem certè nusquam progredientẽ, nihil in Rep. molientẽ, tantũ animo ab actionibus tuis dissentientem, [a] *cùm eũ tu Consulẽ in uincla duceres, &* [b] *à tabula Valeria collegæ tui mitti iuberent: fecerísne ante rostra pontem continuatis tribunalibus per quẽ Consul po. Ro. moderatissimus & constãtissimus, sublato auxilio, exclusis amicis, ui perditorũ hominũ incitata turpissimè, miserrimoq; spectaculo non in carcerem, sed ad supplicium & ad necẽ duceretur? quæro, nũ quis ante te tam fuerit nefarius, qui id fecerit? ut sciamus utrũ ueterũ facinorum sis imitator, an inuentor nouorũ. Idemq; tu cùm his atq; huiusmodi consilijs, ac facinoribus, nomine C. Cæsaris clementissimi, atq; optimi uiri, scelere uerò atq; audacia tua, M. Bibulũ foro, Curia, tẽplis, locis publicis omnibus expulisses, inclusum domi cõtineres, cumq; non maiestate Imperij, nõ iure legũ, sed ianuæ præsidio, & parietum custodijs cõsulis uita tegeretur: miserísne Viatorem, qui M. Bibulũ domo ui extraheret, ut quod in priuatis semper est seruatũ, id te Tribuno pl. Cõsuli domus exiliũ esse non posset. simulq; mihi respondeto tu, qui nos, qui de cõmuni salute consentimus, tyrannos uocas, fuerísne non Trib. pl. sed intolerandus ex cæno nescio quo, atq; ex tene-*

a Primo Vatinius conatus est consulem in vincula ducere, nisi à collegis prohibitus fuisset: desin de pontes struxit in foro, ne quis intercedere posset. Nam sæpius actũ fuit magna contẽtione, cum Bibulus Cæsari obnuntiaret.

b Locus erat in foro à tabula ibi dẽ fixa sic dictus.

bris

bris tyrannus? qui primùm eam Remp. quæ auſpicijs inuentis conſtituta eſt, iiſdem auſpicijs ſublatis conarere peruertere: deinde ſanctiſſimas leges, Aeliã & Fuſiam dico, quæ in Gracchorũ ferocitate, & in audacia Saturnini, & in colluuione Druſi, & in contentione Sulpitij, & in cruore Cinnano, & inter Syllana arma uixerunt, ſolus conculcaris, ac pro nihilo putaris: qui Conſulẽ morti obieceris, incluſum obſeaeris, extrahere ex ſuis tectis conatus ſis: qui in eo magiſtratu nõ modò emerſeris ex mẽdicitate, ſed etiam diuitijs nos iam tuis terreas: [a] fuerísne tãta crudelitate, ut delectos uiros, & principes ciuitatis tollere, & delere tua rogatione coneris? Cùm L. Vectium qui in Senatu confeſſus eſſet cũ telo fuiſſe, Cn. Pompeio ſummo & clariſſimo ciui ſuis manibus necẽ afferre uoluiſſe, in cõcionem produxeris, indicẽ in roſtris, in illo, inquam, augurato tẽplo, ac loco collocaris, quò autoritatis exquirendæ cauſa cæteri Tribuni pl. principes ciuitatis producere cõſueuerunt, ibi tu indicem Vectiũ linguã, & uocem ſuam ſceleri, & menti tuæ præbere uoluiſti, ut diceret L. Vectius in concione tua rogatus à te, ſe autores & impulſores, & ſocios habuiſſe ſceleris illius eos uiros, quibus è ciuitate ſublatis, quod tu eo tempore moliebare, ciuitas ſtare non poſſet. [b] M. Bibulum cuius incluſione contentus non eras, interficere uolueras, ſpoliaueras Conſulatu, patria priuare cupiebas: L. Lucullum, cuius tu rebus geſtis, quòd ipſe ad Imperatorias laudes à puero uidelicet ſpectaras, uehemẽtius inuidebas, C. Curionem, perpetuum hoſtem improborum omnium, autorem publici conſilij, libertate communi tuenda maximè liberum, cum filio principe iuuentutis, cum Repub. coniunctiore etiam, quàm ab illa ætate poſtulandum fuit, delere uoluiſti: L. Domitiũ, cuius dignitas, & ſplendor perſtringebat

a Obiicit Vectianum iudicium & rẽ grauiter exaggerat.

b Enumerat eos quibus per Vectium inſidiatus ſit Vatinius: quos intelligat incertũ eſt, niſi quod ſuſpicor ex ſociis Catilinæ fuiſſe, quos L. Paulus accuſatos damnauerit.

gebat credo oculos Vatinij, quem tu propter commune odium in bonos, oderas: in posterum autem propter omniũ spem, quæ de illo est, atq; erat, antè aliquanto timebas: L. Lentulum hunc iudicem nostrum Flaminẽ Martialẽ, quòd erat eo tempore Gabinij tui cõpetitor, eiusdẽ Vectij indicio opprimere noluisti. qui si tum illã labem, pestemq; uicisset, quòd ei tuo scelere non licuit, Resp. uicta nõ esset. Huius etiam filium eodem indicio, & crimine ad patris interitum aggregare noluisti. L. Paulũ, qui tum Quæstor Macedoniam obtinebat, quem ciuẽ? quem uirum? qui duos nefarios patriæ proditores, domesticos hostes legibus exterminarat, hominem ad conseruandam Remp. natum, in idem Vectij indicium, atque in eundem hunc numerum congregasti. Quid ego de me querar, qui etiã grauius tibi agere debeo, quòd me ex fortissimorum ciuium numero seiungendum non putaris? Sed qui fuit ille tantus furor tuus, ut cùm iam Vectius ad arbitriũ tuum peroraſſet, & ciuitatis lumina notasset, descendisseteq; de rostris, eum repentè reuocares, colloquerere populo Rom. uidente? deinde interrogares ecquos nam alios posset nominare? inculcarísne, ut C. Pisonem generum meum nominaret? qui in summa copia optimorum adolescentium, pari continentia, uirtute, pietate reliquit neminem: itémque M. Laterensem hominem dies ac noctes de laude, & de Rep. cogitantem? promulgarísne impurissime, & perditissime hostis[a] quæstionem de tot amplissimis & talibus uiris, indici Vectio præmia amplissima? quibus rebus omnium mortalium non uoluntate, sed cõuicio repudiatis, fregerísne in carcere ceruices ipsi illi Vectio, ne quod indicium corrupti indicij extaret, eiusq; sceleris in te ipsum quæstio flagitaretur?[b] Et quoniam crebro usurpas legem te de alternis consilijs reijciẽdis tulisse: ut

a Iudicium, nempe rogationem, qua iudicium decerneretur.

b Obiicit crudelitatem in C. Antoniũ, quòd cùm Vatinius legem promulgasset, qua dabatur reo alterna reiectio iudicũ, expectasse eũ donec Antonius reus fieret. Deinde legẽ adiecisse, qui post legẽ suã reus factus esset vt hac exceptione Antonium beneficio legis excluderet.

omnes

omnes intelligant te ne rectè quidem facere ſine ſcelere potuiſte, quæro, cùm lex eſſet æqua promulgata initio magiſtratus, multas etiam alias tuliſſes, expectarísne dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum & Qu. Claudium? & poſteaquam ille eſt reus factus, ſtatim tuleris in eum, [a] *qui tuam poſt legẽ reus factus eſſet: ut homo Conſularis excluſus miſer puncto temporis ſpoliaretur beneficio, & æquitate legis tuæ?* [b] *Dices familiaritatem tibi fuiſſe cũ Qu. Maximo. præclara defenſio facinoris tui. nam Maximi quidẽ ſumma laus eſt, ſumptis inimicitiis, ſuſcepta cauſa, quæſitore, conſilioq; delecto, commodiorẽ inimico ſuo cõtentionẽ reiectionis dare noluiſſe: nihilq; Maximus fecit alienũ aut ſua uirtute, aut illis uiris clariſſimis Paulis, Maximis, Africanis: quorum gloriã huius uirtute renouatã non modò ſperamus, uerùm etiam iam uidemus. tua fraus, tuum maleficium, tuum ſcelus illud eſt, te id quod promulgaſſes miſericordiæ nomine, ad crudelitatis tempus diſtuliſſe. Ac nunc quidẽ C. Antonius hac una re miſeriã ſuam cõſolatur, quòd imagines patris & fratris ſui, fratriſq; filiã, non in familia, ſed in carcere collocatas audire maluit, quàm uidere.* [c] *Et quoniã pecunias aliorum deſpicis, de tuis diuitijs intolerãtiſſimè gloriaris, uolo uti mihi reſpondeas, fecerísne fœdera Tribunus ple. cum ciuitatibus, cum Regibus, cũ Tetrarchis? erogarísne pecunias ex ærario tuis legibus?* [d] *eripuerísne partes illo tempore chariſſimas partim à Cæſare, partim à publicanis? Quæ cùm ita ſint, quæro ex te, sísne ex pauperrimo diues factus* [e] *illo ipſo anno, quo lex lata eſt de pecunijs repetundis acerrima? ut omnes intelligere poſſent, à te non modò noſtra acta, quos tyrannos uocas,* [f] *ſed etiam amiciſſimi tui legẽ eſſe contemptam. apud quem tu etiam nos criminari ſo-*

a Verba ſunt exceptionis in lege, quæ poſt legẽ promulgatã adſcripſerat Vatinius.

b Occurrit defenſioni Vatinii. Nã Maximus accuſabat Antonium.

c Oblicit pecuniarum rapinas à Rep.

d Munera ſeu officia quæſtuoſiſſima.

e Caio Cæſare & Marco Bibulo Coſſ. quo Vatinius erat Tribunus plebis.

f C. Cæſarẽ intelligit qui Iuliam legem tulerat de repetundis.

les, qui illi ſumus amiciſſimi, cùm tu ei contumelioſiſſimè toties maledicas, quoties illi affinem te eſſe dicis.[a] Atque illud etiam ſcire ex te cupio, quo conſilio, aut qua mẽte feceris, ut in epulo Qu. Arij familiaris mei cum toga pulla accũberes? quem unquam uideris? quem audieris? quo exemplo, quo more feceris?[b] Dices ſupplicationes te illas non probaſſe. optimè. nullæ fuerint ſupplicationes. uidésne me nihil de anni illius cauſa, nihil de eo, quod tibi cum ſummis uiris commune eſſe uideatur, ſed de tuis propriis ſceleribus ex te quærere? nulla ſupplicatio fuerit. cedò, quis nũquam cœnauit atratus? ita enim illud epulum eſt funebre, ut munus ſit funeris, epulæ quidem ipſæ dignitatis. Sed omitto epulum populi Rom. feſtum diem, argento, ueſte, omni apparatu, ornatuq3 uiſendo: quis unquam in luctu domeſtico, quis in funere familiari cœnauit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla unquam data eſt? cùm tot hominum millia accumberent, cùm ipſe epuli dominus Qu. Arius albatus eſſet, tu in templum Caſtoris te cum C. Fidulo atrato, cæteriſq3 tuis furijs funeſtum intuliſti, quis tum non ingemuit? quis non doluit Reipub. caſum? quis ſermo alius in illo epulo fuit, niſi hanc tantam & tam grauem ciuitatem ſubiectam eſſe non modò furori, uerùm etiam irriſioni tuæ? Hunc tu morem ignorabas? nunquam epulum uideras? nunquam puer aut adoleſcens inter* coquos fueras? Fauſti adoleſcẽtis nobiliſſimi paulò antè ex epulo magnificentiſſimo famem illam ueterem tuam non expleras? quem accumbere atratum uideras, dominum cum toga pulla & eius amicos ante conuiuium? quæ te tanta tenuit amentia, ut tu niſi id feciſſes, quod fas non fuit, niſi uiolaſſes templum Caſtoris: nomen epuli, oculos ciuiũ, morẽ ueterẽ, eius qui te inuita-

rat

a Obiicit inciuile facũ, & contumeliam in Q. Arium, quod in epulo eius ſolenni cum toga pulla accubuerit.

b Occurrit defenſioni.

*coquos

rat autoritatem, parum putares testificatum esse, supplicationes te illas non putare? [a] Quæro illud etiam ex te, quod priuatus admisisti: in quo certè iam tibi dicere non licebit, cum clarissimis uiris causã tuam esse coniunctam: postulatúsne sis lege Licinia & Iulia? edixeritne C. Memmius Prætor ex ea lege, ut adesses die tricesimo? cùm is dies uenisset, fecerísne, quod in hac Rep. non modò factum antè nunquam est, sed in omni memoria sit inauditũ? appellarísne Tribunos plebis, ne causã diceres? leuius dixi: quanquã idipsum esset & nouũ & non ferendũ, sed appellarísne nominatim pestẽ illius anni, furiam patriæ, tẽpestatẽ Reip. Clodiũ? qui tamẽ cùm iure, cùm more, cùm potestate iudiciũ impedire non posset, rediit ad illam uim & furorẽ suum, ducémq; se militib tuis us præbuit. [b] In quo ne quid à me dictũ in te potius putes, quàm abs te esse quæsitum, nullum onus imponam mihi testimonii: quæ mihi breui tẽpore ex eodẽ isto loco uideo esse dicenda, seruabo, téq; non arguã, sed ut in cæteris rebus feci, rogabo. Quæro ex te Vatini, num quis in hac ciuitate post urbẽ conditã Tribunos pl. appellarit, ne causam diceret? num quis reus in tribunal sui quæsitoris ascẽderit, eúmq; ui deturbarit? subsellia dissiparit? urnas deleuerit? eas denìq; omnes res in iudicio disturbando cõmiserit, quarum rerũ causa iudicia sunt constituta? sciásne tum fugisse Mẽmium? accusatores esse tuos de tuis tuorúmq; manibus ereptos? Iudices quæstionum de proximis Tribunalibus esse depulsos? in foro, in luce, inspectãte populo Romano quæstionẽ, magistratus, morem maiorum, leges, iudices, *scelerum pœnam esse sublatã? hæc omnia sciásne diligẽtia C. Memmij publicis tabulis esse notata atq; testata? [c] Atq; illud etiam quæro, quòd posteà quàm ex postulatus, ex legatione redieris, ne

a Obiicit quod cum reus esset, iudicium uidistur barit.

b κατ' ἀπόφασιν, quod dixit probat suo testimonio.

*reum, pœnam

c Amplificat ex libidine peccandi.

quis te iudicia defugere arbitraretur: teq; cùm tibi utrũ nelles liceret, dictitaris causam dicere maluisse, qui cõsentaneum fuerit, cùm legationis perfugio uti noluisses, appellatione improbissima te ad auxiliũ nefarium cõfugisse? [a] *Et quoniam legationis tuæ facta mentio est, uolo etiã audire de te, quo tandem Senatusconsulto legatus sis? de gestu intelligo, quid respondeas: tua lege dicis. ésne igitur patriæ certissimus parricida? speráſne id, ut Patres conscripti ex Rep. funditus tollerentur? ne hoc quidem Senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex eius ordinis autoritate legarentur? adeóne tibi sordidum consilium publicum uisum est? adeò afflictus Senatus, adeò misera & prostrata Respublica, ut non nuntios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilij autores, non ministros muneris prouincialis Senatus more maiorum deligere posset? eripueras Senatui prouinciæ decernendæ potestatem, Imperatoris deligendi iudicium, ærarij dispensationem: quæ nunquã sibi populus Ro. appetiuit, qui nunquàm hæc à summi consilij gubernatione auferre conatus est.* [b] *Agè, factum est horum aliquid in aliis, rarò, sed tamẽ factum est, ut populus deligeret Imperatorem. quis legatos unquam audiuit sine Senatusconsulto? ante te nemo: pòst cõtinuò fecit idem in duobus prodigiis Reip. Clodius: quò etiam maiore es malo mactandus, quòd non solùm facto tuo, sed etiam exemplo Remp. uulneraſti: neq; tantùm es improbus ipſe, ſed etiam alios docere uoluiſti.* [c] *Atq; illud etiam audire à te cupio. quare, cùm ego legem de ambitu ex S. C. tulerim ſine ui tulerim, ſaluis auſpiciis tulerim, ſalua lege Aelia & Fuſia, tu eam eſſe legem non putes: præſertim cùm ego legibus tuis, quoquo modo latæ ſint, paream. Cùm mea lex dilucidè uetet, biennio, quo quis petat, petiturúſue*

a Obiicit quod non legitimo iure legatus factus ſit. fuerat autem legatus C. Conſidio in Hiſpaniã, ut ſupra dictum eſt, non ſenatuſconſulto, ut mos erat, ſed ſua ipſius lege, qua etiam C. Cæſari imperium per Galliã tranſalpinam & Illiricũ in quinquenniũ dederat.

b Remittit quod exaggerauit, ne fit acrior in abſentem Cæſarem, & ad alterũ reuertitur.

c Obiicit quod contra legẽ Tulliam gladiatores det populo. Nam petebat tum prætura Vatinius Cn. Lentulo, L. Philippo Coſs. quo anno hæc cauſa acta eſt, ante cõſulatũ Craſſi & Pompeii, quo tẽpore Cæſar in Gallia bellum gerebat.

turúſue ſit, gladiatores dare, niſi ex teſtamento præſtituta die quæ tanta in te ſit amentia, ut in ipſa petitione gladiatores audeas dare? num quem putes illius tui certiſſimi gladiatoris ſimilem Tri.pl. poſſe reperiri, qui ſe interponat, quò minus reus mea lege fias? [a] Ob haſce omnes res ſcias te ſeuerissimorum hominum Sabinorum, fortiſſimorum uirorum, Marſorum & Pelignorum, tribulium tuorum, iudicio notatum, [b] nec poſt Romam conditam præter te tribulem, quenquam tribum Sergiã perdidiſſe. Ac ſi hæc omnia contemnis ac deſpicis, quòd ita tibi perſuaſeris, ut palàm dictitas, te diis hominibúſque inuitis, amore in te incredibili quodam C. Cæſaris, omnia quæ uelis conſecuturum: ecquid audieris, ecquiſnam tibi dixerit, C. Cæſarem nuper Aquileiæ, cùm de quibuſdam eſſet mentio facta, dixiſſe C. Alfium præteritum permoleſtè tuliſſe, q̃ in homine ſummam fidem probitatémq̃ cognoſſet: grauitérq̃ etiam ſe ferre Prætorẽ aliquẽ eſſe factum, qui à ſuis rationibus diſſenſiſſet: tum quæſiſſe quendam, de Vatinio quemadmodum ferret: ipſum reſpondiſſe, Vatinium in Tribunatu gratis nihil feciſſe: qui omnia in pecunia poſuiſſet, honore animo æquo carere debere? [c] Quòd ſi ipſe, qui te ſuæ dignitatis augendæ cauſa, periculo tuo, nullo ſuo delicto ferri præcipitem eſt facilè paſſus, tamen te omni honore indigniſſimum iudicat: ſi te uicini, ſi tribules ita oderunt, ut repulſam tuam triumphum ſuum duxerint: ſi nemo aſpicit, quin ingemiſcat, nemo mentionem facit, quin execretur: ſi uitant, fugiunt, audire de te nolunt: cùm uiderunt, tanquam auſpicium malum deteſtantur: ſi cognati reſpuũt, tribules execrantur, uicini metuunt, affines erubeſcunt: * ſi Roma denique ab ore improbo demigrarunt, & aliis iam ſe locis collocarunt: ſi es odium publicum

[a] Concludit obiectionem præcedentem.

[b] Intelligit comitia Prætorum aliquoties habita fuiſſe, propter ſtudia Craſſi & Pompeii contra Catonẽ qui cum Vatinio petebat. Vide Plutarchũ in vita Catonis.

[c] Concludit vehemẽter & exaggerat.

* ſtrumæ denique

populi, Senatus, uniuersorum hominum: quid est, quam ob rem Præturam potius exoptes, quàm mortem? præsertim cùm popularem te uelis esse, neque ulla in re populo gratius facere possis. Sed ut aliquando audiamus quàm copiosè ad interrogata respondeas, cõcludam iam interrogationem meam, téque in extremo pauca de ipsa causa rogabo.[a] *Quæro quæ tanta in te uanitas, tanta leuitas fuerit, ut in hoc iudicio T. Annium iisdem uerbis laudares, quibus eum laudare & boni uiri & boni ciues consueuerunt, cùm in eũdem nuper ab eadem illa teterrima furia productus ad populum cupidissimè falsum testimonium dixeris? An erit hæc optio, & potestas tua, ut cùm Clodianas operas & facinorosorum hominum, & perditorum manum uideris, Milonem dicas, id quod in concione dixisti,*[b] *gladiatoribus & bestiarijs obsedisse Remp. cùm autem ad tales uiros ueneris, non audeas ciuem singulari uirtute, fide, constantia uituperare?*[c] *Sed cùm T. Annium tantopere laudes, & clarissimo uiro nonnullam laudatione tua labeculam aspergas (in illorũ enim numero mauult T. Annius esse qui à te uituperantur) uerùm etiam quæro, cùm in Repu. administranda T. Annio cum P. Sestio consiliorum omnium societas fuerit (id quod non solùm bonorũ, uerùm etiam improborum iudicio declaratum est. est enim reus uterq; ob eandem causam, & eodem crimine: alter die dicta ab eo, quem tu unũ improbiorem esse, quàm te, nunquam soles confiteri: alter tuis consiliis, illo tamen adiuuante) quæro quî possis eos, quos crimine cõiungis, testimonio disiungere.*[d] *Extremum illud est quod mihi abs te responderi uelim: cùm multa in Albinouanũ de præuaricatione diceres, dixeríne, nec tibi placuisse, nec oportuisse Sestiũ de ui reũ fieri? quauis lege, quouis crimine accusari*

a Arguit inconstantiam testimonii, quod quem ante laudauit nũc testimonio lædere conatus sit.

b Qui cum bestiis in arena depugnabant.

c Negat separari oportuisse, quorũ causa eadẽ sit.

d Alia inconstantia testimonii q̃ cum in singulari præuaricatione Albinouani voluerit verè accusari Sestiũ, negarit de ui eũdem accusandum fuisse.

accusandum potius fuisse? etiam illud dixeris, causam Milonis fortissimi uiri coniunctam cum hoc existimari? quæ pro me à Sestio facta sint, bonis esse grata? Non coarguo inconstantiam orationis ac testimonij tui. Quas enim huius actiones probatas bonis esse dicis, in eas pluribus uerbis testimonium dixisti: qui cùm autem eius causam periculúmque coniungis, eum summis laudibus extulisti. Sed hoc quæro, num P. Sestium qua lege accusandum omnino fuisse negas, ea lege condemnari putes oportere? aut si te in testimonio cõsuli nolis, ne quid tibi autoritatis à me tributum esse uideatur, dixerísne in eum testimonium de ui, quem negaris reum omnino de ui fieri debuisse?

PRO M. CAELIO.

ORATIO XXXV.

SI [a] QVIS *Iudices fortè nũc adsit ignarus legum, iudiciorum, consuetudinis nostræ: miretur profectò, quæ sit tanta atrocitas huiusce causæ, q̃ diebus festis, ludísq̃ publicis, omnibus negotiis forensibus intermissis, [b] unũ hoc iudiciũ exerceatur, nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur, ut eo neglecto, ciuitas stare non possit. [c] Idem cùm audiat esse legẽ, quæ de seditiosis consceleratísq̃ ciuibus, qui armati Senatum obsederint, magistratibus uim attulerint, Rẽp. oppugnarint, quotidie quæri iubeat: legẽ nõ improbet, crimẽ quod uersetur in iudicio, requirat. cùm audiat nullũ facinus, nullã audaciam, nullã uim in iudicium uocari: sed adolescẽtem illustri ingenio, industria, gratia, accusari ab eius filio, quem ipse in iudicium & uocet, & uocarit, oppugnari autem*

a Extenuatio criminis. Schema est παράδοξον à tempore: scilicet alieno tẽpore rem tam leuẽ agi.

b Nota orationẽ pleno & longiore verbo esse finitam.

c Interpretatio.

*Atratini a Transitio.

autem hunc opibus meretriciis:*[a] Atracini illius pietatẽ non reprehendat, muliebrem libidinem comprimendam putet,[b] uos laborioſos exiſtimet, quibus otioſis ne in communi quidem otio liceat eſſe.[c] Etenim ſi attendere diligenter, exiſtimare uerè de omni hac cauſa uolueritis, ſic conſtituetis Iudices, nec deſcenſurum quenquã ad hanc accuſationem fuiſſe, cui utrum uellet, liceret: nec cũ deſcendiſſet, quicquam habiturum ſpei fuiſſe, niſi alicuius intolerabili libidine & nimis acerbo odio niteretur. ſed ego Atracino humaniſſimo atq; optimo adoleſcenti meo neceſſario ignoſco, qui habet excuſationem uel pietatis, uel neceſſitatis, uel ætatis. ſi uoluit accuſare, pietati tribuo: ſi iuſſus eſt, neceſſitati: ſi ſperauit aliquid, pueritiæ: cæteris non modò nihil ignoſcendum, ſed etiam acriter eſt reſiſtendum.[d] Ac mihi quidem uidetur Iudices hic introitus defenſionis, adoleſcentiæ M. Cælij maximè cõuenire, ut ad ea, quæ accuſatores deformandi huius cauſa detrahendæ ſpoliandæq; dignitatis gratia dixerunt, primum reſpondeam. Obiectus eſt pater uariè, quòd aut parum ſplendidus ipſe, aut parũ piè tractatus à filio diceretur. de dignitate Cælius notis ac maioribus natu etiã ſine mea oratione tacitus facilè ipſe reſpondet. quibus autem propter ſenectutem, q; iandiu minus in foro nobiſcum uerſatur, nõ æquè eſt cognitus, hi ſic habeant: quæcunq; in equite Romano dignitas eſſe poſſit, quæ certè poteſt eſſe maxima, eam ſemper in M. Cælio habitam eſſe ſummam, hodiéq; haberi, non ſolum à ſuis, ſed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliqua de cauſa eſſe notus. Equitis autem Romani eſſe filiũ, criminis loco poni ab accuſatoribus, neq; his iudicantibus oportuit, neq; defendentibus nobis. Nam quod de pietate dixiſtis, eſt quidem iſta noſtra exiſtimatio, ſed iudicium certè parentis. quid

b Diſtributio partitur negotium in plures perſonas. Hic tibi videndum eſt quàm cõmodè & quàm concinnè ad hunc uſque locũ omnia ex prima illa periodo deriuentur omniáq; eo tẽdant.

c Aetiologia quare fit Atrocino ignoſcendum.

d Propoſitio. In cauſarum generibus aliud ex alio nonnunquã mutuatur. Nam in demonſtratiuum nonnunquã excuſatio incidit, vt in Camilli cauſam, eũ fœdus ſine dictatore ſanciti erat: ita hac in cauſa quædam mutuatus eſt ex genere demonſtratiuo. Multa enim de perſona dicit, Proponit autẽ excuſationes quaſdã principali negotio. Nam aduerſarii atrociter erant in Cælium inuecti, multa in illũ coniecerant crimina quæ ad perſonã illius pertinebãt, nihil ad cauſam ueneficii. Illa cõfutat, & tollit antequã ad cauſæ caput accedat.

nos opi

nos opinemur, audietis ex iuratis: quid parentes sentiãt, lacrymæ matris, incredibilísq; mœror, [a] squalor patris, & hæc præsens mœstitia, quam cernitis, luctúsq; declarat. [b] Nam quod est obiectum, municipibus esse adolescentẽ non probatum suis: nemini unquam præsenti Puteolani maiores honores habuerunt, quàm absenti M. Cælio: quem & absentem in [c] amplissimũ ordinem cooptarunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt: iidémq; nũc lectissimos uiros, & nostri ordinis, & Equites Ro. cum legatione ad hoc iudicium, & cum grauissima, atq; ornatissima laudatione miserunt. [d] Videor mihi iecisse fundamenta defensionis meæ: quæ firmissima sunt, si retinentur iudicio suorum. neq; enim uobis satis commendata huius ætas esse posset, si non modò parenti tali uiro, uerùm etiã municipio tam illustri ac tam graui displiceret. equidem, ut ad me reuertar, ab his fontibus profluxi ad hominum famam: & meus [e] hic forensis labor, uitæq; ratio dimanauit ad existimationẽ hominum paulò latius commendatione ac iudicio meorum. Nam quod obiectum est de pudicitia, quódq; omnium accusatorum non criminibus, sed uocibus maledictísque celebratum est, id nunquã tam acerbè feret M. Cælius, ut eum pœniteat non deformem esse natum. sunt etenim ista maledicta peruulgata in omnes, quorũ in adolescentia forma, & species fuit liberalis. sed aliud est maledicere, aliud accusare. accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet. maledictio antẽ mihil habet propositi, præter contumeliam: quæ si petulantius iactatur, cõuicium: si facetius, urbanitas nominatur. Quam quidem partẽ accusationis admiratus sum, & molestè tuli potissimũ esse Atracino datam. neq; enim decebat, neq; ætas illa postulabat, neque

a Illustre verbũ. squalor sordidè vestiri significat: inde sordidati dicuntur.

b Secũdus locus de municipibus.

c Scilicet decurionum. Nam in oppidis paruis decuriones erant id quod Senatores Romæ, & duumuiri id quod consules Romæ.

d Epiphonema assurgit nonnihil quanquam parcè & modicè. Est autem Epiphonema accõmodatio causæ ad communẽ sententiam quæ valde orationem adiuuat, multúmque lucis, & grauitatis addit. Dicit autem hîc multum referre Cæliũ esse probatum suis. Nam quẽ sui nõ probant, multo minus potest esse probatus aliis.

e συγγνωμικὸν idem dicit, sed aliis verbis.

neq; id quod animaduertere poteratis, pudor patiebatur optimi adoleſcẽtis, in tali illum oratione uerſari. Vellem aliquis ex nobis robuſtioribus hunc maledicendi locum ſuſcepiſſet: aliquanto liberius, & fortius, & magis more noſtro refutaremus iſtam maledicendi licentiam. tecum Atracine agam leuius, quòd & pudor tuus moderatur orationi meæ: & meum erga te, parentémq; tuum beneficium tueri debeo. illud tamen te eſſe admonitum uolo: primum qualis es, talem te eſſe exiſtimes: ut quantum à rerum turpitudine abes, tantum te à uerborum libertate ſeiungas: deinde ut ea in alterum ne dicas, quæ cùm tibi falſò reſponſa ſint, erubeſcas. quis eſt enim, cui uia iſta non pateat? qui iſti ætati non poſſit quàm uelit petulanter, etiã ſi ſine ulla ſuſpicione, at non ſine argumento maleaucere? [a] Sed iſtarũ partium culpa eſt eorũ, qui te agere noluerunt: laus pudoris tui, q; ea te inuitum dicere uidebamus: ingenij, q; ornate politéq; dixiſti. [b] Verùm ad iſtã omnem orationem breuis eſt defenſio. nam quoad ætas M. Cælij dare potuit iſti ſuſpicioni locum, fuit. primùm ipſius pudore, deinde etiam patris diligentia diſciplináq; munita: qui ut huic uirilem togam dedit, nihil dicã hoc loco de me: tantum ſit, quantũ uos exiſtimatis: hoc dicã, hunc à patre continuò ad me eſſe deductum. nemo hunc M. Cælium in illo ætatis flore uidit, niſi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Craſſi caſtiſſima domo, cùm artibus honeſtiſſimis erudiretur. [c] Nam q; Catilinæ familiaritas obiecta Cælio eſt, longe ab iſta ſuſpicione abhorrere debet. hoc enim adoleſcẽte ſcitis Conſulatum mecũ petiſſe Catilinam. ad quem ſi acceſſit, aut ſi à me diſceſſit unquam, quanquam multi boni adoleſcẽtes illi homini nequam, atq; improbo ſtuduerunt, tũ exiſtimetur Cælius Catilinæ nimiũ familiaris fuiſſe. [d] At enim poſtea ſcimus,

a Tranſlatio criminis.

b Argumentum à circunſtantiis, quod in coniecturis fieri ſolet.

c Scilicet crimẽ de familiaritate Catilinæ. Diluit hoc crimen ignis, loco & tempore. Fuit apud me tum, cum mihi fuit acerrimũ certamen cũ Catilina: ergo non eſt uerſimile huic illũ fauiſſe.

d Conceſſione utitur, deinde excuſat hoc ſtudium.

ſcimus, & uidimus eſſe hunc in illius amicis. quis negat? ſed ego illud tempus ætatis, quod ipſum ſua ſponte infirmum, aliorum libidine infeſtũ eſt, id hoc loco defendo. fuit aſſiduus mecum Prætore me: non nouerat Catilinã: Africãtum Prætor ille obtinebat: ſecutus eſt annus, cauſam de pecuniis repetundis Catilina dixit: mecum erat hic, illi ne aduocatus quidem uenit unquã. deinceps fuit annus, quo ego Cõſulatum petiui: petebat Catilina mecum: nunquam ad illum acceſſit, à me nunquam receſſit. Tot igitur annos uerſatus in foro ſine ſuſpicione, ſine infamia, ſtuduit Catilinæ iterum petenti. [a] *quem ergo ad finem putas cuſtodiendam illam ætatem fuiſſe? Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibẽdum brachium toga conſtitutus, & ut exercitatione ludóque campeſtri tunicati uteremur. eadémq; erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cœperamus, caſtrenſis ratio ac militaris. qua in ætate niſi quiſe ipſe ſua grauitate, & caſtimonia, & cũ diſciplina domeſtica, tum etiã naturali quodã bono defenderet, quo quoquo modo à ſuis cuſtoditus eſſet, tamen infamiam ueram effugere non poterat. Sed qui prima illa initia ætatis integra, atq; inuiolata præſtitiſſet, de eius fama ac pudicitia, cùm is iam ſe corroborauiſſet, ac uir inter uiros eſſet, nemo loquebatur.* [b] *Studuit Catilinæ cùm iam aliquot annos eſſet in foro Cælius. & multi hoc idem ex omni ordine, atq; ex omni ætate fecerũt. habuit enim ille, ſicuti meminiſſe uos arbitror, permulta maximarũ non expreſſa ſigna, ſed adumbrata uirtutum. utebatur hominibus improbis multis: & quidem optimis ſe uiris deditum eſſe ſimulabat. erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli, ac laboris. flagrabant uitia libidinis apud illum: uigebant etiam ſtudia rei militaris.* [c] *neque ego unquã fuiſſe tale monſtrum*

a Cœpit diluere à ſimilitudine qua ad ætatem tranſit, potuiſſe eũ eſſe apud Catilinam ſine ſuſpicione.

b Secundo excluſit Catilinæ conſuetudinẽ pugnationis. Purgat verò illum contentione uitiorũ & uirtutum. Locus ille conſtat miris antitheſibus, quib⁹ umbræ uirtutum Catilinæ deſcribuntur: quas ita fuiſſe dicit ut cautè imponere potuerint. Ille locus eſt valde illuſtris & habet figuras quàm plurimas, ut prope poemati ſit ſimilis. In magnis viris magnæ virtutes & magna vitia naſcuntur.

c Epiphonema.

monſtrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diuerſiſq; inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibúſq; conflatum. Quis clarioribus uiris [a] *quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuis meliorũ partium aliquando? quis tetrior hoſtis huic ciuitati? quis in uoluptatibus inquinatior? quis in laboribus patiẽtior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effuſior? Illa uerò Iud. in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obſequio, cum omnibus communicare quod habebat, ſeruire temporibus ſuorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audacia: uerſare* [b] *ſuam naturam, & regere ad tempus, atq; huc, & illuc torquere & flectere: cum triſtibus ſeuerè, cum remiſſis iucundè: cum ſenibus grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxuriosè uiuere. Hac ille tam uaria multiplicíq; natura, cũ omneis omnibus ex terris homines improbos audacéſq; collegerat: tum etiam multos forteis uiros & bonos ſpecie quadam uirtutis aſſimulatæ tenebat. neq; unquam ex illo delendi huius imperij tam ſceleratus impetus extitiſſet, niſi tot uitiorum tanta immanitas quibuſdã facilitatis, & patientiæ radicibus niteretur. Quare iſta cõditio Iudices reſpuatur, nec Catilinæ familiaritatis crimen hæreat. eſt enim cõmune cum multis, & cum quibuſdam etiam bonis.* [c] *me ipſum, me, inquã, quondã penè ille decipit, cùm & ciuis mihi bonus, & optimi cuiuſque cupidus, & firmus amicus, & fidelis uideretur. cuius ego facinora* [d] *oculis prius, quàm opinione, manibus antè, quàm ſuſpicione deprehendi. cuius in magnis cateruis amicorũ, ſi fuit etiam Cælius, magis eſt ut ipſe moleſtè ferat erraſſe ſe, ſicut & nonnunquam in eodem homine me quoque erroris mei pœnitet, quàm ut*

a i. Syllanis temporibus fuit ſemper gratus Syllæ qui optimates in Repub. defendit. Tribuit vbique Catilinæ contraria ſtudia.

b i. potuit eſſe ſui diſſimilis. Oportet in amicitia, polypum agere.

c Allegat ſuum exemplum.

d ὑπερβολή.

istius amicitiæ crimẽ reformidet.[a] *Itaq; à maledictis pudicitiæ ad coniurationis inuidiam oratio est uestra delapsa. posuistis enim, atq; id tamen titubanter, & strictim, coniurationis hunc propter amicitiam Catilinæ participem fuisse: in quo non modò crimen non hærebat, sed uix diserti adolescentis cohærebat oratio. Qui enim tantus furor in Cælio? quod tantum aut in moribus,*[b] *naturáq; uulnus, aut in re atq; fortuna? ubi denique in ista suspicione est Cælij nomen auditum? Nimium multa de re minimè dubia loquor:*[c] *hoc tamen dico, non modò si socius coniurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris fuisset, nunquam coniurationis accusatione adolescentiam suã potissimùm commendare uoluisset.*[d] *quod, haud scio, an de ambitu, & de criminibus istius sodalium ac sequestrium, quoniam huc incidi, similiter respondendum putem. nunquam enim tam Cælius amens fuisset, ut si se isto infinito ambitu commaculasset, ambitus*[e] *alterũ accusaret. neq; enim eius facti in altero suspicionem quæreret, cuius ipse sibi perpetuam licentiam optaret: nec si sibi semel periculum ambitus subeundum putaret, ipse alterum iterum ambitus crimine arcesseret. quod quanquam nec sapienter, & me inuito facit, tamen est eiusmodi cupidus, ut magis insectari alterius innocentiam, quàm de se timidè cogitare uideatur. Nam q; as alienũ obiectum est, sumptus reprehensi, tabulæ flagitatæ: uidete quàm pauca respondeam. tabulas qui in patris potestate est, nullas conficit: uersuram nunquam omnino fecit ullam. Sumptus unius generis obiectus est, habitationis: triginta millibus dixistis eum habitare. nũc demum intelligo P. Clodij insulam esse uenalẽ, cuius hic in ædiculis habitet, decem ut opinor millibus: uos autem, dum illi placere uultis, ad tẽpus ei mendacium uestrum accõmodauistis.*

a Transitio ad sextum crimen, Non fuisse inter coniuratos. Aduersarii hãc partem breuiter attigerant, quamobrẽ etiam breuiter diluit. Primũ argumentum accipit à natura Cælii, & istud in Rhetoricis probabile dicitur. Est adolescẽs moderati ingenii: quare non est verisimile eum tantũ scelus potuisse concipere.

b Graue est hoc: mens sibi malè cõscia, solet eiusmodi designare.

c Secundum argumentũ à simili & ambiguo: Accusauit coniuratos: ergo non est verisimile eum cum coniuratis sensisse.

d Alius locus de ambitu.

e Scilicet patrẽ Atracini. Accusat alium, ergo sibi non est malè cõscius. Argumentum est à signo.

dauiſtis. Reprehendiſtis à patre quòd ſemigrarit. quod quidem iam in hac ætate minimè reprehendendum eſt. qui cùm ex Reip. cauſa eſſet, mihi quidem moleſtã, ſibi tamen glorioſam uictoriam conſecutus, & per ætatẽ magiſtratus petere poſſet, non modò permittente patre, ſed etiam ſuadente, ab eo ſemigrauit: & cùm domus patris à foro longè abeſſet, quo facilius, & noſtras obire domos, & ipſe à ſuis coli poſſet, conduxit in Palatio non magno domũ. [a] *Quo loco poſſum dicere id, quod uir clariſſimus M. Craſſus, cũ de aduentu Regis Ptolemæi quereretur, paulò antè dixit,* [b] *Vtinã ne in nemore Pelio. ac longius quidem mihi cõtexere hoc carmen liceret. nam nunquã hera errans hanc moleſtiã nobis exhiberet, Medea animo ægra, amore ſæuo ſaucia. Sic enim Iudices reperietis, quod, cùm ad id loci uenero, oſtendã, hanc Palatinã Medeam, migrationémq; huic adoleſcenti cauſam ſuæ malorum omnium, ſiue potius ſermonũ fuiſſe.* [c] *Quam obrem illa, quæ ex accuſatorũ oratione præmunirã & fingi intelligebam, fretus ueſtra prudentia Iud. non pertimeſco. Aiebant enim fore teſtem Senatorẽ, qui ſe Pontificiis comitiis pulſatum à Cælio diceret. à quo quærã, ſi prodierit: primùm cur ſtatim nihil egerit? deinde ſi id quæri quàm agere maluerit, cur productus à nobis potius, quàm ipſe per ſe? cur tanto pòſt potius, quàm continuò, quæri maluerit? ſi mihi ad hæc acutè argutéque reſponderit, tum quæram denique, ex quo iſte fonte Senator emanet? nam ſi ipſe orietur, & naſcetur ex ſeſe, fortaſſe, ut ſoleo, commouebor: ſinautem ut riuulus, accerſitus, & ductus ab ipſo capite accuſationis ueſtræ, lætabor, cùm tanta gratia, tantíſque opibus accuſatio ueſtra nitatur, unum Senatorẽ ſolum eſſe, qui uobis gratificari uellet, inuentum. Nec tamen illud genus alterum noctur-*

a καιρος & occaſio totius negotii.

b Illi verſiculi extãt in libris ad Herennium, de vitioſis argumẽtis. Nam hoc eſt longius petitum argumẽtum. Detorquet enim verſiculos illos Craſſus ex veteri poemate, ad cauſam Ptolomei regis. Vult hic dicere illas ædes eſſe occaſiones omnium malorum Cælio. Nam hæc domus omnium malorũ occaſiõ fuit. quia non procul erat à Clodia, & per eam cœpit innoteſcere Clodiæ, &c. Porrò quæ ſequũtur, ſunt ex eodem poemate petita, ſeu Ennii ſiue Pacuuii.

c Nouum crimen quod diluit dilẽmate.

norum

norum testium pertimesco. est enim dictum ab illis, fore qui dicerent uxores suas à cœna redeunteis attrectatas esse à Cælio. graues erunt homines, qui hoc iurati dicere audeant: cum sit his consitendũ nunquam se ne cõgressu quidem, & constituto cœpisse de tantis iniuriis experiri. [a] Sed totum genus oppugnationis huius Iud. & iã prospicitis animis, & cùm inferetur, propulsare debebitis. [b] non enim ab iisdem accusatur M. Cælius, à quibus oppugnatur. palàm in eum tela iaciuntur, clàm submini-strãtur. Neq; id ego dico, ut inuidiosum sit in eos, quibus glorioſum hoc etiam esse debet. funguntur officio: defendunt suos, faciunt quod uiri fortissimi solent, læsi dolent, irati efferuntur, pugnant lacessiti. sed uestræ sapientiæ tamen est Iudices, non, si causa iusta est uiris fortibus oppugnandi M. Cælium, ideo uobis quoq; uos causam putare esse iustam alieno dolori potius, quàm uestræ fidei consulendi. [c] Quæ sit multitudo in foro, quæ genera, quæ studia, quæ uarietas hominũ, uidetis: ex hac copia quàm multos esse arbitramini, qui hominibus potentibus, gratiosis, disertis, cùm aliquid eos uelle arbitrentur, ultro se offerre soleant, operam nauare, testimonium polliceri? hoc ex genere si qui se in hoc iudicium fortè proiecerint, excluditote eorum cupiditatem Iud. sapientia uestra: ut eodem tempore huius saluti, & religioni uestræ, & contra periculosissimas hominum potentias conditioni omnium ciuium prouidisse uideamini. [d] Equidem uos abducam à testibus: neque huius iudicij ueritatem, quæ mutari nullo modo potest, in uoluntate testium collocari sinam, quæ facillimè effingi, nullo negotio flecti ac detorqueri potest. argumentis agemus: signis omni luce clarioribus crimina refellemus: res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione pugnabit. Itaque illam

a Epilogus.

b Nã accusatur ab Atracino & oppugnatur à Clodianis.

c Facit verisimile quod dixerat, illos cõductitios esse à Clodianis.

d Transitio, qua respõdet Clodianæ contentioni.

partẽ causæ facilè patior grauiter, & ornatè à M. Crassso peroratam, de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, & de bonis Pallæ. uellem dictum esset ab eodem etiam [a] de Dione. de quo ipso tamen quid est, quod expectetis, quod is qui fecit, aut nõ timet, aut etiam fatetur? etenim reus, qui dictus est & adiutor fuisse, & conscius, P. Ascitius, is iudicio est liberatus. quod igitur est huiusmodi crimẽ, ut qui commisit, non neget: qui non negauit, absolutus sit: id hic pertimescat, qui non modò à facto, uerùm etiam à conscientiæ suspicione abfuit? & si Ascitio causa plus profuit, quàm nocuit inuidia, huic oberit tuum maledictum, qui istius facti non modò non suspicione, sed ne infamia quidẽ est aspersus? [b] At prænaricatione est Ascitius liberatus. perfacile est isti loco respondere, mihi præsertim, à quo illa causa defensa est. sed Cælius optimã causam Ascitij esse arbitratur: cuiusmodi autem sit, à sua putat esse seiunctam: neque solùm Cælius, sed etiam adolescentes humanissimi, & doctissimi, rectissimis studiis, atq; optimis artibus præditi, Titus Caiiusq; Coponij, qui ex omnibus maximè Dionis mortem doluerũt, qui cùm doctrinæ studio, atque humanitatis, tum etiam hospitio Dionis tenebantur. habitabat is apud L. Luceium, ut audistis: fuerat ei cognitus Alexandriæ. quid aut hic, aut summo splendore præditus frater eius, de M. Cælio existimet, ex ipsis, si producti erunt, audietis. Ergo hæc remoueantur, ut aliquando in quibus causa nititur, ad ea ueniamus. Animaduerti enim Iudices, audiri à uobis meum familiarem L. Herennium perattentè. in quo etsi magna ex parte ingenio eius, & dicendi genere quodã tenebaminini: tamen nonnunquam uerebar, ne illa subtiliter ad criminandum inducta oratio animos uestros sensim ac leniter

accen

a Obiter perstringit causam de cæde Dionis.

b i. corrupto iudicio.

accenderet. dixit enim multa de luxuria, multa de libidine, multa de uitiis iuuẽtutis, multa de moribus: & qui in reliqua uita mitis esset, & in hac suauitate humanitatis, qua propè iam delectantur homines, uersari periucundè soleret, fuit in hac causa pertristis quidã patruus, Cẽsor, magister: obiurgauit M. Cælium, sicut neminem unquam parens: multa de incontinentia, intemperantiáque disseruit. Quid quæritis Iudices? ignoscebam uobis attentè audientibus, propterea quòd egomet tam triste illud, & tam asperum genus orationis horrebam. Ac prima pars fuit illa, quæ me minus mouebat, fuisse meo necessario Bestiæ Cælium familiarem, cœnasse apud eũ, uentitasse domum, studuisse Præturæ. non me hæc mouent, quæ perspicuè falsa sunt. etenim eos unà cœnasse dicit, qui aut absunt, aut quibus necesse est idem dicere. Neq; uerò illud me commouet, quòd sibi in Lupercis sodalem esse Cælium dixit. fera quædam sodalitas, & planè pastoritia, atque agrestis germanorum Lupercorum, quorum coitio illa syluestris antè est instituta, quàm humanitas, atque leges. siquidem non modò nomina deferunt inter se sodales, sed etiam commemorant sodalitatẽ in accusando, ut ne si quis id fortè nesciat, timere uideatur. [a] Sed hæc omittam: ad illa, quæ me magis mouerũt, respondebo. Deliciarum obiurgatio fuit longa, & ea lenior plúsque disputationis habuit, quàm atrocitatis, quo etiam audita est attentius. nã P. Clodius amicus meus, cùm se grauissimè uehementissiméq; iactaret, & omnia inflammatus ageret tristissimis uerbis, uoce maxima, tametsi probabam eius eloquentiam, tamen non pertimescebam. aliquot enim in causis eum uidera frustra litigantem. tibi autẽ Balbe respondebo primùm precariò, si licet, si fas est, defendi à me eum, qui nullum conuiuiũ

a Transitio, qua respõdet Clodianæ contentioni.

renuerit, qui unguẽta ſumpſerit, qui Baias uiderit. [a] Equidem multos & uidi in hac ciuitate, & audiui, non modò qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc uitæ, & extremis, ut dicitur, digitis attigiſſent, ſed qui totam adoleſcentiam uoluptatibus dedidiſſent, emerſiſſe aliquãdo, & ſe ad frugem bonam, ut dicitur, recepiſſe, graueiſq; homines atque illuſtreis fuiſſe. datur enim conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates: quæ ſi ita erũpunt, ut nullius uitam labefactent, nullius domum euertant, faciles & tolerabiles haberi ſolent. Sed tu mihi uidebare ex cõmuni infamia iuuentutis aliquã inuidiam Cælio uelle conflare. itaq; omne illud ſilentium quod eſt orationi tributum tuæ, fuit ob eam cauſam, quòd uno reo propoſito de multorum uitiis cogitabamus. facile eſt accuſare luxuriem: dies iam me deficiet, ſi quæ dici in eam ſententiam poſſunt, coner expromere: de corruptelis, de adulteriis, de proteruitate, de ſumptibus, immenſa oratio eſt: ut tibi reum neminem, ſed uitia proponas, res tamẽ ipſa & copioſè & grauiter accuſari poteſt. ſed ueſtræ ſapientiæ eſt Iudices, non abduci ab reo, nec quos aculeos habeat ſeueritas, grauitáſque ueſtra, cùm eos accuſator erexerit in rem, in uitia, in mores, in tempora, emittere in hominem, & in reũ: cùm is non ſuo crimine, ſed multorum uitio ſit in quoddam odium iniuſtum uocatus. Itaq; ſeueritati tuæ, ut oporteret, ita reſpondere non audeo. erat enim meum deprecari uacationem adoleſcentiæ, ueniámque petere. non, inquam, audeo: perfugiis non utor ætatis, conceſſa omnibus iura dimitto: tantum peto, ut ſi qua eſt inuidia communis hoc tempore æris alieni, petulantiæ, libidinum iuuentutis, quam uideo eſſe magnam, ne huic aliena peccata, ne ætatis ac temporum uitia noceant.

[a] Excurſus in locum communẽ, de adoleſcẽtium licentia quo ſibi viam parat ad reliquam defenſionem. Et eſt κρτρόμενον.

Si eſt aliquid indulgendum adoleſcentibus, non vitio verti debet Cælio, ſi aliquãdo liberius vixit.

Atque

Atque ego idem, qui hæc postulo, quin criminibus, quæ in hunc propriè conferuntur, diligentissimè respondeã, non recuso. [a] *Sunt autem duo crimina, auri, & ueneni: in quibus una atque eadem persona uersatur. Aurum sumptum à Clodia, uenenũ quæsitum, quod Clodiæ daretur, dicitur. omnia sunt alia non crimina, sed maledicta iurgij petulantis magis, quàm publicæ quæstionis. adulter, impudicus, sequester, conuicium est, non accusatio. nullum est enim fundamentum horum criminũ, nulla sedes: uoces sunt contumelioſæ, temere ab irato accusatore nullo autore emissæ. Horum duorum criminum uideo fontem, uideo autorem, uideo certum nomen & caput.* [b] *auro opus fuit: sumpsit à Clodia, sumpsit sine teste, habuit quandiu uoluit. maximũ uideo signũ cuiusdam egregiæ familiaritatis, necare eandẽ uoluit, quæsiuit uenenum, solicitauit quos potuit, parauit locum, cõstituit, attulit. magnum rursus odium uideo cum crudelissimo dissidio extitisse. Res est omnis in hac causa nobis Iud. cum Clodia, muliere non solùm nobili, sed etiam nota: de qua ego nihil dicam, nisi depellendi criminis causa. sed intelligis pro tua præstanti prudentia Cn. Domiti, cum hac sola rem esse nobis: quæ si se aurum Cælio commodasse non dicit, si uenenum ab hoc sibi paratum esse non arguit, petulanter facimus, si matrem familiâs, secus quàm matronarũ sanctitas postulat, nominamus: sin ista mulier remota, nec crimẽ ullum, nec opes ad oppugnandũ Cæliũ illis relinquentur, quid est aliud, quod nos patroni facere debeamus, nisi ut eos qui insectãtur, repellamus? quod quidẽ facerem uehementius, nisi intercederent mihi inimicitiæ cum istius mulieris uiro: fratrẽ uolui dicere: semper hîc erro. nunc agã modicè, nec lõgius prograediar, quàm me mea fides, & causa ipsa coget. neq;*

a Principalis propositio, syllogismus hypotheticus. Si Cælius familiaris Clodiæ, aurũ recepit, venenum nõ dedit, si verò familiaris non fuit, aurum non recepit.

b Signa, quibus confutat locũ de auro.

enim muliebres unquam inimicitias mihi gerendas putaui, præsertim cum ea, quam omnes semper amicam omnium potius, quàm cuiusquam inimicã putauerũt. sed tameo ex ipsa quærã prius, utrum me secum seuerè, & grauiter, & priscè agere malit, an remissè ac leniter & urbanè. si illo austero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus est, ex barbatis illis, [a] *non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quã in statuis antiquis & imaginibus uidemus, qui obiurget mulierem, & pro me loquatur, ne ista mihi fortè succenseat. Existat igitur ex hac ipsa familia aliquis ac potissimùm cæcus ille. minimum enim dolorem capiet, qui istam non uidebit. qui profectò si extiterit, sic aget, &* [b] *sic loquetur: Mulier quid tibi cum Cælio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cur aut tã familiaris huic fuisti ut aurum commodares, aut tam inimica, ut uenenũ timeres? non patrem tuum uideras? non patruum, nõ auum, proauum, atauum audieras Consules fuisse? non denique modò te Q. Metelli matrimoniũ teniuisse sciebas clarissimi & fortissimi uiri, patriæq; amãtissimi, qui simulac pedem limine extulerat, omneis propè ciueis uirtute, gloria, dignitate superabat? cui cùm ex amplissimo genere in familiam clarissimam nupsisses, cur tibi Cælius tam coniunctus fuit? cognatus? affinis? uiri tui familiaris? nihil horum. quid igitur fuit, nisi quædam temeritas ac libido? nónne te, si nostræ imagines uiriles non commouebant, ne progenies quidem mea Q. illa Claudia æmulã domesticæ laudis in gloria muliebri esse admonebat? non uirgo illa Vestalis Claudia, quæ patrem complexa triumphantẽ ab inimico Tribuno plebis de curru detrahi passa non est? cur te fraterna uitia potius, quàm bona paterna, & auita, & usq; à nobis cùm in uiris, tũ etiam*

in fœmi

a Filiceb, fratris.

b Sermocinatio, qua Cicero probat suum dilemma.

in fœminis repetita, mouerunt? ideóne ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpissimorum quotidie fœdera ferires? ideò aquã adduxi, ut ea tu inceste uterere? ideò uiam muniui, ut eam tu alienis uiris comitata celebrares? Sed quid ego Iudices ita grauem personam induxi, ut & uerear, ne se idem Appius repentè cõuertat, & Cælium incipiat accusare illa sua grauitate Censoria? Sed uidero hoc posterius, atque ita Iudices, ut uel seueriss imis disceptatoribus M. Cælij uitã me probaturum esse confidam. Tu modò mulier (iam enim ipse tecũ nulla persona introducta loquor) si ea quæ facis, quæ dicis, quæ insimulas, quæ moliris, quæ arguis, probare cogitas: rationem tantæ familiaritatis, tantæ consuetudinis, tantæ coniunctionis reddas, atque exponas necesse est. accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Baijs acta conuiuia, comessationes, cantus, symphonias, nauigia iactant: ydémq; significãt, nihil se te inuita dicere. quæ tu, quoniam mente nescio qua effrænata, atq; præcipiti in forũ deferri iudicium q; uoluisti, aut diluas oportet, & falsa esse doceas, aut nihil neq; crimini tuo, neq; testimonio credendum esse fateare. Sin autem urbanius me agere mauis, sic agam tecum, remouebo illum senẽ durum ac penè agrestem, ex hísq; tuis sumam aliquem, ac potissimum minimum fratrem tuum, qui est in isto genere urbanissimus, qui te amat plurimũ, qui propter nescio quã credo timiditatẽ, & nocturnos quosdã inanes metus tecum semper pusio cũ maiore sorore cubitauit: eũ putato tecum loqui: Quid tumultuaris soror? quid insanis? quid clamore exorsa, uerbis paruam rem magnam facis? uicinum adolescentulũ aspexisti: cãdor huius te, & proceritas, uultus, oculíq; perpulerunt: sæpius uidere uoluisti: fuisti nonnunquam in ijsdem hortis uisa nobilis mulier:

illum filiũ familiàs patre parco ac tenaci habere tuis copiis deuinctum non potes: calcitrat, respuit, nõ putat tua dona esse tanti. cõfer te aliò. habes hortos ad Tiberim: ac diligẽter eo loco præparasti, quo omnis iuuẽtus natandi causa uenit. hinc licet cõditiões quotidie legas. cur huic, qui te spernit, molesta es? Redeo nũc ad te Cæli uicissim, ac mihi autoritatẽ patriã, seueritatémq; susc ipio: sed dubito quem patrem potissimùm sumã. Cæcilianúmne aliquem, uehemẽtem atq; durum? Nunc enim demũ mihi animus ardet, nunc meũ cor cumulatur ira. Aut illum,

O felix, ò scelestę. Ferrei sunt isti patres. Egóne quid dicam? egóne quid uelim? quæ tu omnia tuis fœdis factis, facis, ut nequicquam uelim. Vix ferenda diceret talis pater, Cur te in istam uicinitatem meretriciam contulisti? cur illecebris cognitis non refugisti? cur alienam ullam mulierem nosti? dede te, ac disice: per me licebit. si egebis, tibi dolebit: mihi sat est, qui ætatis quod reliquum est oblectem meæ. Huic tristi ac decrepito seni responderet Cælius, se nulla cupiditate inductũ de uia decessisse. quid signi? nulli sumptus, nulla iactura, nulla uersura. At fuit fama. quotus quisque istã effugere potest in tam maledica ciuitate? uicinum eius mulieris miraris malè audisse, cuius frater germanus sermones iniquorum effugere non potuit? Leni uerò & clementi patri, cuiusmodi ille est: Fores effregit? restituentur: discidit uestem? resarcietur: Cælij causa est expeditissima. Quid enim esset, in quo se nõ facilè defenderet? nihil iam in istã mulierẽ dico: sed si esset aliqua dissimilis istius, quæ se omnibus peruulgaret, quæ haberet palã decretũ semper aliquẽ, cuius in hortos, domum, Baias, iure suo libidines omniũ cõmearent, quæ etiã aleret adolescentes, & parsimoniã patrũ suis sumptibus sustentaret:

ret: si uidua liberè, proterua petulãter, diues effusè, libidinosa meretricio more uiueret: adulterum ego putarem, si quis hanc paulò liberius salutasset? Dicet aliquis, Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commẽdauit & tradidit, ut in amore & uoluptatibus adolescentiã suam collocaret: & hanc tu uitam, atq; hæc studia defenderes? Ego si quis Iud. hoc robore animi, atque hac indole uirtutis, ac continentiæ fuit, ut respueret omnes uoluptates, omnemq; uitæ suæ cursum in labore corporis, atq; in animi contentione conficeret: quẽ non quies, non remissio, nõ æqualium studia, non ludi, non conuiuia delectarent: nihil in uita expetẽdum putaret, nisi quod esset cum laude, & cum dignitate coniunctum: hunc mea sententia diuinis quibusdam bonis instructum, atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuisse arbitror Camillos, Fabricios, Curios, omnesq; eos, qui hæc ex minimis tanta fecerũt. Verùm hæc genera uirtutum non solùm in moribus nostris, sed uix iam in libris reperiuntur. chartæ quoq; quæ illam pristinam seueritatem continebant, obsoleuerunt, neque solùm apud nos, qui hanc sectam rationémque uitæ re magis, quàm uerbis secuti sumus, sed etiam apud Græcos doctissimos homines, quibus, cùm facere non possent, loqui tamen & scribere honestè & magnificè licebat. Alia quædam mutatis Græciæ temporibus præcepta extiterunt. itaque alij uoluptatis causa omnia sapientes facere dixerunt: neque ab hac orationis turpitudine eruditi homines refugerunt. alij cum uoluptate dignitatem coniungendam putauerunt, ut res maximè inter se repugnantes dicendi facultate coniungerent. illud unum ad laudem cum labore directũ iter qui probauerũt, propè iã soli in scholis sunt relicti. multa enim

nobis

nobis blandimẽta natura ipſa genuit, quibus ſopita uirtus conniueret: & interdum multas uias adoleſcentiæ lubricas oſtendit, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo aut prolapſione uix poſſet, & multarum rerum iucundiſſimarum uarietatem dedit, qua non modò hæc ætas, ſed etiam iam corroborata caperetur. Quamobrem ſi quem fortè inueneritis, qui aſpernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non ſapore capiatur, excludat auribus omnem ſuauitatem: huic homini, ego fortaſſe & pauci deos propitios, plerique autem iratos putabunt. [a] *Ergo hæc deſerta uia, & inculta, atque interclusa iam frondibus & uirgultis relinquatur: detur aliquid ætati: ſit adoleſcentia liberior: non omnia uoluptatibus denegentur: non ſemper ſuperet uera illa & directa ratio: uincat aliquando cupiditas uoluptáſque rationem, dummodo illa in hoc genere præſcriptio, moderatióque teneatur: parcat iuuentus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius domum atq; famam, ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat, ne quẽ interimat, ne interſit inſidiis, ſcelere careat: poſtremò cùm paruerit uoluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inaneis haſce adoleſcentiæ cupiditates, reuocet ſe aliquando ad curam rei domeſticæ, rei forenſis, Reipublicæ, ut ea quæ ratione antea non perſpexerat, ſatietate abieciſſe, experiendo contempſiſſe uideatur.* [b] *Ac multi & noſtra, & patrũ maiorũmq; memoria Iudices, ſummi homines, & clariſſimi ciues fuerũt, quorũ cũ adoleſcẽtiæ cupiditates deferbuiſſẽt, eximiæ uirtutes, firmata iam ætate, extiterũt. ex quibus neminẽ mihi neceſſe eſt nominare: uoſmet uobiſcum recordamini. nolo enim cuiuſquã fortis atq; illuſtris*

a Conclusio.

b Subiicit exẽpla.

uiri

uiri ne minimum quidem erratum cum maxima laude coniungere. quod si facere uellem, multi à me summi atq; ornatissimi uiri prædicarẽtur: quorum partim nimia libertas in adolescentia, partim profusa luxuries, magnitudo æris alieni, sumptus, libidines, nominarentur: quæ multis postea uirtutibus obtecta, adolescentiæ, qui uellet, excusatione defenderet. At uerò in M. Cælio (dicam enim iam confidentius de studijs eius honestis, quoniam audeo quædam fretus uestra sapientia liberè confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum æs alienum, nulla contiuiorum ac lustrorum libido. quod quidem uitium uentris & gutturis non modò non minuit ætas hominibus, sed etiam auget. Amores autem, & hæ deliciæ quæ uocantur, quæ firmiore animo præditis diutius molestæ non solent esse: maturè enim & celeriter defloresc unt: nunquam hunc occupatum impedituḿq; tenuerũt. Audistis cùm pro se diceret: audistis anteà cùm accusaret (defendendi hæc causa, non gloriandi loquor) genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atque uerborum, quæ uestra prudentia est, perspexistis. Atq; in eo non solùm ingenium elucere eius uidebatis: quod sæpe etiam si industria non alitur, ualet tamen ipsum suis uiribus: sed inerat, nisi me propter beneuolentiam fortè fallebat, oratio & bonis artibus instituta, & cura, & uigilijs elaborata. Atq; scitote Iudices, eas cupiditates, quæ obijciuntur Cælio, atq; hæc studia de quibus disputo, non facilè in eodem homine esse posse. fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, sæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quicquid est, quod nos facimus in dicendo, non modò agendo, uerùm etiam cogitando possit sustinere. An uos aliam causam esse ullam putatis, cur in tantis

præmijs

præmijs eloquentiæ, tanta voluptate dicendi, tãta laude, tanta *gratia gloria, tanto honore, tam sint pauci semperq; fuerint, qui in hoc labore uersentur? Omittendæ sunt omnes voluptates: relinquẽda studia delectationis: ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam penè omnium familiarium deserendus. quæ res in hoc genere homines à labore studióq; dicendi deterret, non quo aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis. An hic, si sese isti uitæ dedisset, Consularem hominem admodum adolescens in iudicium uocauisset? hîc, si laborem fugeret, si obstrictus uoluptatibus teneretur, in hac acie quotidie uersaretur? appeteret inimicitias? in iudicium uocaret? subiret periculum capitis? ipso inspectante pop. Roma. tot menses aut de salute, aut de gloria dimicaret? Nihil igitur illa uicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Baiæ deniq; ipsæ loquuntur? illæ uerò non loquuntur solùm, uerùm etiam personant, huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut ea non modò solitudinem, ac tenebras, atq; hæc flagitiorum integumenta non quærat, sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate, & clarissima luce lætetur. Verùm si quis est, qui etiam meretricijs amoribus interdictum iuuentuti putet. est ille quidem ualde seuerus: negare non possum: sed abhorret non modò ab huius sæculi licentia, uerùm etiam à maiorum consuetudine, atque concessis. quando enim hoc nõ factum est? quando reprehensum? quando non permissum? quãdo deniq; fuit, ut quod licet, non liceret? Hîc ego iam rem definiam: mulierẽ nullam nominabo: tantũ in medio relinquã. Si qua nõ nupta mulier domum suam patefecerit omniũ cupiditati, palamq; sese in meretricia uita collocarit, uirorum alieniſſimorũ conuiuijs uti instituerit: si hoc in urbe, si in hortis, si in Baiarum illa celebritate faciet: si deniq; ita sese geret, nõ

inceſſu ſolùm, ſed ornatu atq; comitatu, nõ flagrãtia oculorum, non libertate ſermonis, ſed etiam complexu, oſculatione, aquis, nauigatione, conuiuijs, ut non ſolùm meretrix, ſed etiam procax uideatur: cum hac ſi quis adoleſcens fortè fuerit, utrũ hic tibi L. Herenni adulter, an amator? expugnare pudicitiam, an explere libidinem noluiſſe uideatur? Obliuiſcor iam iniurias Clodia: depono memoriam doloris mei: quæ abs te crudeliter in meos me abſente facta ſunt, negligo: ne ſint hæc in te dicta, quæ dixi: ſed ex te ipſa requiro, quoniam & crimen accuſatores abs te, & teſtem eius criminis te ipſam dicunt ſe habere: ſiqua mulier ſit huiuſmodi, qualem ego paulò antè deſcripſi, tui diſſimilis, uita inſtitutoq; meretricio, cũ hac aliquid adoleſcentem hominem habuiſſe rationis, num tibi perturpe, aut perflagitioſum eſſe uideatur? Ea ſi tu non es, ſicut ego malo: quid eſt, quod obiciant Cælio? ſin eam te uolunt eſſe: quid eſt, cur nos crimen hoc, ſi tu contemnis, pertimeſcamus? Quare nobis da uiam rationẽq; defenſionis. nam aut pudor tuus defendet nihil à M. Cælio petulantius eſſe factum: aut impudentia & huic, & cæteris magnam ad ſe defendendum facultatem dabit. [a]Sed quoniã emerſiſſe iam è uadis, & ſcopulos præteruecta uidetur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur. Duo ſunt enim crimina una in muliere ſummorum facinorum: auri, quod ſumptum à Clodia dicitur: & ueneni, quod eiuſdem Clodiæ necandæ cauſa paraſſe Cæliũ criminantur. Aurũ ſumpſit, ut dicitis, [b]quod L. Luceij ſeruis daret, per quos Alexãdrinus Dio, qui tum apud Luceium habitabat, necaretur. magnum crimen uel in legatis inſidiandis, uel in ſeruis ad hoſpitem domi necandũ ſolicitandis: plenũ ſceleris conſilium, plenum audaciæ. Quo quidẽ in crimine primùm illud

a Tranſitio.

b i. ut nota inureretur Luceio qui hoſpitem nõ defendiſſet.

illud requirã, dixerítne Clodiæ, quam ad rem aurũ tum ſumeret, an nõ dixerit. ſi non dixit, cur dedit? ſi dixit, eodem ſe conſcientiæ ſcelere deuinxit. túne aurum ex armario tuo promere auſa es? túne Venerem illam tuam ſpoliatricem ſpoliare ornamentis? Cæterùm cùm ſcires, quantum ad facinus aurum hoc quæreretur, ad necem ſcilicet Legati, ad L. Luceij ſanctiſſimi hominis atq; integerrimi labem ſceleris ſempiternam: huic facinori tanto tua mens liberalis conſcia tua domus popularis miniſtra, tua denique hoſpitalis illa Venus adiutrix eſſe non debuit. Vidit hoc Balbus: facinoris tantũ celatam eſſe Clodiam dixit, atq; ita Cælium ad illam attuliſſe, ſe ad ornatum ludorum aurum quærere. Si tam familiaris erat Cl diæ, quàm tu eſſe uis, cùm de libidine eius tam multa dicis, dixit profectò, quò uellet aurum: ſi tam familiaris non erat, non dedit. Ita ſi uerum tibi Cælius dixit, ô immoderata mulier, ſciens tu aurum ad facinus dediſti? ſi non eſt auſus dicere, nõ dediſti. Quid ego nũc argumentis huic crimini, quæ ſunt innumerabilia, reſiſtã? poſſum dicere mores M. Cælij longiſſimè à tanti ſceleris atrocitate eſſe diſiunctos: minimè eſſe credendum homini tam ingenioſo, támq; prudenti nõ ueniſſe in mentẽ rem tanti ſceleris ignotis, alienis q; ſeruis non eſſe credendã: poſſum etiam illa & cæterorum patronorum, & mea conſuetudine ab accuſatore perquirere, ubi ſit congreſſus cum ſeruis Luceij Cælius? qui ei fuerit aditus? ſi per ſe, qua temeritate? ſi per alium, per quem? poſſum omnes latebras ſuſpicionum peragrare dicendo: non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, non ratio ulla, nõ ueſtigium maximi facinoris reperietur. Sed hæc, quæ ſunt oratoris propria: quæ mihi non propter ingeniũ meum, ſed propter hãc exercitatio

ſationem, uſumq3 dicendi fructũ aliquẽ ferre potuiſſent, cùm à meipſo laborata proferri uiderentur, breuitatis cauſa relinquo omnia. habeo enim Iudices, quem uos ſocium ueſtræ religionis iuris q3 iurandi facilè eſſe patiemini, L. Luceium ſanctiſſimum hominẽ, & grauiſſimum teſtem: qui tantũ facinus in famã atq3 fortunas ſuas neq3 non audiſſet illatũ à Cælio, neq3 neglexiſſet, neq3 tuliſſet. An ille uir, illa humanitate præditus, illis ſtudijs, artibus atq3 doctrina, illius ipſius periculum, quem propter hæc ipſa ſtudia diligebat, negligere potuiſſet? & quod facinus in alienum hominem illatũ ſeuerè acciperet, id omiſiſſet curare in hoſpite? quod per ignotos actum cùm comperiſſet, doleret, id à ſuis tentatũ eſſe negligeret? quod in agris, locísue publicis factum reprehenderet, id in urbe, ac ſuæ domi cœptũ eſſe leuiter ferret? quod in alicuius agreſtis periculo non prætermitteret, id homo eruditus in inſidijs doctiſſimi hominis diſſimulãdum putaret? Sed cur diutius uos Iudices teneo? ipſius iurati religionem, autoritatémq3 percipite, atq3 omnia diligenter teſtimonij uerba cognoſcite. Recita teſtimoniũ Luceij. [a] *Quid expectatis amplius? an aliquã uocem putatis ipſam pro ſe cauſam & ueritatem poſſe mittere? hæc eſt innocentiæ defenſio, hæc ipſius cauſæ oratio: hæc una uox ueritatis.* [b] *in crimine ipſo nulla ſuſpicio eſt, & in re nihil eſt argumenti: in negotio, quod actum eſſe dicitur, nullum ueſtigium ſermonis, loci, temporis: nemo teſtis, nemo conſcius nominatur: totum crimen profertur ex inimica, ex infami, ex crudeli, ex facinoroſa, ex libidinoſa domo:* [c] *domus autem illa, quæ tentata ſcelere iſto nefario dicitur, plena eſt integritatis, officij, religionis: ex qua domo recitatur uobis iureiurãdo deuincta autoritas: ut res minimè* * *dubitanda in contentione ponatur, utrũ temeraria, procax,*

a Amplificatio teſtimonii.

b Epilogus ſignorum, quibus aduerſarii uti poterant.

c ſcilicet Luceii.

* dubiã

irata mulier finxisse crimen, an grauis, sapiens, moderatus quisquis uir religiosè testimonium dixisse uideatur. [a] *Reliquum est igitur crimen de ueneno: cuius ego neque principium inuenire, neque euoluere exitum possum.* [b] *Quæ fuit enim causa, quamobrem isti mulieri uenenum uellet dare Cælius? ne aurũ redderet? num petiuit? ne crimen hæreret? num quis obiecit? num quis denique fecisset mentionẽ,* [c] *si hic nemini nomen detulisset? Quin etiã Herennium dicere audistis, uerbo se molestum non futurum fuisse Cælio, nisi iterum eadem de re suo familiari absoluto nomen hic detulisset. Credibile est igitur, tantum facinus, nullam ob causam esse cõmissum? & uos non uidetis fingi sceleris maximi crimen, ut alterius causa sceleris suscipiendi fuisse uideatur? Cui denique cõmisit? quo adiutore usus est? quo socio? quo cõscio? cui tantum facinus, cui se, cui salutem suã credidit? seruísne mulieris? sic enim obiectum est. & erat tam demens hic, cui uos ingenium certè tribuitis, etiã si cætera inimica oratione detrahitis, ut omneis suas fortunas alienis seruis cõmitteret? at quibus seruis? refert enim magnopere idipsum: hísne, quos intelligebat nõ cõmuni cõditione seruitutis uti, sed licentius, liberius, familiarius cum domina uiuere? quis enim hoc non uidet Iudices? aut quis hoc ignorat, in eiusmodi domo, in qua materfamiliâs meretricio more uiuat, in qua nihil geratur, quod foras proferendum sit, in qua lustra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita uitia, atque flagitia uersentur: hîc seruos non esse seruos, quibus omnia committantur, per quos gerãtur, qui uersentur ijsdem in uoluptatibus, quibus occulta credantur, ad quos aliquantum etiam ex quotidianis sumptibus, ac luxuria redundet? Id igitur Cælius non uidebat? si enim tam familiaris erat mulieris, quàm nos uultis: istos quoque*

a Transitio.

b A causa.

c scilicet Cælius.

quoque seruos familiares esse dominæ sciebat. sin ei tanta consuetudo, quanta à nobis inducitur, non erat: quæ cum seruis potuit familiaritas esse tanta? Ipsius autem veneni quæ ratio fingitur? ubi quæsitum est? quemadmodum paratum? quo pacto? cui, quo in loco traditum? habuisse aiunt domi, uimq; eius esse expertũ in seruo quodam ad rem ipsam parato, cuius ~~per~~celeri interitu esse ab hoc comprobatum uenenum. [a] Prò dij immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis, aut cõniuetis, aut præsentis fraudis pœnas in diem reseruatis? Vidi enim, uidi, & illum hausi dolorẽ uel acerbissimum in uita, cùm Qu. Metellus abstraheretur è sinu, gremioq; patriæ, cũq; ille uir, qui se natũ huic imperio putauit, tertio die pòst, q̃ in Curia, in Rostris, in Rep. floruisset, integerrima ætate, optimo habitu, maximis uiribus eriperetur indignissimè bonis omnibus, atque uniuersæ ciuitati. quo quidem tempore ille moriens, cùm iam cæteris ex partibus oppressa mens esset, extremum sensum ad memoriam Reip. reseruabat: cùm me intuens flentem significabat interruptis, atque morientibus uocibus, quanta impenderet procella urbi, quanta tempestas ciuitati: & cùm parietem sæpe feriens eũ, qui cum Qu. Catulo fuerat ei cõmunis, crebrò Catulum, sæpe me, sæpissimè Remp. nominabat: ut non tam se emori, quàm spoliari suo præsidio cùm patriam, tum etiam me doleret. Quem quidem uirum si nulla uis repentini sceleris sustulisset, quonam modo ille furenti fratri suo patrueli Consulari restitisset, qui Consulem incipientem furere atque conantem, sua se manu interfecturũ audiẽte Senatu dixerit? Ex hac igitur domo progressa ista mulier de ueneni celeritate dicere audebit? nónne ipsam domũ metuet, ne quã nocẽ eliciat? nõ parietes conscios, non noctẽ illam funestã, ac luctuosam

a Exclamatione insectatur impudentiam Clodiæ. Amplificat à dignitate mariti eius, atq; obliquè in suspicionẽ adducit, Clodiam maritũ veneno sustuliſſe.

perhorresceret? Sed reuertar ad crimẽ. Sed enim hæc facta illius clarissimi ac fortissimi uiri mentio, & uocẽ meam fletu debilitauit, & mentẽ dolore impeduit. Sed tamen uenenum unde fuerit, quemadmodum paratum sit, non dicitur. [a] datum esse hoc aiunt P. Licinio pudenti adolescenti & bono, Cælij familiari: *constitutum factum esse cum seruis, ut uenirent ad balneas Xenias: eôdem Licinium esse uenturum, atq; iys ueneni pyxidẽ traditurum. Hîc primum illud requiro, quid attinuerit illud ferri in eum locum constitutum? cur illi serui nõ ad Cælium domum uenerint? si manebat tãta illa cõsuetudo Cælij cum Clodia, tãta ąq; familiaritas: quid suspicionis esset, si apud Cælium mulieris seruus uisus esset? sin autẽ iam suberat simultas, extincta erat consuetudo, dissidium exterat: hinc illæ lacrymæ nimirũ, & hæc causa est horũ omnium scelerum atq; criminum. Imò, inquit, cùm serui ad dominam rem istam, & maleficium Cælij detulissent, mulier ingeniosa præcepit suis, ut omnia Cælio pollicerẽtur: sed ut uenenum, cùm à Licinio traderetur, manifestò comprehendi posset, constitui locum iussit balneas Xenias, ut eò mitteret amicos, qui delitescerent: deinde repentè, cùm uenisset Licinius, uenenum traderet, prosilirẽt, hominemq; cõprehenderent. Quæ quidem omnia Iudices perfacilem rationẽ habent reprehendẽdi. cur enim balneas publicas potissimùm constituerat? in quibus non inuenio quæ latebra togatis hominibus esse possit. nam si essent in uestibulo Balnearum, non laterent: sin se in intimum conijcere uellent, nec satis commodè calceati & uestiti id facere possent, & fortasse non reciperentur: nisi fortè mulier potens quadrãtaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. Atq; equidẽ uehemẽter expectabam, quinã isti uiri boni, testes huius manifestò de-

a Commentitia narratio, de exhibendo veneno.

*constitutũ locum esse

preben

prehenſi ueneni dicerentur. nulli enim ſunt adhuc nominati, ſed nõ dubito, quin ſint pergraues, qui primùm ſint talis fœminæ familiares, deinde eam prouinciam ſuſceperint, ut in balneas contruderentur: quod illa, niſi à uiris honeſtiſſimis ac pleniſſimis dignitatis, quàm uelit ſit potens, nunquam impetrauiſſet. Sed quid ego de dignitate iſtorum teſtiũ loquor? uir tutẽ eorum diligentiámq; cognoſcite. in balneis delituerũt. teſteis egregios. deinde temere proſilierũt, homines grauitati deditos. ſic enim fingunt, cùm Licinius ueniſſet, pyxidẽ teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidiſſet, tum repentè euolaſſe iſtos præclaros teſtes ſine nomine: Liciniũ autem, cùm iam manum ad tradendũ pyxidẽ porrexiſſet, retraxiſſe, atq; illo repentino hominũ impetu ſe in fugã coniecisſe. O magna uis ueritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiã, contráq; fictas omniũ inſidias, facilè ſe per ſeipſam defendat. Verùm hæc tota fabella ueteris, & plurimarũ fabularum poetriæ, quàm eſt ſine argumento? quàm nullum inuenire exitum poteſt? Quid enim iſti tot uiri? nam neceſſe eſt fuiſſe non paucos, ut & comprehẽdi Licinius facilè poſſet, & res multorũ oculis eſſet teſtatior: cur Licinium de manibus amiſerunt? quî minus enim Licinius cõprehendi potuit, cùm ſe retraxit ne pyxidẽ traderet, quã ſi non retraxiſſet? erãt enim illi poſiti, ut cõprehenderent Liciniũ: ut manifeſtò Licinius teneretur, aut cùm retineret uenenũ, aut cùm tradidiſſet. hoc fuit totũ conſilium mulieris, hæc iſtorum prouincia, qui rogati ſunt: quos quidem tu quamobrẽ temere proſiluiſſe dicas, atq; ante tẽpus, non reperio. fuerant hoc rogati, fuerant ad hanc rem collocati, ut uenenum, ut inſidiæ, facinus denique ipſum ut manifeſtò comprehenderetur. potuerúntne meliori tẽpore proſilire, quàm cũ Licinius

ueniſſet? cùm in manu teneret ueneni pyxidẽ? quæ ſi cùm iã erat tradita ſeruis, euaſiſſent ſubito ex balneis mulieris amici, Liciniumq; cõprehendiſſent: imploraret hominum fidem, atq; à ſe illam pyxidem traditã pernegaret. quem quomodo illi reprehenderent? uidiſſe ſe dicerent? primùm ad ſe reuocarent maximi facinoris crimen: deinde id ſe uidiſſe dicerẽt, quod quo loco collocati fuiſſent, non potuiſſent uidere. Tempore igitur ipſo ſe oſtenderũt, cùm Licinius ueniſſet, pyxidem expediret, manum porrigeret, uenenum traderet. Mimi ergo eſt iam exitus, non fabulæ: in quo cùm clauſula non inuenitur, fugit aliquis è manibus, deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur. Quæro enim, cur Liciniũ titubantem, hæſitantem, ce' 'ntem, fugere conantem, mulieraria manus iſta de manibus emiſerit? cur nõ comprehẽderint? cur nõ ipſius confeſſionẽ multorum oculis, facinoris deniq; uoce tanti ſceleris crimen expreſſerint? an timebant, ne tot unũ, ualentes imbecillum, alacres perterritum ſuperare nõ poſſent? Nullum argumẽtum in re, nulla ſuſpicio in cauſa, nullus exitus criminis reperietur. Itaque hæc cauſa ab argumentis, à coniectura, ab iis ſignis, quibus ueritas illuſtrari ſolet, ad teſtes tota traducta eſt. Quos quidem ego teſtes Iudices non modò ſine ullo timore, ſed etiam cum aliqua ſpe delectationis expecto. prægeſtit animus iam uidere, primùm lautos iuuenes mulieris beatæ ac nobilis familiares: deinde forteis uiros ab Imperatrice in inſidijs, atq; in præſidio balnearum locatos. ex quibus requiram, quonã modo latuerint? aut ubi? alueúsne ille, an equus Troianus fuerit, qui tot inuictos uiros muliebre bellum gerentes tulerit ac texerit? Illud uerò reſpondere cogam, cur tot uiri ac tales hunc & unum, & tam imbecillum, quàm uidetis, non aut ſtãtem cõprehenderint,

aut

aut fugientem consecuti sint? qui se nunquam profectò, si istum in locum processerint, explicabunt: quàm uolent in conuiuiis faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad uinum diserti sint: alia fori uis est, alia triclinij: alia subselliorum ratio, alia lectorum: non idem iudicium, comessatorúmque conspectus: lux denique longè alia est solis, & lychnorum. Quamobrem excutiemus omnes istorũ delicias, omnes ineptias, si prodierint. sed si me audiant, nauent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis se rebus ostentẽt: nigeant apud istam mulierem uenustate, dominentur sumptibus, hæreant, iaceant, deseruiant, capiti uerò innocentis, & fortunis parcant. [a] At sunt serui illi de cognatorum sententia nobilissimorum, & clarissimorum hominum manumissi. tandem aliquid inueniemus, quod ista mulier de suorum propinquorum fortissimorum uirorum sentẽtia, atq; autoritate fecisse dicatur. Sed scire cupio, quid habeat argumenti ista manumissio, in qua aut crimẽ est Cælio quæsitum, aut quæstio subleuata, aut multarum rerum conscius seruis cum causa præmium persolutum. At propinquis placuit. cur non placeret? cùm rem tute ad eos non ab aliis tibi allatam, sed à te ipsa compertam deferre diceres? Hîc etiam miramur, si illam cõmentitiam pyxidem obscœnissima sit fabula consecuta? Nihil est, quod in eiusmodi mulierem non cadere uideatur. audita, & peruulgata, & percelebrata sermonibus res est. percipiis animis Iud. iandudum quid uelim, uel potius, quid nolim dicere. quod etiã si est factum, certè à Cælio non est factum. quid enim attinebat? est enim ab aliquo fortasse adolescente non tam insulso, quàm nõ uerecundo. sin autem est fictũ: non illud quidem modestum, sed tamẽ est non infacetum mendacium quod profectò nũquam hominum sermo, atq; opi-

[a] Eleuat autoritatem seruorum, qui in hoc manumissi erãt, vt testificarentur.

nio comprobasset, nisi omnia quæ cùm turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare aptè uiderentur.[a] Dicta est à me causa Iud. & perorata, iam intelligitis, quantum iudicium sustineatis, quanta res sit cõmissa uobis. de ui quæritis. quæ lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriæ, ad salutem omniũ pertinet: quam legem Q. Catulus armata dissensione ciuium, Reip. penè extremis temporibus tulit: quæq; lex sedata illa flamma Consulatus mei fumantis reliquias coniurationis extinxit. hac enim lege Cæly adolescentia non ad Reip. pœnas, sed ad mulieris libidines, & delicias deposcitur. [b] Atq; hoc etiã loco M. Camurti, & Ceserni damnatio prædicatur. O stultitiam, stultitiámne dicam, an impudentiam singularẽ? audetísne, cùm ab ea muliere ueniatis, facere istorum hominũ mẽtionem? audetísne excitare tanti flagitij memoriã, non extinctam illam quidem, sed repressã uetustate? Quo enim illi crimine peccatóq; perierunt? nẽpe quòd eiusdem mulieris dolorem, & iniuriã Vectiano nefario sunt stupro persecuti. Ergo ut audiretur Vectij nomen in causa, ut illa uetus Afrania fabula refricaretur, idcirco Camurti, & Ceserni causa est renouata? qui quanquã lege de ui certè non tenebãtur, eo maleficio tamen erant implicati, ut ex nullius legis laqueis emittẽdi uiderẽtur. M. uerò Cælius cur in hoc iudiciũ uocatur? cui neq; propriũ quæstionis crimen obijcitur, nec uerò aliquid eiusmodi, quod sit à lege seiũctum, & cum uestra seueritate cõiunctũ.[c] cuius prima ætas dedita disciplinis fuit, ijsq; artibus, quibus instruimur ad hunc usum forensem, ad capessendã Rempublicã, ad honorem, gloriam, dignitatẽ. ys autẽ fuit amicitijs maiorũ natu, quorum imitari industriã continentiámq; maximè uelit; ys æqualiũ studijs, ut eundem, quem optimi ac nobiliss

a Peroratio, qua docet Cælianum crimen non contineri de ui.

b Exẽpli aduersariorum refutatio.

c Repetitio argumentorũ suorum & commemoratio anteactæ uitæ Cælii.

biliſſimi, petere curſum laudis uideretur. Cùm autẽ paulum iam roboris acceſſiſſet ætati, in Africam profectus eſt, Q. Pompeio Proconſuli cõtubernalis caſtiſſimo uiro, atq; omnis officij diligẽtiſſimo: in qua prouincia cùm res erant, & poſſeſſiones paternæ, tum etiam uſus quidam prouincialis, non ſine cauſa à maioribus huic ætati tributus. diſceſſit illinc Pompeij iudicio probatiſſimus, ut ipſius teſtimonio cognoſcetis. uoluit uetere inſtituto, eorum adoleſcentium exemplo, qui pòſt in ciuitate ſummi uiri, & clariſſimi ciues extiterunt, induſtriam ſuam à Popu. Rom. ex aliqua illuſtri accuſatione cognoſci. [a] *uellem alìò potius eum cupiditas gloriæ detuliſſet:* * *ſed habuit hoc tempus querelæ. accuſauit C. Antonium collegam meũ: cui miſero præclari in Remp. beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio* [b] *maleficij cogitati. poſteà nemini conceſſit æqualium, plus ut in foro, plus ut in negotiis uerſaretur, cauſíſque amicorum, plus ut ualeret inter ſuos gratia. quæ niſi uigilantes homines, niſi ſobrij, niſi induſtrij conſequi non poſſunt, omnia labore, & diligentia eſt conſecutus.* [c] *In hoc flexu quaſi ætatis (nihil enim occultabo fretus humanitate ac ſapiẽtia ueſtra) fama adoleſcentis paulùm hæſit ad metas notitia noua mulieris, & infelici uicinitate, & inſolentia uoluptatũ. quæ cùm incluſæ diutius, & prima ætate cõpreſſæ, & conſtrictæ fuerunt, ſubitò ſe nonnunquam profundunt, atq; eiiciunt uniuerſæ. qua ex uita, uel dicam, quo ex ſermone: nequaquam enim tãtum erat, quantum homines loquebantur: uerũ ex eo quicquid erat, emerſit, totúmq; ſe eiecit, atq; extulit: tantúmq; abeſt ab illius familiaritatis infamia, ut eiuſdem nunc ab ſeſe inimicitias, odiúmq; propulſet. atq; ut iſte interpoſitus ſermo deliciarum, deſidiæq; moreretur (fecit me mehercule inuito, &*

a πάθος, quo accuſationẽ extenuat.

* *ſed abiit huius tẽpus querelæ*

b Quod unà cũ Cicerone Catilinam oppreſſit.

c Confeſsio liberior placat iudices.

multum repugnante, sed tamen fecit) nomen amici mei de ambitu detulit: quem absolutum insequitur, reuocat: nemini nostrum obtemperat, est uiolẽtior quàm uellem. Sed ego non loquor de sapientia, quæ non cadit in hanc ætatem: de impetu animi loquor, de cupiditate uincendi, de ardore mentis ad gloriam: quæ studia in his iam ætatibus nostris contractiora esse debent: in adolescentia uerò, tanquàm in herbis, significant quæ uirtutis maturitas, & quantæ fruges industriæ sint futuræ. Etenim semper magno ingenio adolescentes refrænandi potius à gloria, quàm incitandi fuerunt: amputanda plura sunt illi ætati, siquidem efflorescit ingenij laudibus, quàm inserenda. Quære si cui nimium efferbuisse uidetur huius uel in suscipiẽdis, uel in gerẽdis inimicitiis uis, ferocitas, pertinacia, si quem etiam minimorum horum aliquid offendit, si purpuræ genus, si amicorum caterua, si splendor, si nitor: iam ista deferuerint, iam ætas omnia, iam ista dies mitigarit. [a] *Conseruate igitur Reip. Iudices, ciuem bonarum artium, bonarum partium, bonorum uirorum. promitto hoc uobis & Reipub. spondeo, si modò nos ipsi Reipub. satisfecimus, nunquam hunc à nostris rationibus seiunctum fore. quod cùm fretus nostra familiaritate promitto, tum quod durissimis se ipse legibus iam obligarit. Neque enim potest, qui hominem Consularem, quòd ab eo Remp. uiolatam diceret, in iudicium uocarit, ipse esse in Repub. ciuis turbulentus: non potest, qui ambitu ne absolutum quidem patitur esse absolutum, ipse impunè unquam esse largitor. Habet à M. Cælio Respub. Iud. duas accusationes uel obsides periculi, uel pignora uolũtatis. Quare oro, obtestórque uos Iudices, ut qua in ciuitate paucis his diebus Sex. Clodius absolutus sit, quem uos per biennium aut ministrũ seditionis,*

a Adhortatio παθητικὸς.

tionis, aut ducem uidistis, qui ædes sacras, qui censum Populi Romani, qui memoriam publicam suis manibus incendit, hominem sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis, ore, lingua, manu, uita omni inquinatum, qui Catuli monimentum afflixit, meam domum diruit, mei fratris incendit, qui in Palatio, atque in urbis oculis seruitia ad cædem, & inflammandam urbem incitauit: in ea ciuitate ne patiamini illum absolutũ muliebri gratia, M. Cælium libidini muliebri condonatum: ne eadem mulier cum suo coniuge, & fratre, turpissimum latronem eripuisse, & honestissimum adolescentem oppressisse uideatur. Quod cùm huius uobis adolescentiam proposueritis, constituitote uobis ante oculos huius etiam miseri senectutem, qui hoc unico filio nititur, in huius spe requiescit, huius unius casum pertimescit: quem uos supplicem uestræ misericordiæ, seruum potestatis, abiectum non tam ad pedes, quàm ad mores sensúsque uestros, uel recordatione parentum uestrorum, uel liberorum iucunditate sustentate: ut in alterius dolore, uel pietati, uel indulgentiæ uestræ seruiatis. Nolite Iudices, aut hunc iam natura ipsa occidentem uelle maturius extingui uulnere uestro, quàm suo fato: aut hunc nunc primum floreſcentem firmata iam stirpe uirtutis, tanquam turbine aliquo aut subita tempestate peruertere. Conseruate parenti filium, parentem filio: ne aut senectutẽ iam propè desperatam contempsisse, aut adolescentiam plenam spei maximæ, non modò non aluisse uos, sed etiam perculisse, atque afflixisse uideamini. Quem si uobis, si suis, si Reip. conseruatis, addictum, deditum, obstrictum uobis, ac liberis uestris habebitis: omniúmque huius neruorum, ac laborum uos potissimùm Iudices fructus uberes, diuturnósque capietis.

PRO

PRO L. CORNEL. BALBO. ORATIO XXXVI.

a A laudibus Pompeianæ orationis habitæ antea pro Balbo, cõparatur hic beneuolẽtia. Quãquam & immiscetur etiã persona rei, iudicũ & præsentis patroni, qui ipse Cicero erat. Captatur eadem ratione beneuolentia quoq; à difficultate, non tam rei probandæ, quàm à loco seu ordine dicendi: cum dicitur, post orationem Pompeii difficile esse rem eandem tractare dicendo. Quæ inter se cognata sunt & velut vnũ corpus exordii constituunt.

SI [a] AVTORITATES *patronorum in iudiciis ualerent, ab amplissimis uiris L. Cornelij causa defensa est: si usus, à peritissimis: si ingenia, ab eloquẽtissimis: si studia, ab amicissimis, & cùm beneficiis cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate coniunctis. Quæ sunt igitur meæ partes? autoritatis tantæ, quantam uos in me esse uoluistis, usus mediocris, ingenij minimè uoluntati paris. nam cæteris, à quibus est defensus, hunc debere plurimum uideo: ego quantum ei debeã, alio loco ostendam. Principio orationis hoc oppono, me omnibus qui amici fuerint saluti meæ, & dignitati, si minus referenda gratia satisfacere potuerim, at prædicanda, & habenda certè satis esse facturum. Quæ fuerit hesterno die Cn. Pompeij grauitas in dicendo Iud. quæ facultas, quæ copia, non opinione tacita uestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari uidebatur. nihil enim unquam audiui, quod mihi de iure subtilius dici uideretur, nihil de memoria, de more, de exẽplis acutius, nihil peritius de fœderibus, nihil illustriore autoritate de bellis, nihil de Repub. grauius, nihil de ipso modestius, nihil de causa, & crimine ornatius: ut mihi iam uerum uideatur illud esse, quod nonnulli literati ac studiis doctrinisq; diditi quasi quiddam incredibile dicere putabantur, eum qui omnes animo uirtutes penitus cõprehendisset, omnia quæ facere uellet, facillimè tractare. Quæ enim in L. Crasso potuit homine nato ad dicendi singularem quandam facultatẽ, si hanc causam ageret maior*

ret, maior esse ubertas, uarietas, copia, quàm fuit in eo, qui tantum potuit impertire huic studio temporis, quantum ipse à pueritia usq; ad hanc ætatem à continuis bellis, & uictoriis conquieuit? Quò mihi difficilior est hic extremus perorãdi locus. etenim ei succedo orationi, quæ non præterlecta sit aures uestras, sed in animis omnium penitus insederit: ut plus uoluptatis ex recordatione illius orationis, quàm nõ modò ex mea, sed ex cuiusquam oratione capere possitis. Sed mos est gerendus non modò Cornelio, cuius ego uoluntati in eius periculis nullo modo deesse possum: sed etiam Cn. Pompeio, qui sui facti, sui iudicij, sui beneficij, uoluit me esse, ut apud eosdẽ uos Iudices, nuper in alia causa fuerim, & prædicatorem, & autorem.[a] Ac mihi quidem hoc dignum reo uidetur, hoc deberi huius excellentis uiri præstantissimæ gloriæ, hoc propriũ esse uestri officij, hoc satis esse causæ, ut quod feciſſe Cn. Pompeium constet, id omnes & licuisse concedant. Nam uerius nihil est, quàm quod hesterno die dixit ipse, ita L. Cornelium de fortunis omnibus dimicare, ut nullius in delicti crimen uocaretur. Non enim furatus esse ciuitatem, non genus suũ mentitus, nõ in aliquo impudenti mendacio delituisse, non irrepsisse in censum dicitur: unum obiicitur, natum esse Gadibus, quod negat nemo.[b] cæterum accusator fatetur, hũc in Hispania durissimo bello cum Q. Metello, cũ C. Memmio, & in classe, & in exercitu fuisse, &, ut Põpeius in Hispaniã uenerit, Memmiúmq; habere Quæstorem cœperit, nunquã à Memmio discessisse: Carthaginẽ esse profectum: acerrimis illis præliis, & maximis Sucronẽsi, & Durienſi interfuisse: cũ Pompeio ad extremum belli tẽpus fuisse. Hæc sunt prælia Cornelij, talis in Rẽp. nostriã labor, assiduitas, dimicatio, uirtus digna summo Imperatore,

a Hic inchoatur contẽtio à defensione facti Pompeiani.

b Hic discedit à cõfirmatione & ponitur primo ratio constitutionis generaliter & vt pars quædã præcedẽtis argumenti ab autoritate Põpeii. Deinde factum statim narratur admodum breuiter & figuratè aut obiter q̃ dicat hoc aduersarium concedere.

tore, ſpes pro periculis præmiorum. præmia quidem ipſa non ſunt in eius facto, qui adeptus eſt, ſed in eius, qui dedit. Donatus igitur eſt ob eas cauſas à Cn. Pompeio ciuitate. id accuſator non negat, ſed reprehendit: ut in Cornelio cauſa ipſius probetur, pœna quæratur: in Pompeio cauſa lædatur, pœna ſit nulla. [a] ſic famam, ſic innocentiſſimi hominis fortunas, præſtantiſſimi Imperatoris factũ condemnari uolunt. ergo in iudicium caput Cornelij, factum Põpeij uocatur. hunc enim in ea ciuitate, in qua ſit natus, honeſtiſſimo loco natum eſſe concedis, & ab ineunte ætate relictis rebus ſuis omnibus in noſtris bellis, noſtris cum Imperatoribus eſſe uerſatum, nullius laboris, nullius obſeſſionis, nullius prælij expertem fuiſſe. hæc ſunt omnia cùm plena laudis, tum propria Cornelij. nec in his rebus crimen eſt ullum. Vbi igitur eſt crimẽ? quod eum Pompeius ciuitate donauit. huiuſcéne crimen? minimè: niſi honos ignominia putanda eſt. cuius igitur? reuera nullius: actione accuſatoris, eius unius, qui donauit. qui ſi adductus gratia minus idoneum hominem præmio affeciſſet: qui etiam ſi uirum bonum, ſed non ita meritum: ſi denique aliquid, quod non contrà, ac liceret, factum diceretur, ſed contrà, atque oporteret: tamen eſſet omnis eiuſmodi mali reprehenſio à uobis Iudices repudianda. Nunc uerò quid dicitur? quid ait accuſator feciſſe Pompeium, quod ei facere nõ licuerit? quod grauius eſt, quàm ſi id factum ab eo diceret, quod non oportuiſſet. Eſt enim aliquid, quod non oporteat, etiam ſi licet: quicquid uerò nõ licet, certè non oportet. [b] Hîc ego nunc *cũcter ſic agere Iudices, nõ eſſe fas dubitari, quin quod Cn. Pompeium feciſſe conſtet, id non ſolùm decuiſſe, ſed etiã debuiſſe fateamur. Quid enim abeſt huic homini, quod ſi adeſſet, iure hoc tribui, & concedi putaremus? uſi ſine

a Finita narratione, pergit cõtendere Cicero, & conqueri optimum & innocentiſſimum hominem Cornelium accuſari & Pompeium tantũ imperatorem & tã excellentem virum in ſuo facto reprehendi. Repetitur etiam argumentum ſupra vſurpatũ ab auctoritate ex minore, ac vna exaggeratur iniquitas aut impudentia accuſatoris: & argutè ac propemodum Grammaticè differentia vocum Oportet, & Licet, indicatur, quibus reſpondet, quæ proximè ſequuntur, Debet & decet.

b Hæc verba ſunt ſinuerſio quædã præcedẽtis exaggerationis figurata per occultã præteritionem.

*coner

usúſne rerum? qui pueritiæ tempus extremum, principium habuit bellorum, atq; imperiorũ maximorum? cuius plerisq; æquales minus ſæpe caſtra uiderũt, quàm hic triumphauit: qui tot habet triumphos, quot oræ ſunt partéſque terrarum, tot uictorias bellicas, quot ſunt in rerũ natura genera bellorum. an ingenium? cùm etiam ipſi caſus euentúſq; rerum, non duces, ſed comites eius conſiliorum fuerint: in quo uno ita ſumma fortuna cũ ſumma uirtute certauit, ut omnium iudicio * plus homini quàm decet, tribueretur. an pudor, an integritas, an religio in eo, an diligentia unquam requiſita eſt? quem prouinciæ noſtræ, quem liberi populi, quem Reges, quẽ exteræ gentes, caſtiorem, moderatiorem, ſanctiorem, nõ modò uiderunt, ſed aut ſperando unquam, aut optando cogitauerunt? Quid dicam de autoritate? quæ tanta eſt, quanta in his tãtis uirtutibus ac laudibus eſſe debet. Cui S.P.Q.R. ampliſſimæ dignitatis *præmia dedit, non poſtulanti imperia, uerùm etiam recuſanti: huius de facto Iud. ita quæri, ut id agatur, licueritne ei facere quod fecit, an uerò, non dicam non licuerit, ſed nefas fuerit (cõtra fœdus enim, id eſt cõtra Po. Ro. religionem & fidem feciſſe dicitur) non turpe Pop. Ro. nónne nobis?[a] Audini hoc de parẽte meo puer: cùm Q. Metellus L.F. cauſam de pecuniis repetũdis diceret, ille, ille uir, cui patriæ ſalus dulcior, quàm conſpectus fuit, qui de ciuitate decedere quàm de ſententia maluit: hoc igitur cauſam dicente, cũ ipſius tabulæ circunferrentur inſpiciendi nominis cauſa, fuiſſe iudicem ex illis Equitibus Romanis grauiſſimis uiris neminem, quin remoueret oculos, & ſe totum auerteret, ne fortè quod ille in tabulas publicas retuliſſet, dubitaſſe quiſquam, uerúmne an falſum eſſet, uideretur. nos Cn. Pompeij decretũ, iudicium de conſilij ſententia pronuntia

* pl° quàm poſſit, minus quàm decet

*præmia dedit non poſtulanti, imperia uerò etiam recuſanti

a Exemplis Q. Metelli Numidici & Xenocratis philoſophi hic fulcitur & amplificatur præcedẽs argumentum autoritatis.

nuntiatum recognoscemus? cum legibus conferemus? cũ fœderibus, quorum acerbissima diligentia est, pertendemus? Athenis aiunt, cùm quidã apud eos qui sanctè grauitérq; uixisset, & testimonium publicè dixisset, & (ut mos Græcorum est) iurãdi causa ad aras accederet, una uoce omnes iudices, ne is iuraret, reclamasse. Cùm Græci homines spectati uiri noluerint religione uideri potius, quàm ueritate fidem esse cõstrictam: [a]nos etiam in ipsa religione & legum, & fœderum conseruãda qualis fuerit Cn. Pompeius dubitabimus? [b]utrum enim insciente nultis contra fœdera fecisse, an scientem? si scientem, ô nomen nostri imperij, ô populi Rom. excellens dignitas, ô Cn. Pompeij sic latè longéque diffusa laus, ut eius gloriæ domicilium communis imperij finibus terminetur: ô nationes, urbes, Populi, Reges, Tetrarchæ, tyranni, testes Cn. Pompeij non solùm uirtutis in bello, sed etiam religionis in pace: uos denique mutæ regiones imploro, & sola terrarum ultimarum: uos maria, portus, insulæ, littoráque. Quæ est enim ora, quæ sedes, qui locus, in quo non extent huius cùm fortitudinis, tum uerò humanitatis, tum animi, tum consilij impressa uestigia? Hunc quisquam incredibili quadam atque inaudita grauitate, uirtute, constantia præditum, fœdera scientem neglexisse, uiolasse, rupisse, dicere audebit? Gratificatur mihi gestu accusator: insciente Cn. Pompeium fecisse significat. quasi uerò leuius sit, cùm in tanta Rep. uersere, & maximis negotiis præsis, facere aliquid, quod scias non licere, an omnino nescire quid liceat. Etenim cũ in Hispania bellum acerrimum & maximũ gesserat, quo iure Gaditana ciuitas esset, nesciebat? an cuius linguã populi non nosset, interpretationem fœderis non tenebat? Id igitur quisquam Cn. Pompeium ignorasse dicere audebit, quod

a Accõmodatio exempli.

b Dilemma est in quo grauiter exaggerat turpitudinem, si qua inesset huic facto.

bit, quod mediocres homines, quod nullo usu, nullo studio militari praediti, quod librarioli denique scire profiteantur? equidem contrà existimo Iudices, cùm in omni genere ac uarietate artium, etiam illarum quæ sine summo otio non facilè discũtur, Cn. Pompeius excellat, singularem quandam laudem eius, & præstabilẽ esse scientiam in fœderibus, pactionibus, conditionibus, populorum, Regum, exterarum nationum, in uniuerso denique belli iure ac pacis: nisi fortè, quæ nos libri docent in umbra, & otio, ea Cn. Pompeium, neque cùm requiesceret, literæ, neque cùm rem gereret, res ipsæ docere potuerunt. [a] Atque, ut ego sentio Iudices causa dicta est * temporis magis. ego nõ huius inquam genere iudicij plura dicam. est enim huius seculi labes quædam & macula, uirtuti inuidere, uelle ipsum florem dignitatis infringere. [b] Etenim si Cn. Pompeius abhinc annos quingentos fuisset, is uir à quo Senatus adolescentulo atq; Equite Romano sæpe communis salutis auxilium expetisset: cuius res gestæ omnes gentes cum clarissima uictoria terra mariq; peragrassent: cuius tres triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri: quem Populus Romanus singularibus honoribus decorasset: si nunc apud nos id quod is fecisset, contra fœdus factũ diceretur, quis audiret? nemo profectò. nam ut enim cùm extinxisset inuidiã, res eius gestæ sempiterni nominis gloria niterẽtur. Cuius igitur audita uirtus dubitationi locũ non daret: huius præsens, experta atq; perspecta, oratorum uoce lædetur? Omittam igitur Pompeiũ iam: oratione mea reliqua: sed uos Iudices animis ac memoria tenetote. [c] de lege, de fœdere, de exẽplis, de perpetua consuetudine ciuitatis nostræ, renouabo ea, quæ dicta sunt: nihil enim mihi noui, nihil integri neq; M. Crassus, qui

a Hactenus per infectationem, aut criminationẽ aut reprehensionem (non enim inter hæc subtiliter distinguo, qui supra etiam confirmationem depulsionis hanc orationis partem appellaui) Cicero docuit, hoc factum Põpeii non debuisse in quæstionem aut dubitationẽ vocari, similsque multa de laudib⁹ illius imperatoris immiscuit. Nunc vtitur correctione & reiectione.

*temporũ labe magis, quã ullius delicti crimine.

b Fictio est hic locus, & vt minus quiddam sequentibus accõmodatur, veluti præter institutum aut per παράλειψιν adiecta cũ significẽ cauerit, se nihil de Pompeio additurum esse, propter eius seculi vitium ut hominum inuidiam. Vnde etiam est quod incipit διαίρεσιν. Omittam igitur Pompeium.

c Hic incipit accedere propius ad causam, hoc est confutationẽ argumentorũ accusatoris & defensionem rei.

totam causam & pro facultate & pro fide sua diligẽtissimè uobis explicauit, neq; Cn. Pompeius, cuius oratio omnibus ornamẽtis abundauit, ad dicẽdum reliquit. Sed quoniam me recusante placuit ambobus adhiberi hũc à me quasi perpoliendi, quendam operis extremum laborem: peto à uobis, ut me officio potius, quàm dicẽdi studio hãc suscepisse operam ac munus putetis. Ac prius, quàm aggrediar ad ius causámq; Cornelij, quiddam de cõmuni conditione omnium nostrum deprecandæ maleuolentiæ causa breuiter commemorandum uidetur. [a] Si quo quisque loco nostrum est iudices natus, aut si in qua fortuna est nascendi initiò cõstitutus, hunc uitæ statum usq; ad senectutem obtinere debet, & si omnes, quos aut fortuna extulit, aut ipsorum illustrauit labor & industria, pœna sunt efficiendi: non grauior L. Cornelio, quàm multis uiris bonis atque fortibus, constitui lex uitæ & cõditio uidetur. Sinautem multorum uirtus, ingenium, humanitas ex infimo genere, & fortunæ gradu non modò amicitias, & rei familiaris copias consecuta est, sed summam laudem, honores, gloriam, dignitatem: non intelligo, & cur potius inuidia uiolatura uirtutem L. Cornelij, quàm æquitas uestra pudorem eius adiutura uideatur. Itaque quod maximè petendum est, à uobis idcirco non peto Iudices, ne de uestra sapientia, atq; de uestra humanitate dubitare uidear. est autem petendum, ne oderitis ingenium, ne inimici sitis industriæ, ne humanitatem opprimendam, ne uirtutem puniẽdam putetis. illud peto: ut si causam ipsam per se firmam esse & stabilem uideritis hominis ipsius ornamenta adiumẽto causæ potius, quàm impedimẽto esse malitis. [b] Nascitur Iudices causa Cornelij ex ea lege, quã L. Gellius, Cn. Cornelius ex Senatus sententia tulerunt. qua lege uidemus satis

a Hæc est admonitio. Demonstrat autem de multis, magnis & honestis viris hoc iudicium & hanc sententiam iudicum fore, nõ solum de Balbo. Et non est dubiũ quin seipsum & Pompeium & alios, qui ex equestri ordine & obscuro loco peruenerunt ad magnos honores & dignitatem, significet. Est autẽ dilemma imperfectũ & sic ratiocinatur. Si non licet in altiorem gradum ascendere, non tantum Cornelius periclitatur, sed alii boni viri: sin hoc licet, insontem lædetis, si lædetis Cornelium.

b Redditur hic ad causæ caput inchoatæ paulo ante in partitione.

satis esse sanctũ uti ciues Romani sint ij, quos Cn. Pompeius de consilij sententia sigillatim ciuitate donauerit. Donatum esse L. Cornelium præsens Põpeius dicit, indicant publicæ tabulæ, accusator fatetur, sed negat ex fœdere rato populo quẽquam potuisse, nisi is populus fundus factus esset, in hanc ciuitatem uenire. O præclarum interpretem iuris, autorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem nostræ ciuitatis, qui hanc pœnam fœderibus ascribat, ut omnium præmiorum beneficiorúmq; nostrorũ expertes faciat fœderatos. Quid enim potuit dici imperitius, quàm fœderatos populos fieri fundos oportere? nam id non magis est proprium fœderatorum, quàm omnium liberorum. Sed totũ hoc Iudices in ea fuit positum semper ratione atque sentẽtia: ut cùm iussisset P. R. aliquid, si id asciuissent socij populi ac Latini, & si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tanquam in fundo resedisset: ut tum lege eadem is populus teneretur: non ut de nostro iure aliquid minueretur, sed ut illi populi aut iure eo, quod à nobis esset constitutum, aut aliquo commodo, aut beneficio uterentur. Tulit apud maiores nostros legem C. Furius de testamentis, tulit Q. Voconius de mulierum hæreditatibus: innumerabiles aliæ leges de ciuili iure sunt latæ. quas Latini noluerunt, asciuerunt. ipsa denique Iulia, qua lege ciuitas est sociis & Latinis data, qui fundi populi facti non essent, ciuitatem nõ haberent. in quo magna cõtentio Heraclienſium & Neapolitanorum fuit, cùm magna pars in iis ciuitatibus iuris sui libertatem ciuitati anteferret. Postremò hæc uis est istius & iuris & uerbi, ut fundi populi beneficio nostro, non suo iure fiant. cùm aliquid Populus Romanus iussit, id si est eiusmodi, ut quibusdam populis siue fœderatis, siue liberis permittendum

esse uideatur, ut statuant ipsi, non de nostris, sed de suis rebus, quo iure uti nelint: tum utrum fundi facti sint, an non, quærẽdum esse uideatur. de nostra uerò Republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de uictoria, de salute, fundos populos fieri noluerunt. [a] Atqui si Imperatoribus nostris, si Senatui, si Popu. Roma. non licebit propositis præmiis elicere ex ciuitatibus sociorum atq; amicorum, fortissimum atque optimum quenque ad subeunda pro salute nostra pericula: summa utilitate ac maximo sæpe præsidio in periculis, atq; asperis temporibus carendum erit. Sed per deos immortales, quæ est ista societas, quæ amicitia, quod fœdus, ut aut nostra ciuitas careat in suis periculis Massiliensi propugnatore, careat Gaditano, careat Saguntino: aut si quis ex illis populis sit exortus, qui nostros duces auxilio laboris, commeatus, periculo suo inuerit, qui cum hoste nostro comminus in acie sæpe pugnarit, qui se sæpe telis hostium, qui dimicationi capitis, qui morti obiecerit, nulla conditione huius ciuitatis præmiis affici possit? [b] Etenim in populum Roma. graue est, non posse uti sociis excellenti uirtute præditis, qui uelint cum periculis nostris sua communicare: in socios uerò ipsos, & in eos, de quibus agimus, fœderatos iniurioſum & contumelioſum est, his præmiis & his honoribus excluſos esse fideliſſimos & coniunctiſſimos socios, quæ pateant stipendiariis, pateant hostibus, pateant sæpe seruis. Nam & stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris prouinciis multos ciuitate donatos uidemus: & qui hostes ad nostros Imperatores perfugissent, & magno usui Reipub. nostræ fuissent, scimus ciuitate esse donatos: seruos denique, quorum ius & fortunæ conditio infima est, bene de Repub. meritos persæpe libertate, id est ciuitate publicè donari uidebamus.

a Hæc adduntur præcedẽtib⁹ per occupationem.

b Hæc sunt expositio argumenti quod ex natura & ui amicitiæ & fœderis ductũ est, ac inscritur aliud argumentum ex minore, quod æquum sit fœderatos hoc beneficio nõ priuari, cùm stipendiariis & seruis concedatur.

mus.[a] *Hanc tu igitur patrone fœderum ac fœderatorum conditionem statuis Gaditanis tuis ciuibus, ut quod iis quos Gaditanis adiutoribus armis subegimus, atq; in ditionem nostram redegimus, liceat, si Popu. Roma. permiserit, ut ab Senatu, ab Imperatoribus nostris, ciuitate donentur: id ne liceat ipsis?*[b] *qui si suis decretis legibúsue sanxissent, ne quis suorum ciuium castra Imperatorum Pop. Rom. iniret, ne quis se pro nostro imperio in periculum capitis atq; in uitæ discrimẽ inferret, Gaditanorum auxiliis, cùm uellemus, uti nobis non liceret: priuatim uerò, ne quis uir & animo & uirtute præcellens pro nostro imperio periculo suo dimicaret: grauiter id iure ferremus, minui auxilia Popu. Roma. debilitari animos fortissimorum uirorum, alienigenarum nos hominum studiis, atque externa uirtute priuari. Atqui nihil interest Iud. utrum hæc fœderati iura constituant, ut ne cui liceat ex his ciuitatibus ad nostrorum bellorum pericula accedere: an, quæ nos eorum ciuibus uirtutis causa tribuerimus, ea rata esse non possint. nihil enim magis uteremur his adiutoribus, sublatis præmijs uirtutis, quàm si omnino his uersari in nostris bellis nõ liceret. Etenim cùm pro sua patria pauci post genus hominum natum reperti sint, qui nullis præmiis propositis uitam suam hostium telis obiecerint: pro aliena Repu. quenquam fore putatis, qui se opponat periculis, non modò nullo proposito præmio, sed etiã interdicto?*[c] *Sed quàm est illud imperitissimè dictum de populis fundis, quod commune liberorum est populorum, non proprium fœderatorum. ex quo intelligi necesse est, aut neminem ex sociis ciuem fieri posse, aut etiam posse ex fœderatis.*[d] *tum uerò ius omne noster iste magister mutãdæ ciuitatis ignorat: quod est Iudices nõ solùm in legibus publicis positũ, sed etiam in pri*

a Hic præcedens argumentũ concluditur & accõmodatur ad causam.

b A pari argumẽtatur, non debere Gaditanos hoc honore ciuitatis excluſos esse. Nihil enim interest, siue ipſi nolint per ſe iuuare populum Romanũ, ſiue nullum præmiũ ſit eis propoſitum.

c Repetitur hîc obiter argumentum à pari.

d Pergit inſectari accuſatoris inſcitiam, ac vna ius mutãdæ ciuitatis, i. peruenièdi ex alia ciuitate in aliam, itaut ius earum permutetur, copioſè explicat tãquam per digreſsionẽ.

in priuatorum uoluntate. iure enim nostro neq; mutare ciuitatem quisquam inuitus potest, neque si uelit, mutare non potest, modò ascisca tur ab ea ciuitate, cuius esse se ciuitatis uelit: ut, si Gaditani scinerint nominatim de aliquo ciue Roma. ut sit is ciuis Gaditanus, magna potestas sit nostro ciui mutandæ ciuitatis, nec fœdere impediatur, quò minus ex ciue Ro. ciuis Gaditanus possit esse. Duarum ciuitatum ciuis esse nostro iure ciuili nemo potest: non esse huius ciuitatis ciuis, qui se alij ciuitati dicarit, potest. Neque solùm dicatione, quod in calamitate clarissimis uiris Q. Maximo, C. Lenati, Q. Philippo Nuceriæ, C. Catoni Tarracone, Q. Cepioni, P. Rutilio Smyrnæ uidimus accidisse, ut earum ciuitatum fierent ciues, hanc antè amittere non potuissent, quàm huius solum ciuitatis mutatione uertissent: sed etiam postliminio potest ciuitatis fieri mutatio. neq; enim sine causa de Cn. Publicio Menandro libertino homine, quem apud maiores Legati nostri in Græciam proficiscentes interpretem secum habere uoluerunt, ad populum latum, ut is Publicius si domum reuenisset, & inde Romam rediisset, ne minus ciuis esset. Multi etiam superiore memoria ciues Romani sua uoluntate indemnati & incolumes, his rebus relictis, alias se in ciuitates cõtulerunt.[a] *Quòd si ciui Romano licet esse Gaditanũ siue exilio, siue postliminio, siue reiectione huius ciuitatis, ut iam ad fœdus ueniam, quod ad causam nihil pertinet (de ciuitatis enim iure, non de fœderibus disceptamus) quid est, quãobrem ciui Gaditano in hanc ciuitatem uenire non liceat?*[b] *Equidem longè secus sentio: nam cùm ex omnibus ciuitatibus uia sit in nostrum, cúmque nostris ciuibus pateat iter ad cæteras ciuitates: tum uerò ut quæq; nobiscũ maximè societate, amicitia, sponsione, pactione, fœdere coniuncta*

a Ex æquo, seu pari, per cõuersionem quandam hic argumentatur. Si enim Romanis licet fieri ciuibus Gaditanis, æquum est vt possint cõtrà Gaditani ciues Romani fieri.

b Hoc argumẽtũ, quod ex minore ducitur, adiectũ est præcedẽti, vt correctio.

iuncta est, ita mihi maximè communionem beneficiorum, præmiorum, ciuitatis, continere uidetur. Atqui cæteræ ciuitates non dubitarent nostros omnes recipere in suas ciuitates, si idem nos iuris haberemus, quod cæteri: sed nos non possumus & huius esse ciuitatis, & cuiusuis præterea: cæteris concessum est. Itaque in Græcis ciuitatibus uidemus, Athenis Rhodios, Lacedæmonios, cæteros undique ascribi multarúmque esse eosdem homines ciuitatum. Quo errore ductos uidi egomet nõnullos imperitos homines nostros ciues Athenis in numero iudicum, atq; Areopagitarũ, certa tribu, certo numero, cùm ignorarent, si illam ciuitatem essent adepti, hãc se perdidisse, nisi postliminio recuperassent. Peritus uerò nostri iuris ac moris nemo unquam, qui hanc ciuitatem retinere uellet, in aliam ciuitatem se dicauit. Sed hic totus locus disputationis, atque orationis meæ Iudices pertinet ad commune ius mutandarum ciuitatum: nihil habet, quod sit proprium religionis ac fœderũ. Defendo enim rem uniuersam, nullam esse gentem ex omni regione terrarum, neque tam dissidentem à Po. Ro. odio quodam atq; dissidio, neq; tam fide, beneuolentiáq; coniunctam, ex qua nobis interdictum sit, ut neque ascisere ciuem, aut ciuitate donare possimus. [a] *O iura præclara, atq; diuinitus iam inde à principio Romani nominis à maioribus nostris comparata, ne quis nostrũ plus quàm unius ciuitatis esse possit (dissimilitudo enim ciuitatum uarietatem iuris habeat necesse est) ne quis inuitus ciuitate mutetur, néue in ciuitate maneat inuitus. Hæc sunt enim fundamẽta firmissima nostræ libertatis, sui queq; iuris & retinendi & dimittendi esse dominum. Illud uerò sine ulla dubitatione maximè nostrum fundauit imperium, & Po. Ro. nomẽ auxit, quòd princeps ille creator*

a Exclamatio qua laudat Romanorũ prudentiam, propter earũ rerum constitutionẽ de quibus iam disseruit ac ostendit quantum inde boni sit ortum Romano imperio. Claudit autem ita præcedens explicatio de iure ciuitatum veluti epiphonemate.

tor huius urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiã hostibus recipiendis augeri hanc ciuitatem oportere. cuius autoritate & exemplo nunquàm est intermissa à maioribus nostris largitio, & communicatio ciuitatis.[a] Itaque & ex Latio multi, & Tusculani, & Lanuuini, & ex cæteris generibus gentes uniuersæ in ciuitatem sunt receptæ, ut Sabinorum, Volscorum, Hernicorum: quibus ex ciuitatibus nec coacti essent ciuitatem mutare, si qui noluissent: nec si qui essent ciuitatem nostram beneficio Po. Rõ. consecuti, uiolatum fœdus eorũ uideretur.[b] At enim quædam fœdera extant, ut Germanorum, Insubrium, Heluetiorum, Iapidum, nonnullorum item ex Gallia Barbarorum, quorum in fœderibus exceptũ est, ne quis eorũ à nobis ciuis recipiatur. quod si exceptio facit, ne liceat: ibi necesse est licere, ubi non est exceptum.[c] Vbi est igitur exceptũ fœdere Gaditano, ne quem Po. Ro. Gaditanum recipiat ciuitate? nusquam. ac sicubi esset, lex id Gellia & Cornelia, quæ definitè potestatem Pompeio ciuitatem donãdi dederat, sustulisset.[d] Exceptũ est, inquit: fœdus siquidem sacrosanctũ est. ignosco tibi si neque Pœnorum iura calles: reliqueras enim ciuitatem tuam: neq; nostras potuisti leges inspicere: ipsæ enim te à cognitione sua iudicio publico repulerũt. Quid fuit in rogatione ea, quæ de Põpeio à Gellio & à Lentulo COSS. lata est, in qua aliquid sacrosanctum uideretur? Primùm enim sacrosanctũ esse nihil potest, nisi quod populus plébsue sanxisset: deinde sanctiones sacrandæ sunt, aut genere ipso, aut obtestatione & cõsecratione legis, aut pœnæ, cùm caput eius qui cõtrà facit, consecratur. Quid habes igitur dicere de Gaditano fœdere eiusmodi? utrũ à capitis cõsecratione, an obtestatione legis sacrosanctũ esse confirmas? nihil omnino unquam de isto fœdere ad populũ, nihil ad pleb

a Exemplis quibusdam generalibus probat, non esse interdictum ex omnibus populis ciues legere. Hucautem omnia spectant, vt confirmetur depulsionis ratio. i. rectè Balbũ esse donatũ ciuitate propter sua beneficia in Remp. & propter legem Corneliã & Galliam.

b Aliu l argumẽtũ ab exceptionibus per exemplum.

c Accõmodat argumentũ ad causam. Et esset integra & puerilis ratiocinatio: Licet in ciuitatem recipere homines ex eo populo fœderato, in quorum fœdere nõ est exceptio: In Gaditanorum fœdere non est exceptio: ergo licet ex Gaditano populo ciues Romanos facere.

d Aliud argumentum incipit hic confutari quod ex ab aduersario contra præcedẽs argumentum de exceptione vsurpatum.

plebem latum esse dico: [a]de quibus etiam si latum esset, neq; legem, neq; pœnam latam esse, ne quem ciuem reciperemus: tamen id esset, quod populus posteà iussisset, ratum, neq; quicquam illis uerbis, si quid sacrosanctũ esset, esse exceptum uideretur. de his, cùm pop. Ro. nihil unquam iusserit, quicquã audes dicere sacrosanctũ fuisse? [b]Nec uerò hæc oratio mea ad infirmandũ fœdus Gaditanorũ Iud. pertinet. neq; enim est meũ cõtra ius optimè meritæ ciuitatis, cõtra opinionem uetustatis, cõtra auctoritatem Senatus dicere. [c]Duris enim quondam tẽporibus Reip. nostræ, cùm præpotens terra mariq; Carthago nixa duabus Hispanijs huic imperio immineret, & cùm duo fulmina nostri imperij subitò in Hispania Cn. & P. Scipiones extincti occidissent: L. Martius primipili centurio cum Gaditanis fœdus icisse dicitur. quod cùm magis fide illius populi, iustitia uestra, uetustate denique ipsa, quàm aliquo publico uinculo religionis teneretur: sapientes homines & publici iuris periti Gaditani M. Lepido, Q. Catulo COSS. à Senatu de fœdere postulauerũt. tũ est cum Gaditanis fœdus uel renouatũ, uel ictum. de quo fœdere pop. Ro. sententiam non tulit, qui iniussu suo nullo pacto potest religione obligari. ita Gaditana ciuitas, quod beneficiis suis erga Remp. nostram consequi potuit, quod imperatorum testimoniis, quod uetustate, quod Qu. Catuli summi uiri autoritate, quod iudicio Senatus, quod fœdere consecuta est: quod publica religione sanciri potuit, id abest. populus enim se nusquam obligauit. neque ideò est Gaditanorum causa deterior: grauissimis enim & plurimis rebus est fulta. sed isti disputationi certè nihil est loci: sacrosanctum enim nihil potest esse, nisi quod per populum, plebémue sancitum est. Quòd si hoc fœdus, quod populus Rom. autore Senatu, commenda-

*plebẽ neq; de lege, neque de pœna latũ esse dico: de quibus etiam si esset latum, ne quem ciuem, &c.

a Incrementum est orationis, aut fiducia quædam. Indicat enim causam firmam fore etiã si deliberatio de hoc fœdere populo esset proposita (nam hoc significat ferre ad populũ.) Et hoc ad sequentia refertur, vt maius ad minus.

b Occupatio. Remouetur enim suspicio de læso per hanc disputationem fœdere Gaditano cõsuetudine & autoritate senatus.

c Narratio quædam est de facto & renouato fœdere cũ Gaditanis.

tione & iudicio uetuſtatis, uoluntate & ſententiis ſuis comprobat, idem ſuffragiis cõprobaſſet: quid erat cur ex ipſo fœdere Gaditanum in ciuitatem noſtram recipi nõ liceret? nihil eſt enim aliud in fœdere, niſi ut pia & æterna pax ſit. quid id ad ciuitatem? [a] Adiunctũ illud etiam eſt, quod non eſt in omnibus fœderibus: Maieſtatem populi Ro. comiter conſeruent. id habet hanc uim, ut ſit ille in fœdere inferior. Primùm, uerbi genus hoc cõſeruandi, quo magis in legibus, quàm in fœderibus uti ſolemus, imperantis eſt non precantis. Deinde, cùm alterius populi maieſtas cõſeruari iubetur, de altero ſiletur: certè ille populus in ſuperiori conditione cauſáq; ponitur, cuius maieſtas fœderis ſanctione defenditur. In quo erat accuſatoris interpretatio indigna reſponſione, qui ita dicebat, C niter eſſe cõmuniter: quaſi uerò priſcum aliquod, aut inſolitum uerbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur. Qui erranti comiter monſtrãt uiam: benignè, non grauatè: *comiter quidem certè, non cõmuniter conuenit. & ſimul abſurda res eſt, caueri fœdere, ut maieſtatem populi Rom. communiter conſeruent: id eſt, ut populus Rom. ſuam maieſtatem eſſe ſaluam uelit. [b] Quod ſi iam ita eſſet, ut eſſe non poteſt: tamen de noſtra maieſtate, nihil de illorum caueretur. [c] Potéſtne igitur noſtra maieſtas à Gaditanis benignè cõſeruari, ſi ad eam retinendam Gaditanos præmiis elicere nõ poſſumus? poteſt eſſe ulla denique maieſtas, ſi impedimur, quò minus per populum Ro. beneficiorum uirtutis cauſa tribuendorum poteſtatem Imperatoribus noſtris deferamus? Sed quid ego diſputo, quæ mihi tum, ſi Gaditani contra me dicerent, uerè poſſe dici uiderentur? illis enim repetentibus L. Cornelium, reſponderem legem populum Rom. tuliſſe de ciuitate tribuenda: hoc

genere

a Aliud argumẽ tũ aduerſarii cõ futatur ſumptũ ab hac parte fœ deris (maieſtatẽ populi Rom. comiter cõſeruẽt) ſic enim ſcriptũ fuiſſe in fœdere Gaditanorũ hic ſignificatur.

*cõmuniter quidem certè non conuenit

b Hic etiam eſt incremẽtum, ſeu fiducia. Vrget enim Cicero uocem populi Romani.

c Concluſio huius partis & accõmodatio ad cauſam: id eſt breuiter fit collectio, non poſſe hanc partem fœderis, uim ſuam habere, niſi liceat ex populo Gaditano benemeritos & præſtantes uiros donare ciuitate.

genere legum fundos populos fieri non solere: Cn. Pompeium de consilij sentẽtia ciuitatem huic dedisse: nullum populi nostri iussum Gaditanos habere: itaq; nihil esse sacrosanctum, quod lege exceptum uideretur: si esset, tamen in fœdere nihil esse cautum præter pacem. additũ etiam esse illud, ut maiestatem illi nostram conseruare deberẽt, quæ certè minueretur, si aut adiutoribus illorum ciuibus uti in bellis nobis non liceret, aut præmij tribuendi potestatem nullam haberemus. [a] Nunc uerò quid ego contra Gaditanos loquar? cùm id quod defendo, uoluntate eorum, autoritate, legatione ipsa comprobetur? qui à principio sui generis ac Reip. ab omni studio sensuq; Pœnorum mentes suas ad nostrum imperium nomenq; flexerunt: quos, cùm maxima bella nobis inferrentur, mœnibus excluserunt, classibus insecuti sunt, corporibus, copijs, opibus depulerunt: qui & ueterem illam speciem fœderis Martiani semper omni sanctiorem Marte duxerunt, & hoc fœdere Catuli, Senatusq; autoritate se nobiscum coniunctissimos esse arbitrati sunt: quorum mœnia, delubra, agros, ut ipse Hercules itinerum ac laborum suorum, sic maiores nostri imperij ac nominis Populi Ro. terminos esse uoluerunt? Testantur & mortuos nostros Imperatores, quorum uiuit immortalis memoria & gloria, Scipiones, Brutos, Horatios, Cassios, Metellos, & hunc præsentem Cn. Pompeium, quem procul ab eorum mœnibus acre & magnum bellum gerentem cõmeatu, pecuniaq; iuuerunt: & hoc tempore ipso Populum Ro. quem in caritate annonæ, ut sæpe antè fecerãt, frumẽto suppeditato leuauerunt: se hoc ius esse uellet, ut sibi & liberis, si qui eximia uirtute fuerint, sit in nostris castris, sit in Imperatorum Prætoriis, sit denique inter signa atque in acie locus, sit his gradibus ascensus etiam ad ciuitatem.

[a] Hæc pertinent ad præcedentem amplificationẽ.

Quòd

a Argumentum ex minore. Si enim stipẽdiariis à.vt ipse hic κατὰ περίφρασιν exponit, stipendio multatis (nec est idem stipendiarius, quòd mercenarius, vt vulgus putat (permittitur fieri ciuibus Romanis: permitti etiã debet Gaditanis, quorum cõditio longè melior est. b Cicero pergit urgere præcedentem locum de iudicio & testimonio Gaditanorũ.

a *Quòd si Afris, si Sardis, si Hispanis agris stipendio, multatis uirtute adipisci licet ciuitatẽ: Gaditanis antè officijs, uetustate, fide, periculis, fœdere coniunctis hoc idem non licebit: non fœdus sibi nobiscũ, sed iniquissimas leges impositas à nobis esse arbitrabuntur.* b *Atq; hanc Iudices non à me fingi orationem, sed me dicere, quæ Gaditani iudicarint, res ipsa declarat. Hospitiũ multis annis ante hoc tempus, cum L. Cornelio Gaditanos fecisse publicè dico. proferam testes, proferam Legatos, excitabo* laudatores. ad hoc iudicium summos homines, ac nobilissimos deprecatores huius periculi missos nidetis. re denique multò antè Gadibus iam audita, fore, huic ut ab illo periculum crearetur, grauissima tum in istum ciuem suum Gaditani Senatusconsulta fecerunt.* c *Potuit m.. is fundus populus Gaditanus fieri (quoniam hoc magnopere delectare uerbo) si tum fit fundus, cùm scita ac iussa nostra sua sententia comprobat, quàm cùm hospitium fecit. ut & ciuitate illum mutatũ esse fateretur, & ius ciuitatis honorem dignissimum iudicaret? potuit certius interponere iudicium uoluntatis suæ, quàm cùm etiam accusatorem huius mulcta & pœna mulctauit? potuit magis de re iudicare, quàm cùm ad uestrum iudicium ciueis amplissimos, legauit, testeis huius iuris, uitæ laudatores, periculi deprecatores?* d *Etenim quis est tã demens, quin sentiat ius hoc Gaditanis esse retinendũ, ne interseptum sit ijs iter perpetuò ad hoc amplissimũ præmium ciuitatis: & magnopere ijs esse lætãdum, huius L. Corneli beneuolentiã erga suos remanere Gadibus, gratiam & facultatem cõmendandi in hac ciuitate uersari? Quis enim nostrum est, cui non illa ciuitas sit huius studio, cura, diligentia, cõmendatior?* e *Omitto quantis ornamentis populum istũ C. Cæsar, cùm esset in Hispania Prætor,*

* *laudatores quos ad hoc iudiciũ*

Accommodat argumentum ab hospitio ad sublatorẽ disputationem de populis fundis.

d Argumẽtũ ab vtilitate Gaditanorum quo idẽ locus. i. argumentum à voluntate & iudicio illorũ de Põpeii facto confirmatur.

e A Cæsaris beneficijs in Gaditanos vult conicẽdam capi ad eam rem credẽdam.

Prætor, affecerit, cõtrouersias sedarit, iura ipsorum permissu statuerit, inueteratam, quondam barbariam ex Gaditanorũ moribus disciplinaq; delerit, summa in eam ciuitatem huius rogatu studia & beneficia contulerit. multa prætereo, quæ quotidie labore huius & studio, aut omnino, aut certè facilius consequantur.[a] Itaq; & adsunt principes ciuitatis, & defendũt, amore ut suũ ciuẽ, testimonio ut nostrum, officio ut nobilissimũ & sanctissimum hospitem, studio ut diligentissimum defensorem commodorum suorum.[b] Ac ne ipsi Gaditani arbitrẽtur, quanquàm nullo incommodo afficiantur, si liceat eorum ciues uirtutis causa in nostram ciuitatem uenire, tamen hoc ipso inferius esse suum fœdus quàm cæterorum: consolabor & hos præsentes uiros optimos, & illam fidelissimam atq; amicissimam nobis ciuitatem: simul & uos nõ ignoranteis Iud. admonebo, quo de iure hoc iudicium constitutum sit, de eo nunquàm omnino esse dubitatum. Quos igitur prudentissimos interpretes fœderum, quos peritissimos bellici iuris, quos diligentissimos in exquirendis cõditionibus ciuitatũ atq; causis esse arbitramur? eos profectò, qui iam imperia ac bella gesserunt. Etenim si Q. Scæuola ille Augur, cùm de iure prædiatorio consuleretur, homo iuris peritissimus, consultores suos nonnunquam ad Furium & Casellium prædiatores reiciebat: si nos de aqua nostra Tusculana M. Tugionem potius, quàm C. Aquiliũ cõsulebamus, quòd assiduus usus uni rei deditus, & ingenium & artẽ sæpe uincit: quis dubitet de fœderibus, & de toto iure pacis & belli omnibus iuris peritissimis Imperatores nostros anteferre?[c] Possumúsne igitur tibi probare autorem exempli atq; facti illius quod à te reprehẽditur, C. Mariũ? quæris aliquem grauiorem? constantiorẽ? præstantiorẽ uirtute, prudẽtia, religio

a Cõcludit hãc locum, per quem probauit hoc esse Gaditanorum de facto Põpeii, & Balbo iudiciũ.

b Quæ hic dicũtur sunt occupatio quædam cognata cũ ea quæ supra est tractata post confutationem argumenti oppositi ab accessatore argumento de exceptione.

c Hic incipit multis exemplis conclusionẽ præcedentis argumẽtationis imperfectæ probare: hoc est factum Pompeii defendere ita vt supra initio quoq; grationis fecit.

religione, æquitate? Is igitur M. Annium Appiũ fortiſſimum uirum, ſumma uirtute præditũ, ciuitate donauit, cùm Camertinum fœdus ſanctiſſimum atq; æquiſſimum ſciret eſſe. Poteſt igitur Iudices L. Cornelius cõdemnari, ut non C. Marij factum cõdemnetur?[a] *Exiſtat ergo ille uir parumper cogitatione ueſtra, quoniam re non poteſt: ut conſpiciatis eum mentibus, quem oculis non poteſtis: dicat ſe non imperitum fœderis, non rudem exẽplorum, non ignarum belli fuiſſe: ſe P. Africani diſcipulum ac militem, ſe ſtipẽdijs, ſe legationibus bellicis eruditum, ſe, ſi tanta bella legiſſet, quanta geſſit & confecit, ſi tot Conſulibus meruiſſet, quoties ipſe Conſul fuiſſet, omnia iura belli perdiſcere ac noſſe potuiſſe: ſibi non fuiſſe dubium, quin nullo fœdere à Repu. bene gerenda impediretur: à ſ[illegible]ex cõiunctiſſima atq; amiciſſima ciuitate fortiſſimum quẽque eſſe delectum: neque Fulginatium, neq; Camertium fœdere eſſe exceptum, quò minus eorum ciuibus à Pop. Ro. præmia uirtutis tribuerentur.*[b] *Itaq; cùm paucis annis poſt hanc ciuitatis donationem acerrima de ciuitate quæſtio Licinia & Mutia lege ueniſſet, num quis eorum, qui de fœderatis ciuitatibus eſſet ciuitate donatus, in iudicium eſt uocatus? nam Spoletinus T.* * *Macrinus unus ex ijs, quos C. Marius ciuitate donaſſet, dixit cauſam ex colonia Latina in primis firma & illuſtri. quẽ cùm diſertus homo L. Antiſtius accuſaret, Spoletinus dixit fundũ populum Spoletinũ non eſſe factum. uidebat enim populos de ſuo iure, non de noſtro fundos fieri ſolere: ſed cùm lege Apuleia coloniæ non eſſent deductæ, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in ſingulas colonias ternos ciues Rom. facere poſſet, negabat hoc beneficiũ re ipſa ſublata ualere debere. Nihil habet ſimilitudinis iſta accuſatio: ſed tamẽ tãta autoritas in C. Mario fuit,*

[a] Amplificat hoc exẽplum Marii, fictione perſonæ, non tamẽ directa, vt loquuntur, hoc eſt accõmodata ad rem præſentem, ſed indirecta & obliqua.

[b] Epilogus eſt exẽpli de Mario, continẽs genera le quiddã, pro illo tamen tẽpore

rio fuit, ut non per L. Crassum affinẽ suum, hominẽ incredibili eloquentia, sed paucis ipse uerbis causam illam grauitate sua defenderit & probarit. [a] Quis enim esset Iudices, qui Imperatorib. nostris in bello, in acie, in exercitu, delectum uirtutis: qui socijs, qui fœderatis, in defendẽda Rep. nostra spẽ præmiorũ eripi uellet? [b] Quòd si uultus C. Marij, si nox, si ille imperatorius ardor oculorũ, si recentes triũphi, si præsens ualuit aspectus: ualeat autoritas, ualeãt res gestæ, ualeat memoria, ualeat fortissimi & clarissimi uiri nomen æternũ: sit hoc discrimẽ inter gratiosos ciues atq; fortes, ut illi uiui fruãtur opibus suis: horum etiam mortuorum (si quisquam huius imperij defensor mori potest) uiuat autoritas immortalis. Quid? Cn. Pompeius pater, rebus Italico bello maximis gestis, P. Cæsiũ Equitem Ro. uirũ bonum, qui uiuit Rauẽnæ, fœderato ex populo nónne ciuitate donauit? quid? cohorteis duas uniuersas Camertium? quid? Heraclienſium legionem, P. Crassus uir amplissimus ex ea ciuitate, quæ cùm propè singulare fœdus Pyrrhi temporibus C. Fabricio Consule ictum putatur? quid? Massilienſem Aristonẽ Sylla? quid? quoniã de Gaditanis agimus, * idem Heros LX. Gaditanos? quid? uir sanctissimus & summa religione ac modestia Q. Metellus Pius Q. Fabiũ Sagũtinũ. quid? hic q adest, à quo hæc, quæ ego nũc percurro, subtilissimè sunt omnia perpolita M. Crassus, nõ Aletrinensem fœderatũ ciuitate donauit, homo tũ grauitate & prudentia præstans, tum uel nimium parcus in largiẽda ciuitate? [b] Hîc tu Cn. Põpeij beneficiũ, uel potius iudiciũ & factũ infirmare conaris? qui fecit quod C. Mariũ fecisse audierat, fecit quod P. Crassum, quod L. Syllã, quod Q. Metellũ, quod denique domesticum autorẽ patrem suũ facere uiderat. [c] neq; uerò in uno Cornelio id fecit. nã

[a] Aliquoties sumpta supra causam repetit, & addit exemplo Mariij.

[b] A minore, aut potius ab æquo argumentatur eodem exemplo.

* idem Prætor uiros, legendũ Syluius censet

[c] Repetitio exẽplorum cum quadã contentione. Et est figura quã commemorationem vocant.

[d] Argumentatur ab aliis eiusdẽ Põpeii filii exẽplis, & addit causam generalem à iusto acceptã, & usurpatã anteà quoq; nõ semel.

&

& Gaditanum Hasdrubalem ex bello illo Africano, & Mamertinos obuios, & quosdam Vticenses, & Saguntinos fabros ciuitate donauit. Etenim cùm cæteris præmijs digni sunt qui suo labore & periculo nostram Remp. defendunt: tum certè dignissimi sunt, qui ciuitate ea donentur, pro qua pericula ac tela subierunt. [a] Atque utinam qui ubique sunt propugnatores huius imperij, possent in hanc ciuitatem uenire, & contrà, oppugnatores Reip. de ciuitate exterminari. [b] Neque enim ille summus poeta noster Annibalis illam magis cohortationẽ, quàm communem Imperatorum uoluit esse, Hostem qui feriet, mihi erit, * inquit, Carthaginiensis, * Quisquis erit, ciuitatis: etsi id habẽt hoc leue, & semper habuerunt. Itaq; & ciues undique fortes uiros adsciuerũt, & hominum ignobilium uirtutem persæpe nobilitatis inertiæ prætulerunt. Habetis Imperatorum summorum, & sapientissimorum hominum, clarissimorum uirorum interpretationem iuris ac fœderum: dabo etiam iudicum, qui huic quæstioni præfuerunt: dabo uniuersi populi Ro. dabo sanctissimum etiam iudicium Senatus. [c] Iudices cùm præse ferrent, palámque loquerentur, quid essent lege Pappia de M. Crasso Mamertinis repetentibus iudicaturi: Mamertini publicè suscepta causa destiterunt. multi in ciuitatem recepti ex liberis fœderatisq; populis: nemo unquã est de ciuitate accusatus, quòd aut populus fundus factus non esset, aut quòd fœdere ciuitatis mutandæ ius impediretur. audebo etiam hoc contendere, nunquam esse condemnatum, quem cõstaret ab Imperatore nostro ciuitate donatũ. [d] Cognoscite nunc populi Romani iudicium multis rebus interpositum, atq; in maximis causis re ipsa atque usu comprobatũ. Cũ Latinis omnibus fœdus ictum Sp. Cassio, Posthumio Cominio COSS. quis ignor

a Votum est cũ vehementi quodã affectu & perstringitur simul ciuium licentia.

b Argumentum ab autoritate Enni. Est autem integer Hexameter, cum initio alterius, & est punctum faciendum inter Erit, & Ciuitas. Quæsequũtur sunt depravata. Existimo tamen hoc eũ velle dicere: ciuitates hoc ius faciẽdi suos ciues benemeritos retinere Et hucrespicit sequens conclusio. Itaque & ciues &c.

* Inquit, abundat, quod in castigatissimis codicibus non legitur.

* Quisquis erit ciuitatis siet, id habent omnes leue, &c.

c Partitionis prima pars.

d Secunda pars cum propositione speciali.

ignorat? quod quidem nuper in colũna ænea meminimus post rostra incisum & perscriptum fuisse. quomodo igitur L. Cossinius Tiburs, pater huius Equitis Ro. optimi atq; ornatissimi uiri, dãnato Cælio, quomodo ex eadem ciuitate T. Coponius, ciuis item summa uirtute & dignitate (nepotes T. & C. Coponios nostis) damnato C. Massone ciuis Romanus est factus? an lingua & ingenio patefieri aditus ad ciuitatem p tuit: manu & uirtute nõ potuit? ánne de nobis trahere spolia fœderatis licebit: de hostibus non licebit? an quod adipisci poterunt dicendo, id eis assequi pugnando non licebat? an accusatori maiores nostri maiora præmia, quàm bellatori esse uoluerunt? Quòd si acerbissima lege Seruilia principes uiri ac grauissimi, & sapientissimi ciues hanc Latinis, id est fœderatis, uiam ad ciuitatem populi iussu patere passi sunt: neq; in his est hoc reprehensum Licinia & Mutia lege, cùm præsertim genus ipsum accusationis & nomẽ, eiusmodi præmium, quod nemo assequi possit, nisi ex Senatoris calamitate, neque Senatori, neq; bono cuiquam nimis iucundum esse posset: dubitandum fuit, quin quo in genere, iudicum præmia rata essent, in eodem iudicia Imperatorum ualerent? Num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur, aut Seruilia lege, aut cæteris, quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re præmium ciuitatis?[a] Cognoscite nũc iudicium Senatus, quod semper est iudicio populi comprobatum. Sacra Cereris Iudices summa maiores nostri religione confici cærimoniaq; uoluerunt: quæ cùm essent assumpta de Græcia, & per Græcas semper curata sunt sacerdotes, & Græca omnia nominata: sed cum illam quæ Græcũ illud sacrum monstraret, & faceret, ex Græcia deligerent, tamen sacra pro ciuibus ciuem facere uoluerũt, ut deos im-

a Tertia pars huius partitionis & quarta totius disputationis

mortales scientia peregrina & externa, mente domestica & ciuili precarẽtur. has sacerdotes uideo ferè aut Neapolitanas, aut Velienses fuisse fœderatarum sine dubio ciuitatum. mitto uetera: proxima dico: ante ciuitatẽ Velienſibus datam, de Senatus sententia C. Valeriũ Flaccum Prætorem urbanũ nominatim ad populũ de Calliphana Velienſe ut ea ciuis Romana esset, tulisse. num igitur aut fundos factos Velienses, aut sacerdotem illam ciuem Ro. factam non esse, aut fœdus & à Senatu & à pop. Ro. uiolatum arbitrabimur? [a] Intelligo Iud. causa aperta, minimeq; dubia, multo & plura, & à pluribus peritissimis esse dicta, quã res postularet: sed id factũ est, non ut uobis rem tam perspicuam dicendo probaremus, uerùm ut omnium maleuolorum, iniquorũ, inuidorum crimos frangeremus: quos ut accusator incẽderet, ut aliqui sermones hominum alienis bonis mœrentium etiam ad uestras aures permanarent, & in iudicio ipso redundarent, idcirco illa in omni parte* orationi summa arte aspergi uidebatis: tum pecuniã L. Cornelij, quæ neq; inuidiosa est, & quanta cunq; est, eiusmodi est, ut cõseruata magis, quàm corrupta esse uideatur: tum luxuriã, quæ non crimine aliquo libidinis, sed cõmuni maledicto notabatur: tum Tusculanũ quod Q. Metelli fuisse meminerat, & L. Crassi, Crassum emisse de libertino homine Soterico Martio, ad Metellũ peruenisse de Venonij Vindicij bonis non tenebat: simul illud nesciebat, prædiorum nullam esse gẽtem: emptionibus ea solere sæpe ad alienos homines, sæpe ad infimos, nõ legibus, tãquã tutelas, peruenire. Obiectũ est etiã quòd in tribũ Crustuminã peruenerit: quod hic assecutus est legis de ambitu præmio minus inuidioso, quàm qui legũ præmijs Prætoriã sententiã, & prætextam togam cõsequuntur. Et adoptio Theophan

[a] Hîc inchoatur peroratio.

* orationis suæ arte

phanis agitata est, per quã Cornelius nihil est, præterquã propinquorum suorum hæreditates, assecutus. quãquam istorum animos, qui ipsi Cornelio inuident, non est difficillimum mitigare: more hominũ inuident, in conuiuijs rodũt, in circulis* idcirco uellicãt: nõ illo inimico, sed hoc maledico dente carpunt. qui amicis L. Cornelij aut inimici sunt, aut inuident, hi sunt huic multo uehementius pertimescendi. nam huic quidem ipsi quis est unquam inuentus inimicus? aut quis iure esse potuit? quem bonum non coluit? cuius fortunæ dignitatiq; non concessit? uersatus in intima familiaritate hominis potentissimi, in maximis nostris malis, atque discordijs neminem unquam alterius rationis ac partis non re, non uerbo, non uultu denique offendit. fuit hoc siue meum, siue Reip. fatum, ut in me omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. non modò non exultauit in ruinis uestris, nostri; discordijs Cornelius: sed omni officio, lacrymis, opera, consolatione, omneis me absente meos subleuauit. quorum ego testimonio ac precibus, munus hoc meritum huic, &, ut à principio dixi, iustam & debitam gratiam refero: sperõque Iud. ut eos, qui principes fuerunt conseruandæ salutis, aut dignitatis meæ, diligitis, & charos habetis: sic quæ ab hoc pro facultate huius, pro loco facta sunt, & grata esse uobis & probata. Non igitur à suis, quos nullos habet, sed à suorum, qui & multi & potentes sunt, urgetur inimicis: quos quidem heserno die Cn. Pompeius copiosa oratione & graui secum, si uellent, contendere iubebat: ab hoc improbo certamine, atque iniusta contentione auocabat. Et erat æqua lex, & nobis Iudices, atque omnibus, qui nostris familiaritatibus implicantur, uehementer utilis, ut nostras inimicitias ipsi inter nos geramus, amicis nostrorũ inimicorũ

* Idcirco abũdat, nec est in emendatioribus codicibus.

temperemus. Ac si mea autoritas satis apud illos in hac re ponderis haberet, cùm me præsertim rerum uarietate, atq; usu ipso iam perdoctum uiderent, etiam ab illis eos maioribus discordijs auocarem. Id enim * contendere mecum de Rep. cùm id defendas, quod esse optimũ sentias,* & fortium uirorũ & magnorum hominũ semper putaui: neq; huic unquã labori, officio, muneri defui. sed contentio tandiu sapiens est quãdiu aut proficit aliquid, aut si non proficit, non obest ciuitati. uoluimus quædam, contendimus, experti sumus: obtenta non sunt: dolorem alij, nos luctum, mœroremq; suscepimus. cur ea quæ mutare non possumus, conuellere malumus, quàm tueri? C. Cæsarem Senatus & genere supplicationũ amplissimũ ornauit. & * numero dierũ XV. Idem in angustijs ærarij ut Torem exercitum stipendio affecit, Imperatori decem legatos decreuit, lege Sempronia succedendum non censuit. Harum ego sententiarum & princeps & autor fui: neque me dissensioni meæ pristinæ putaui potius assentiri, quàm præsentibus Reip. tẽporibus, & cõcordiæ conuenire. Non idem alijs uidetur. sunt fortasse in sententia firmiores: reprehendo neminem: sed assentior non omnibus: neque esse inconstantis puto, sententiam aliquam, tanquam aliquod nauigium, atq; cursum ex Reip. tempestate moderari. [a] Sed si qui sunt, quibus infinitum sit odium, in quos semel susceptum sit, quos uideo esse nonnullos: cum ducibus ipsis, non cum comitatu, assectatoribusq; confligant. Illã enim fortasse pertinaciã nonnulli, uirtutem alij putabunt: hanc uerò iniquitatem omnes cum aliqua crudelitate coniunctam. Sed si certorum hominum mentes nulla ratione placare possumus Iudices, uestros quidem animos certè confidimus, nõ oratione nostra, sed humanitate uestra esse placatos. Quid enim est,

*cõtendere mihi uidetur è Rep.

* & id fortium

* numero dierũ nouo.

a Post hanc adhortationem seu manus obiurgationem, redit ad suum institutum de non connectẽdis inimicitiis, vt ita dicam, docetque laudi & vsui potius esse Cornelio Cæsaris amicitiam, quàm vituperationi & fraudi.

cur

cur non potius ad ſummam laudem huic, quàm ad minimam fraudem Cæſaris familiaritas ualere debeat? cognouit adoleſcens: placuit homini prudẽtiſſimo: in ſumma amicorũ copia cum familiariſſimis eius eſt adæquatus: in prætura, in Cõſulatu præfectum fabrûm detulit, conſilium hominis probauit, fidem eſt complexus, officia, obſeruantiámq; dilexit. fuit hic multorum illi laborũ ſocius aliquando, eſt fortaſſe nunc nonnullorum particeps commodorum. quæ quidem ſi huic obfuerint apud uos, non intelligo quod bonum cuiquam ſit apud tales uiros profuturũ. Sed quoniam C. Cæſar abeſt longiſſimè, atq; in iis eſt nunc locis, quæ regione orbem terrarum, rebus illius geſtis Imperiũ Pop. Rom. definiunt: nolite per deos immortales Iudices hunc illi acerbũ nuncium uelle deferri, ut ſuum præfectum fabrûm, ut hominem ſibi clariſſimum & familiariſſimum, non ob ipſius aliquod delictum, ſed ob ſuam familiaritatẽ ueſtris oppreſſum ſententiis audiat. Miſereminí eius, qui non de ſuo peccato, ſed de huius ſummi & clariſſimi uiri facto, nõ de aliquo crimine ſed de periculo ſuo, de publico iure diſceptat: quod ius ſi Cn. Põpeius ignorauit, ſi M. Craſſus, ſi Qu. Metellus, ſi Cn. Pompeius pater, ſi L. Sylla, ſi L. Craſſus, ſi C. Marius, ſi Senatus, ſi popu. Rom. ſi qui de re ſimili iudicarunt, ſi fœderati populi, ſi ſocij, ſi illi antiqui Latini, uidete ne utilius uobis & honeſtius ſit, illis ducibus errare, quàm hoc magiſtro erudiri. Sed ſi de certo, de perſpicuo, de utili, de probato, de iudicato uobis iure eſſe conſtituendũ uidetis: nolite cõmittere, ut in re tã inueterata quicquã noui ſentiatis. Simul & illa Iudices, omnia ante oculos ueſtros proponite: primùm eſſe omnes etiã poſt mortẽ reos clariſſimos illos uiros, qui fœderatos ciuitate donarũt: deinde Senatũ, qui perſæpe hoc iudicauit:

uit: populũ, qui iussit: iudices, qui approbarunt. tũ etiam illud cogitatote, sic uiuere ac uixisse Cornelium, ut cùm omnium peccatorum quæstiones sint, nõ de uitiorum suorum pœna, sed de uirtutis præmio in iudicium uocetur. Accedat etiam illud, ut statuatis hoc iudicio, utrũ posthac amicitias clarorum uirorum calamitati hominibus, an ornamento esse malitis. Postremò illud Iud. fixum in animis uestris tenetote, uos in hac causa non de maleficio L. Corneli, sed de beneficio Cn. Põpeij iudicaturos.

DE PROVINCIIS CONSVLARIBVS.

ORATIO XXXVII.

a In exordio beneuolentiam captat Orator, à sua persona, & eorũ quibus prouinciã adimendam esse suadet.

SI QVIS uestrum P.C. expectat quas sim prouincias decreturus, cõsideret ipse secum, qui mihi homines ex prouincijs potissimũ detrahendi sint: nõ dubitabit, quid me sentire cõueniat, cùm quid mihi sentire necesse sit, cogitarit. Ac si princeps eã sententiam dicerem, laudaretis profectò: si solus, certè ignosceretis: etiam si paulò minus utilis uobis sentẽtia uideretur, ueniam tamen aliquam dolori meo tribueretis. Nunc uerò P.C. non parua afficior uoluptate: uel quòd hoc maximè Reip. cõducit, Syriam Macedoniamq; decerni, ut dolor meus nihil à cõmuni utilitate dissentiat: uel quòd habeo autorem P. Seruilium, qui ante me sententiam dixit, uirum clarissimum, & cùm in uniuersam Rempublicam, tum etiam erga meam salutem fide ac beneuolentia singulari. Quòd si ille & paulò antè, & quotiescunque ei locus dicendi ac potestas fuit, Gabinium & Pisonẽ duo

Reipub.

Reipublicæ portenta, ac penè funera, cùm propter alias causas, tum maximè propter illud insigne scelus eorum, & importunam in me crudelitatem, nõ solùm sententia sua, sed etiam uerborum grauitate esse notandos putauit: quonam me animo in eos esse oportet, cuius illi salutem pro pignore tradiderunt ad explendas suas cupiditates? Sed ego in hac sententia dicenda non parebo dolori meo, nec iracundiæ seruiam: quo animo unusquisque uestrum debet esse in illos, hoc ero: præcipuum illum & proprium sensum doloris mei, quem tamen uos communem semper uobis mecum esse duxistis, à sententia dicẽda amouebo, ad ulciscendi tẽpora reseruabo. [a] *Quatuor sunt prouinciæ P.C. de quibus adhuc intelligo sententias esse dictas: Galliæ duæ, quas hoc tempore uno imperio uidemus esse coniunctas, & Syria, & Macedonia, quas nobis inuitis & oppressis, pestiferi illi Consules pro euersa Reipublicæ præmiis occupauerunt. Decernendæ nobis sunt lege Sempronia duæ. quid est, quod possimus de Syria Macedoniáq; dubitare?* [b] *Mitto, quòd eas ita partas habent ii, qui nunc obtinẽt, ut non antè attigerint, quàm hunc ordinem condemnarint, quàm autoritatem uestrã è ciuitate exterminarint, quàm fidem publicam, quàm perpetuam populi Romani salutem, quàm me ac meos omnes fœdissimè crudelissimèque uexarint. Omnia illa domestica atque urbana mitto: quæ tãta sunt, ut nunquam Annibal huic urbi tantum mali optarit, quantum illi effecerint.* [c] *Ad ipsas uenio prouincias. quarum Macedonia, quæ erat anteà munita plurimorum Imperatorum non turribus, sed trophæis, quæ multis uictoriis erat iandiu triumphísque pacata, sic à Barbaris, quibus est propter auaritiam pax erepta, uexatur, ut Thessalonicenses positi in gremio imperij nostri re-*

a Propositio principalis totius orationis.

b Argumentum ab iis personis, quæ nũc prouincias habent. Hoc per schema præteritionis vel occupationis explicatur.

c Propositio est: Pisonem è Macedonia deuocãdũ esse. Igitur cum antea sit argumẽtatus à persona quæ habet hanc prouinciam, nũc argumentum ducit ex ipsa re, id est, ex prouincia Macedonia, quã miserè dicit affligi.

linquere oppidum & arcem munire cogantur: ut uia illa nostra, quæ per Macedoniam est usq; ad Hellespontum militaris, non solùm excursionibus Barbarorũ sit infesta, sed etiam castris Thracys distincta, ac notata. Ita gentes hæ, quæ ut pace uterentur, uim argenti dederãt præclaro Imperatori nostro, ut exhaustas domos replere possent, pro empta pace bellum nobis propè iustum intulerunt. Iam uerò exercitus ille noster superbissimo delectu, & durissima conquisitione collectus, omnis interiit. magno hoc dico cum dolore, miserandũ in modum milites populi Romani capti, necati, deserti, dissipati sũt: incuria, fame, morbo, uastitate consumpti: ut, quod est indignissimum scelus, is Imperator in pœnam exercitus expetitus esse uideatur. Atque hanc Macedoniam do-

mitis iam gentibus finitimis, Barbariáque compressa, pacatam ipsam per se & quietam tenui præsidio atque exigua manu, etiam sine Imperio, per Legatos nomine ipso populi Romani tuebamur: quæ nunc Cosulari Imperio atque exercitu ita uexata est, uix ut se possit diutur na pace recreare: cùm interea quis uestrum hoc non audiuit? quis ignorat, Achæos ingentem pecuniam pendere L. Pisoni quotannis? uectigal, ac portorium Dyrrhachinorum totum in huius unius quæstũ esse conuersum? urbem Byzantiorum uobis atque huic imperio fidelissimam, hostilem in modum esse uexatam? quò ille: postquàm nihil exprimere ab egentibus, nihil ulla ui à miseris extorquere potuit, cohortes in hyberna misit: his præposuit, quos putauit fore diligentissimos satellites scelerum, ministros cupiditatum suarum. Omitto iurisdictionem in libera ciuitate contra leges, Senatúsque consulta: cædes relinquo, libidines prætereo, quarum acerbissimum extat indiciũ & ad insignẽ memoriam turpitudinis,

dinis, & penè ad iustum imperij nostri odium, q̃ constat nobilissimas uirgines se in puteos abiecisse, & morte uoluntaria nefariam turpitudinem depulisse. Nec hæc idcirco omitto, q̃ non grauissima sint: sed quia nũc sine teste dico. Ipsam uerò urbem Byzantiorum fuisse refertissimam, atque ornatissimam signis, quis ignorat? quæ illi exhausti* sumptibus, belliq̃ maximis, cùm Mithridaticos impetus, totúmque Pontum armatum efferuescentem in Asiam atq̃ erumpentem, ægrè repulsum, & ceruicibus intercluſum suis sustinerent, tum, inquam, Byzantij & posteà signa illa & reliqua urbis ornamenta sanctissimè custodita tenuerunt. te Imperatore infelicissimo, & teterrimo, Cesonine Caluenti, ciuitas libera, & proximis suis beneficiis à Senatu & à Po. Ro. liberata, sic spoliata atq̃ nudata est, ut nisi C. Virginius Legatus uir fortis & innocens, interuenisset, unum signum Byzantij ex maximo numero nullum haberent. Quod fanum in Achaia, qui locus aut lucus in Græcia tota, tam sanctus fuit, in quo ullum simulacrum, ullum ornamentum reliquum sit? Emisti à fœdissimo Trib. pleb. tum in illo naufragio huius urbis, quam tu idem, qui gubernare debueras, euerteras: tum, inquam, emisti grãdi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis ius in liberos populos contra Senatusconsultum, & contra legem generi tui dicere liceret: id emptum ita uendidisti, ut aut ius nõ diceres, aut bonis ciues Romanos euerteres. Quorum ego nihil dico nunc Patres cõscripti: hominem ipsum relinquo: de prouincia disputo. Itaq̃ omnia illa, quæ & sæpe audistis & tenetis animis, etiam si non audiatis, prætermitto: nihil de hac eius urbana, quam ille præsens in oculis uestris mentibúsque defixit, audacia loquor: nihil de superbia, nihil de cõtumacia, nihil de crudelitate disputo: lateant

*sumptibus bellorũ maximis

Libidines eius illæ tenebricosæ, quas fronte & supercilio, non pudore & tẽperantia contegebat: de prouincia quod agitur, id disputo. Huic uos summittetis? hunc diutius manere patiemini? cuius, ut prouinciam tetigit, sic fortuna cum improbitate certauit, ut nemo posset, utrum deterior, an infelicior esset, iudicare. [a] *An uerò in Syria diutius est Semiramis illa retinẽda? cuius iter in prouinciam fuit eiusmodi, ut Rex Ariobarzanes Consulem uestrum ad cædem faciendam, tanquam aliquem Thracem conduceret. Deinde aduentus in Syriam primus, equitatus habuit interitum: pòst concisæ sunt optimæ cohortes. Igitur in Syria Imperatore illo, nihil aliud actum est, nisi pactiones pecuniarum cum Tyrannis, decisiones, direptiones, latrocinia, cædes, cùm palàm Pop. Rom. Imperator instructo exercitu dexteram tendens non ad laudem milites hortaretur, sed omnia sibi & empta & emenda esse clamaret. Iam uerò publicanos miseros (me etiam miserum illorum ita de me meritorum miseriis, ac dolore) tradidit in seruitutem Iudæis, & Syris nationibus natis seruituti. statuit ab initio, & in eo perseuerauit, ius publicano non dicere: pactiones sine ulla iniuria factas recidit: custodias sustulit: uectigales multos ac stipendiarios liberauit: quo in oppido ipse esset, aut quò ueniret, ibi publicanum, aut publicani seruum esse uetuit. quid multa? crudelis haberetur, si in hostem animo fuisset eo, quo fuit in ciues Romanos, eius ordinis præsertim, qui est semper dignitate sua, benignitate magistratus sustentatus. Itaque uidetis Patres conscripti, non temeritate redemptionis, aut negotij gerendi inscitia, sed auaritia, superbia, crudelitate Gabinij, penè afflictos iam atque euersos publicanos: quibus quidem uos, in his angustiis ærarij tamen subueniatis necesse est: etsi iam*

[a] Probatio à prouincia Gabinii, & Gabinio ipso, cuius scelera merentur, vt prouincia spolietur.

mul

multis non potestis, qui propter illum hostem Senatus, inimicissimũ ordinis Equestris, bonorúmq; omniũ, non solùm bona, sed etiã honestatem miseri deperdiderunt: quos non parsimonia, non continentia, non uirtus, non labor, non splendor, tueri potuit contra illius helluonis & prædonis audaciam. Quid? qui se etiam nunc subsidiis patrimony, aut amicorum liberalitate sustentant, hos perire patiemini? An, si qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur ipsa lege Censoria: quem is frui non sinit, qui est, etiam si non appellatur, hostis, huic ferri auxilium non oportet? [a] Retinete igitur in prouincia diutius eum, qui de sociis cum hostibus, de ciuibus cum sociis faciat pactiones: qui hoc etiam se pluris esse, quàm collegam putet, quòd ille uos tristitia, uultúque deceperit, ipse nunquam se minus, quàm erat, nequam esse simularit. Piso autem alio quodam modo gloriatur, se breui tempore perfecisse, ne C. Gabinius unus omnium nequissimus existimaretur. Hos uos de prouinciis, si non aliquando deducendi essent, diripiendos non putaretis? & has publicas pestes sociorum, militum clades, publicanorum ruinas, prouinciarum uastitates, imperij maculas teneretis? At iidem uos anno superiore hos eosdem reuocabatis, cùm in prouincias iam peruenissent. quo tempore si liberum uestrum iudicium fuisset, nec toties dilata res, nec ad extremum è manibus erepta esset: restituissetis, id quod cupiebatis, uestram autoritatẽ iis, per quos erat amissa, reuocatis, & his ipsis præmiis extortis, quæ erant pro scelere atq; euersione patriæ consecuti. Quam pœnam si tum aliorum opibus, non suis, inuitissimis uobis euolarũt, at aliam multò maiorẽ grauioremq; subierunt. quæ enim homini, in quo aliquis si non famæ pudor, at supplicij timor est, grauior pœna accidere potuit,

[a] Concluſio per ſarcaſmum.

*tuit, quàm non credi literis iis, quæ rem bene gestã in bello nuntiarent? hoc statuit Senatus, cùm frequens supplicationẽ Gabinio denegauit: primùm, homini sceleribus, flagitiis contaminatissimo nihil esse credendum: deinde, à proditore, atq; eo, quem præsentem hostem Reip. cognosset, bene rem geri non potuisse: postremò, ne deos quidem immortales uelle aperiri sua templa, & sibi supplicari hominis impurissimi, & scelerat issimi nomine. Itaq; ille alter aut ipse est homo doctus, & à suis Græcis subtilius eruditus, quibuscum iam in orchestra belluatur, antea post siparium solebat: aut amicos habet prudentiores, quàm Gabinius, cuius nullæ literæ perferuntur. Hosce igitur Imperatores habebimus? quorum alter non audet nos certiores facere, *ne Imperator appelletur: alterum, si tabellarij non cessarint, necesse est paucis diebus pœniteat audere. cuius amici si qui sunt, aut si bellua tam immani, támque tetræ possunt ulli esse amici, hac consolatione utuntur, etiam T. Albutio supplicationem hunc ordinem denegasse. quod est primùm dissimile, res in Sardinia cum Mastrucatis latrũculis à Propratore una cohorte auxiliaria gesta, & bellũ cum maximis Syriæ gẽtibus, Tyrannis, Consulari exercitu imperioq; confectum. deinde Albutius, q̃ à Senatu petebat, ipse sibi in Sardinia antè decreuerat. constabat enim Græcũ hominem ac leuem in ipsa prouincia quasi triũphasse. itaq; hanc eius temeritatem Senatus supplicatione denegata notauit. Sed fruatur sanè hoc solatio, atque hanc insignem ignominiam, quoniam uni præter se inusta est, putet esse leuiorem, dummodo cuius exemplo se consolatur, eius exitum expectet: præsertim cùm in Albutio nec Pisonis libidines, nec audacia Gabinij fuerit, hac tamen una plaga conciderit, ignominia Senatus.* [a] *Atqui duas*

*ut Imper.

a Altera pars orationis de Cæsare in Galliis retinendo, quia is optimè bellũ Gallicum ad finẽ perduxit, qui inchoauit. Abutili.

duas Gallias decernit Consulibus duobus, hos retinet ambos: qui autem alteram Galliam, & aut Syriam, aut Macedoniam, tamen alterum retinet, & in utriusque pari scelere disparem cõditionem facit. Faciam, inquit, illas Prætorias, ut Pisoni & Gabinio succedatur statim. si hic sinat: tum enim Tribunus intercedere poterit, nũc non potest. itaque ego idem, qui nunc Consulibus iis, qui designati erunt, Syriam Macedoniámque decerno, decernam, easdem Prætorias, ut & Prætores annuas prouincias habeant, & eos quàm primùm uideamus, quos animo æquo uidere non possumus. Sed mihi credite, nunquam succedetur illis, nisi cùm ea lege referetur, qua intercedi de prouinciis non licebit. Itaque hoc tempore amisso, annus est integer uobis expectandus: quo interiecto ciuium calamitas, sociorum ærumna, scelerat:ssimorum hominum impunitas propagatur. Quòd si essent illi optimi uiri, tamen ego mea sententia C. Cæsari succedendum nondum putarem. Qua de re dicam Patres conscripti quod sentio, atque illam interpellationẽ mei familiarissimi, qua paulò antè interrupta est oratio mea, non pertimescam. Negat me uir optimus inimiciorem Gabinio debere esse, quàm Cæsari. omnem enim illam tempestatem, cui cesserim, Cæsare impulsore atque adiutore esse excitatam. cui si primum sic respondeam, me communis utilitatis habere rationem, non doloris mei, possímne probare, cùm id me facere dicam, quod exemplo fortissimorum & clarissimorum ciuium facere possim? At Tib. Gracchus (patrem dico, cuius utinam filij non degenerassent à grauitate paterna) tãtam laudẽ est adeptus, quòd Tribunus pleb. solus ex toto illo collegio L. Scipioni auxilio fuit inimicissimus & ipsius, & fratris eius Africani: iurauítque in concione se in gratiã non

redisse,

rediſſe, ſed alienum ſibi uideri dignitate imperij, quo duces eſſent hoſtium Scipione triumphante ducti, eodem ipſum duci, qui triumphaſſet? Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? L. Craſſus, M. Scaurus, aliúne inimici? omnes Metelli. at hi non modò illum inimicum ex Gallia ſententiis ſuis non detrahebant, ſed & propter rationem Gallici belli prouinciam extra ordinem decernebant. Bellum in Gallia maximũ geſtum eſt: domitæ ſunt à Cæſare maximæ nationes, ſed nondum legibus, nondũ iure certo, nondum ſatis firma pace deuinctæ. bellum affectum uidemus, & uerè ut dicam penè confectum, ſed ita, ut ſi idem extrema perſequitur, qui inchoauit, iam omnia perfecta uideamus: ſi ſucceditur, periculum ſit, ne inſtauratas maximi belli reliquias, ac renouatas audiamus. [a] *Ergo ego Senator, inimicus, ſi ita uultis, homini, amicus eſſe, ſicut ſemper fui, Reipu. debeo. Quid, ſi ipſas inimicitias depono Reipub. cauſa, quis me tandem iure reprehendat? præſertim cùm ego omnium meorum conſiliorum, atque factorum exempla ſemper ex ſummorum hominum factis mihi cenſuerim petenda? An non M. ille Lepidus, qui bis Conſul & Pontifex maximus fuit, non ſolùm memoria & teſtimonio, ſed etiam annalium literis & ſummi poëtæ uoce laudatus eſt, quòd cum M. Fuluio collega, quo die Cenſor eſt factus, homine inimiciſſimo, in campo ſtatim rediit in gratiam, ut cõmune officium Cenſuræ communi animo ac uoluntate defenderent? Atque ut uetera, quæ ſunt innumerabilia, mittam, tuus pater Philippe, nónne uno tempore cũ ſuis inimiciſſimis in gratiã rediit?* * *quibus cum omnibus eadẽ Reſp. reconciliauit, quæ alienarat. Multa prætereo, quòd intueor coràm hæc lumina atque ornamenta Reipub. P. Seruilium, & M. Lucullum (utinã etiam L. Lucullus ille*

[a] Obiectio, Cicero nõ eſt Cæſaris amicus, ergo non debet illi Galliã decernere. Reſponſio: Cicero Reip. cauſa inimicitias deponit, quod probat multorum clariſſimorum qui recenſentur exemplo. Item patres Conſcripti ſummos honores Cæſari antea quoq; exhibuerũt, imo & Cicero ipſe decreuit illi plures ſupplicationum dies quàm oportebat: ergo non eſt tanta inimicitia inter eos. argumenta ſunt ab exemplis, ab autoritate aliorum, ab iis quæ anteceſſerunt.

*quibus eũ

ille uiueret) quæ fuerunt inimicitiæ grauiores in ciuitate, quàm Lucullorum, atq; Seruiliorum? quas in uiris fortissimis non solùm extinxit Reipublicæ dignitas & ipsorum, sed etiam ad amicitiam, cõsuetudinémq; traduxit. Quid? Q. Metellus nepos, nónne Consul in templo Iouis Optimi Maximi permotus cùm autoritate uestra, tum illius P. Seruilij incredibili grauitate dicendi, absens mecum summo suo beneficio rediit in gratiam? An ego possum huic esse inimicus, cuius literis, fama, nũtiis, celebrantur aures quotidie meæ nouis nominibus gentium, nationum, locorũ. Ardeo, mihi credite Patres conscripti (id quod uosmet de me existimatis, & facitis ipsi) incredibili quodam amore patriæ: qui me amor & subuenire olim impendentibus periculis maximis, cum dimicatione capitis, & rursum, cùm omnia tela undique esse intenta in patriam uiderem, subire coegit atq; excipere unum pro uniuersis. Hic meus in Rempublicam animus pristinus ac perennis, cum C. Cæsare reducit, reconciliat, restituit in gratiam. quod uolent, deniq; homines existiment: nemini ego esse possum bene de Republica merenti non amicus. Etenim si iis, qui hæc omnia flamma ac ferro delere uoluerũt, non inimicitias solùm, sed etiam bellum indixi, atque intuli, cùm partim mihi illorum familiares, partim etiam me defendente capitis iudiciis essent liberati: cur eadẽ Respub. quæ me in amicos inflammare potuit, inimicis placare nõ possit? Quod mihi odium cum P. Clodio fuit, nisi quòd pernicioſum patriæ ciuem fore putabam, qui turpissima libidine incensus duas res sanctissimas, religionem & pudicitiam uno scelere uiolasset? num est igitur dubium ex iis rebus, quas is egit, agítque quotidie quin ego in illo oppugnando Reipub. plus, quàm otio meo, nonnulli in eodem

defenden

defendendo, suo plus otio, quàm communi prospexerint? Ego me à C. Cæsare in Rep. dissensisse fateor, & sensisse uobiscum: sed nunc ijsdẽ uobis assentior, cum quibus anteà sentiebam. uos enim, ad quos literas L. Piso de suis rebus non audet mittere, qui Gabinij literas insigni quadam nota, atq; ignominia noua condemnastis. C. Cæsari supplicationes decreuistis numero, ut nemini ullo ex bello: honore, ut omnino nemini. cur igitur expectem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiam reducat? reduxit ordo amplissimus, & ordo is, qui est & publici consilij, & meorum omnium consiliorum autor & princeps, uos sequor Patres conscripti, uobis obtempero, uobis assentior: qui quandiu C. Cæsaris consilia in Repub. non maximè diligebatis, me quoque cum illo minus coniunctum uidebatis: posteaquam rebus gestis mẽtes uestras, uoluntatémque mutastis, me non solùm comitem esse sententiæ uestræ, sed etiam laudatorem uidistis. Sed quid est, quod in hac causa maximè homines admirentur, & reprehendant meum consiliũ, cùm ego idem antea multa decreuerim, quæ magis ad hominis dignitatẽ, quàm ad Reip. necessitatem pertinerent? Supplicationem quindecim dierum decreui sententia mea. Reip. satis erat tot dierum, quot C. Mario. Diis immortalibus non erat exigua eadem gratulatio, quæ ex maximis bellis. ergo ille cumulus dierũ hominis est dignitati tributus. In quo ego, quo Consule referente primùm decem dierũ supplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto, confectóq; Mithridatico bello, & cuius sentẽtia primũ duplicata est supplicatio Cõsularis (mihi enim estis assẽsi, cũ eiusdẽ Pompeij literis recitatis, confectis omnibus maritimis terrestribúsq; bellis, supplicationem dierum duodecim decreuistis) sum Cn. Pompeij uirtutem, & animi

magni

magnitudinem admiratus, quòd cùm ipse cæteris omnibus esset omni honore antelatus, ampliorem honorem alteri tribuebat, quàm ipse erat cõsecutus. Ergo in illa supplicatione, quã ego decreui, res ipsa tributa est diis immortalibus, & maiorum institutis, & utilitati Reipub. sed dignitas uerborum, honos, & nouitas, & numerus dierum, Cæsaris ipsius laudi & gloriæ concessus est. Relatum est ad nos nuper de stipendio exercitus: non decreui solùm, sed etiam ut uos decerneretis laboraui: multa dissentientibus respondi, scribendo affui: tum quoque homini plus tribui, quàm nescio cui necessitati. illum enim arbitrabar etiam sine hoc subsidio pecuniæ retinere exercitum prædæ antè parta, & bellum conficere posse: sed decus illud & ornamentum triumphi minuendum nostra parsimonia non putaui. Actum est de decem Legatis, quos aly omnino non dabant, aliy exẽpla quærebant, aliy tempus differebant, aliy sine ullis uerborũ ornamentis dabant: in ea quoq; re sic sum locutus, ut omnes intelligerent, me id, quod Reip. causa sentirẽ, facere uberius propter ipsius Cæsaris dignitatem. At ego idem nũc in prouinciis decernendis, qui illas omneis res egi silentio, interpellor: cùm superioribus causis hominis ornamenta fuerint, in hac me nihil aliud, nisi ratio belli, nisi summa utilitas Reipub. moueat. [a] *nam ipse Cæsar, quid est, cur in prouincia cõmorari uelit, nisi ut ea quæ per eum affecta sunt, perfecta Reip. tradãtur? amœnitas eum credo locorum, urbium pulchritudo, hominũ, nationúmq; illarum humanitas, & lepos, uictoriæ cupiditas, finium imperij nostri propagatio retinet. quid illis terris asperius? quid incultius oppidis? quid nationibus immanius? quid porrò tot uictoriis præstabilius? quid Oceano longius inueniri potest? An reditus in patriam habet*

a Cæsari vtilius esset, & iucũdius prouinciã relinquere: ergo non debet suspectum esse, quòd cupiat diutius abesse. Argumentum à Cæsaris persona.

aliquam offensionem? utrum apud populum, à quo missus est, an apud Senatum, à quo ornatus est? an dies auget eius desiderium, an magis obliuionem? an laurea illa magnis periculis parta, amittit longo interuallo uiriditatem? Quare si qui hominem non diligunt, nihil est, quòd eum de prouincia deuocent. ad gloriam deuocant, ad triumphum, ad gratulationẽ, ad summum honorem Senatus, Equestris ordinis gratiam, populi charitatem. Sed si ille hac tam eximia fortuna propter utilitatẽ Reipub. frui non properat, ut omnia illa conficiat: quid ego Senator facere debeo, quem, etiã si ille aliud uellet, Reipub. cõsulere oporteret? Ego uerò sic intelligo Patres conscripti, nos hoc tempore in prouinciis decernendis perpetuæ pacis habere oportere rationem. nam quis hoc tempor non sentit, omnia alia esse nobis uacua ab omni periculo, atq; etiam ab omni suspicione belli? iandiu mare uidemus illud immensum, cuius feruore non solùm maritimi cursus, sed urbes etiam & uiæ militares iam tenebantur, uirtute Cn. Pompeij sic à Po. Ro. ab Oceano usq; ad ultimum pontum, tanquam unum aliquem portum tutum, & clausum teneri: nationes eas, quæ numero hominum ac multitudine ipsa poterant in prouincias nostras redundare, ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas, ut Asia, quæ imperium anteà nostrum terminabat, nunc tribus nouis prouinciis ipsa cingatur. Possum de omni regione, de omni hostium genere dicere. nulla gens est, quæ non aut ita subacta sit, ut uix extet: aut ita domita, ut quiescat: aut ita pacata, ut uictoria nostra, imperióq; lætetur. [a] *Bellum Gallicum Patres conscripti C. Cæsare Imperatore gestum est, anteà tantummodò repulsum. semper illas nationes nostri Imperatores refutandas potius bello, quã lacessendas putauerunt.*

a Ratio sumitur ab ipsa prouicia. A Gallia Romanis periculũ imminet, nisi tandẽ Romano imperio subiiciãtur. Quo minus ex ea Cæsar deuocandus est, cuius uirtute propediem expugnabitur.

Ipse

Ipſe ille C. Marius, cuius diuina atque eximia uirtus magnis Po.Ro.luctibus funeribúſq; ſubuênit, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repreſſit, non ipſe ad eorum urbes ſedéſq; penetrauit. Modò ille meorum laborum, periculorum, conſiliorum ſocius C. Pontinius fortiſſimus uir, ortum repentè bellum Allobrogum, atq; hac ſcelerata coniuratione excitatum, prælijs fregit, eóſq; domuit, qui laceſſierant, & ea uictoria contentus Repu. metu liberata quieuit. C. Cæſaris lõge aliam uideo fuiſſe rationem. non enim ſibi ſolùm cum iis, quos iam armatos contra Popu. Roma. uidebat, bellandum eſſe duxit, ſed totam Galliam in noſtram ditionẽ eſſe redigendam. itaque cum acerrimis nationibus & maximis, Germanorum, & Heluetiorum prælijs feliciſſimè decertauit: cæteras contriuit, compulit, domuit, imperio Po. Ro. parêre aſſuefecit: & quas regiones, quáſque gentes nullas nobis anteà literæ, nulla uox, nulla fama notas fecerat, has noſter Imperator, noſtérque exercitus, & Pop. Roma. arma peragrarunt. ſemitam tantum Galliæ tenebamus anteà Patres conſcripti: cæteræ partes à gentibus aut inimicis huic Imperio, aut infidis, aut incognitis, aut certè immanibus, & Barbaris, & bellicoſis tenebãtur. quas nationes nemo unquam fuit, qui non frangi domaríque cuperet: nemo ſapienter de Republ. noſtra cogitauit iam inde à principio huius imperij, quin Galliam maximè timendam huic imperio putaret: ſed propter uim ac multitudinem gentium illarum, nunquam eſt anteà cum omnibus dimicatum. reſtitimus ſemper laceſſiti: nunc denique eſt perfectum, ut imperij noſtri terrarúmque illarum idem eſſet extremum. Alpibus Italiã munierat antè natura non ſine aliquo diuino numine. nam ſi ille aditus Gallorũ immanitati multitudi-

nisi patuisset, nunquam hæc urbs summo Imperio domicilium ac sedem præbuisset: quæ iam licet considant: nihil est enim ultra illam altitudinẽ montium ad Oceanum, quod sit Italiæ pertimescendũ. Sed tamen una aut altera ætas uel metu, uel spe, uel pœna, uel præmiis, uel armis, ut legibus potest totam Galliam sempiternis uinculis astringere. impolitæ uerò res & acerbæ si erunt relictæ, quanquam sunt abscissæ, tamen efferent se aliquãdo, & ad renouandum bellum reuirescent. [a] *Quare sit in eius tutela Gallia, cuius uirtuti, fidei, felicitati commendata est. Etenim si Fortunæ muneribus amplissimis ornatus, sæpius eius deæ periculũ facere nollet, si in patriã, si ad deos penates, si ad eam dignitatem, quam in ciuitate sibi propositam uidet, si ad iucundissimos liberos, si ad clarissimum generũ redire properaret, si in Capitolium inuehi uictor cum illa insigni laurea gestiret, si denique timeret casum aliquem, qui illi tantum addere iam non potest, quantum auferre: nos tamen oporteret ab eodem illa omnia, à quo profligata sunt, confici uelle. cùm uerò ille suæ gloriæ iampridem, Reipub. nondum satisfecerit, & malit tamen tardius ad suorum laborum fructus peruenire, quàm non explere susceptum Reipub. munus: nec Imperatorem incensum ad Remp. bene gerendam reuocare, nec totam Gallici belli rationem propè iam explicatam perturbare atque impedire debemus.* [b] *Nam illæ sententiæ uirorum clarissimorum minimè probandæ sunt, quorum alter ulteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem. qui ulteriorem, omnia illa de quibus disserui paulò antè, perturbat: simul ostendit eam se scisscere legem, quam esse legem neget: & quæ pars prouinciæ sit, cui non possit intercedi, hãc se auellere: quæ defensorem habeat, non tangere: simul & illud facit, ut quod illi à*

a Conclusio huius loci, qua breuiter repetuntur argumenta.

b Hactenus Cicero suam sententiam cõfirmauit, iam aliorũ confutat.

illi à populo datum sit, id nõ uiolet: quod Senatus dederit, id Senator properet auferre. Alter belli Gallici rationem habet: fungitur officio boni Senatoris: legẽ quam non putat, eam quoq; seruat: præfinit enim successori diẽ. qui mihi nihil uidetur minus à dignitate disciplináque maiorum dissidere, quàm ut, qui Consul Calend. Ian. habere prouinciam debet, is ut eam desponsam, non decretam habere uideatur: fuerit toto in Consulatu sine prouincia, cui fuerit antequam designatus esset, prouincia decreta. sortiretur, an non? nam & nõ sortiri absurdũ est, & quod sortitus sis, non habere. proficiscetur paludatus? quò peruenire ante certam diem non licebit. Ianuario, Februario, prouinciam non habebit: Calendis ei demũ que Martiis nascetur repentè prouincia. Attamen his sententiis Piso in prouincia permanebit. Quæ cùm grauia sunt, tùm nihil grauius illo, quòd mulctari Imperatorem diminutione prouinciæ contumelioſum est: neque solum summo in uiro, sed etiam in mediocri homine ne accidat, prouidẽdum. Ego uos intelligo P.C. multos decreuisse honores eximios C. Cæsari & propè singulares, quòd ita meritus erat: gratis etiam, ut quàm cõiunctissimus huic ordini esset. sapientes ac diuini fuistis: neminem unquam est hic ordo cõplexus honoribus & beneficiis suis, qui ullam dignitatem præstabiliorem ea, quam per uos esset adeptus, putarit. nemo unquã hîc potuit esse princeps, qui maluerit esse popularis. sed homines aut propter dignitatẽ suã diffisi ipsi sibi, aut propter reliquorum obtrectationem, ab huius ordinis coniunctione depulsi, sæpe ex hoc portu se in illos fluctus propè necessariò contulerunt. qui si ex illa iactatione cursúque populari bene gesta Repub. referunt aspectum in Curiam, atque huic amplissimæ dignitati commendati esse uoluerunt, non

modò non repellendi sunt, uerũetiam expetendi. Monemur à fortissimo uiro atq; optimo post hominũ memoriã Cõsule, ut prouideamus ne citerior Gallia nobis inuitis, alicui decernatur, post eos Consules, qui nunc erunt designati, perpetuóq; post hac ab iis, qui hunc ordinem oppugnent, populari ac turbulenta ratione teneatur.[a] Quam ego plagam etsi non contemno P.C. præsertim monitus à sapientissimo Consule, & diligentissimo custode pacis & otij, tamen uehementius arbitror pertimescendam, si hominum præclarissimorũ ac potentissimorum aut honorem minuero, aut studium erga hunc ordinẽ repudiaro. uã ut C. Iulius omnibus à Senatu eximiis ac nouis rebus ornatus, per manus hanc prouinciam tradat ei, cui minimè uos uelitis: per quem ordinẽ ipse amplissimã sit gl. iam consecutus, ei ne libertatem quidem relinquat, adduci ad suspicandũ nullo modo possum. Postremò quo quisq; animo futurus sit, nescio: quid sperẽ, uideo. præstare hoc Senator debeo, quantũ possum, nequis uir clarus aut potens huic ordini iure irasci posse uideatur. Atque hoc si inimicissimus essem C. Cæsari, sentirẽ tamẽ Reip. causa.[b] Sed non alienũ esse arbitror, quò minus sæpe aut interpeller à nonnullis, aut tacita æstimatione reprehendar, explicare breuiter, quæ mihi sit ratio & causa cum Cæsare. Ac primùm illud tempus familiaritatis & consuetudinis, quæ mihi cũ illo, quæ fratri meo, quæ C. Varroni consobrino nostro ab omniũ nostrũ adolescentia fuit, prætermitto. posteaquam sum penitus in Rẽp. ingressus, ita dissensi ab illo, ut in disiunctione sententiæ, coniuncti tamen amicitia maneremus. Cõsul ille egit eas res, quarum participem me esse uoluit: quibus ego si minus assentiebar, tamen illius mihi iudiciũ gratum esse debebat. me ille, ut Quinqueuiratũ acciperẽ, rogauit: me in tribus

a Ab inutili si Cæsar Gallia priuetur.

b Digressio, de Cæsaris & Ciceronis inimicitia. Constat autẽ ex historiis, quod contra Ciceronẽ Iulius Cæsar prohibuerit Catilinarios occidi.

sibi

sibi coniunctissimis Consularibus esse uoluit: mihi legationem quam uellem, quãto cum honore uellem, detulit. quæ ego omnia non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententiæ repudiaui. quàm sapienter non disputo: multis enim non probabo: constanter quidem & fortiter certè, qui cùm me firmissimis opibus contra scelus inimicorum munire, & popularis impetus populari præsidio possem propulsare, quamuis excipere fortunã, subire uim atq; iniuriam malui, quã aut à uestris sanctissimis mẽtibus dissidere, aut de meo statu declinare. Sed non is solùm gratus debet esse, qui accepit beneficiũ, uerùm etiã is, cui potestas accipiendi fuit. Ego illa ornamẽta, quibus ille me ornabat, decere me & cõuenire iis rebus, quas gesserã, non putabam. illũ quidem amico animo me habere eodẽ loco, quo principem ciuem suum generũ, sentiebã. [a]traduxit ad plebẽ inimicum meum: siue iratus mihi, q̃ me secum ne beneficiis quidẽ uidebat posse cõiungi, siue exoratus. ne hoc quidem fuit iniuria. [b]nam postea me ut sibi essem Legatus, nõ solùm suasit, uerùm etiã rogauit. ne id quidẽ accepi: nõ quò alienũ mea dignitate arbitrarer, sed q̃ tantum Reip. sceleris impendêre à Consulibus proximis nõ suspicabar. Ergo adhuc magis est mihi uerendũ, ne mea superbia in illius liberalitate, quàm ne illius iniuria in nostra amicitia reprehendatur. Ecce illa tẽpestas, caligo bonorũ, & subita atq; improuisa formido, tenebræ Reip. ruina atq; incendium ciuitatis, terror iniectus Cæsari de eius actis, metus cædis bonis omnibus, Cõsulum scelus, cupiditas, egestas, audacia. si nõ sum adiutus, nõ debuit: si desertus, sibi fortasse prouidit: si etiã oppugnatus, ut quidã aut putãt, aut uolunt uiolata amicitia est, accepi iniuriã, inimicus esse debui: non nego. sed si idẽ ille tũ me saluũ esse uoluit, cùm uos me ut chariss[imũ]

a Id est Clodium fecit Tribunum plebis.

b Cicero iam promiserat se legatum fore Cæsari Galliã petenti: sed recusauit mox cum putaret Clodium sibi recõciliatũ esse. Vide Plutarchũ in vita Ciceronis.

filium desiderabatis, & si uos iidẽ pertinere ad causam illam putabatis, uoluntatẽ C. Cæsaris à salute mea non abhorrere: & si illius uoluntatis generũ eius habeo testẽ, quiidẽ Italiã in municipiis, Po. Ro. in concione, uos mei semper cupidissimos in Capitolio ad meam salutẽ incitauit: si denique Cn. Pompeius idem mihi testis de uoluntate Cæsaris, & spõsor est illi de mea: nónne uobis uideor & ultimi temporis recordatione, & proximi memoria, medium illud tristissimum tempus debere, si ex rerum natura non possem euellere, ex animo quidem certè excidere? Ego uerò si mihi non licet per aliquos ita gloriari, me dolorẽ atq; inimicitias meas Reip. cõcessisse, quod magni cuiusdã hominis, & persapientis uidetur: utar hoc, quod non tam ad laudẽ adipiscendam, quàm ad uitandam inuidiam pertinet, hominem me esse gratum & non modò tantis beneficiis, sed etiã mediocri hominũ beneuolentia cõmoueri. à uiris fortissimis & de me optimè meritis quibusdam peto, ut si ego illos meorum laborũ & incommodorum participes esse nolui, ne illi me suarum inimicitiarũ socium uelint esse: præsertim cùm mihi iidẽ illi concesserint, ut etiam acta illa Cæsaris, quæ neq; oppugnaui anteà, neq; defendi, meo iam iure possim defendere. nam summi ciuitatis uiri, quorum ego consilio Rẽp. conseruaui, & quorũ autoritate illam *coniurationẽ Catilinæ defugi, Iulias leges & cæteras illo Cõsule rogatas, iure latas negant. iidem illam proscriptionẽ capitis mei, contra salutẽ Reip. sed saluis auspiciis rogatam esse dicebant. itaq; uir summa autoritate, summa eloquẽtia dixit grauiter, casum illum meũ funus esse Reip. sed funus iustũ & indictũ: & mihi ipsi omnino perhonorificũ, discessum meum funus dici Reip. Reliqua non reprehẽdo, sed mihi ad id quod sentio assumo. nam si illud iure rogatũ

*cõiunctionẽ Cæsaris

dic

dicere ausi sunt, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, quia nemo de cœlo seruarat: obtinè erãt, tum cùm ille, quid id egerat, plebeius est lege curiata factus, dici de cœlo esse seruatum? qui si plebeius omnino esse nõ potuit, qui Tribunus plebis potuit esse? & cuius Tribunatus si ratus est, nihil est quod irritum ex actis Cæsaris possit esse: eius non solùm Tribunatus, sed etiam perniciosissimæ res auspiciorum religione conseruata iure latæ uidebuntur? Quare aut uobis statuendum est legem Aeliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam, non omnibus factis legẽ ferri licere: cùm lex feratur, de cœlo seruari, obnuntiari, intercedi licere: Censorium iudicium ac notionem, & * illum morẽ seueriſſimum magistratuum non esse nefariis legibus de ciuitate sublatum: si patricius Trib. pleb. fuerit, contra leges sacratas: si plebeius, contra auspicia fuisse: aut mihi concedant omnes oportet, aut in rebus bonis non exquirere iura ea, quæ ipsi in perditis non exquirunt, præsertim cùm ab illis ali quoties conditio C. Cæsari lata sit, ut eadem res alio mõdo ferret: qua conditione auspicia requirebant, leges cõprobabant: in Clodio auspiciorum ratio sit eadem, leges omnes sint euersæ ac perditæ ciuitatis. [a] Extremum illud est: ego, si essent inimicitiæ mihi cum C. Cæsare, tamẽ hoc tempore Reip. consulere, inimicitias in aliud tempus reseruare debere. possem etiam summorũ uirorum exemplo inimicitias Reip. causa deponere: sed cùm inimicitiæ fuerint nunquam, opinio iniuriæ beneficio sit extincta, sententia mea P.C. si dignitas agitur C. Cæsaris, homini tribuam: si bonos quidam, Senatus concordiæ consulam: si autoritas decretorum uestrorum, constantiam ordinis in eodem ornando Imperatore seruabo: si perpetua ratio Gallici belli, Reipub. prouidebo: si aliquod

* illud morẽ seueriſſimum magiſtratuum esse

a Epilogus: Cæſari prouinciam diutius esse concedendam: nec obstare debere, si qua fuit inimicitia inter ipsum & Ciceronem.

meum priuatum officium, me non ingratum præstabo. Atq; hoc uelim probare omnibus Patres conscripti: sed leuissimè feram, si fortè aut iis minus probaro, qui meũ inimicum repugnante uestra autoritate texerũt, aut iis, si qui meum cum inimico suo reditum in gratiam uituperabunt, cùm ipsi & cum meo, & cum suo inimico in gratiam non dubitarint redire.

IN L. CALFVRNIVM PISONEM.

ORATIO XXXVIII.

Deest principium.

a Vehemens & abruptum exordium accommodatũ inuectiuis. Nam & grauem infamiæ improbitatisq; iniectationem habet, & signis est amplificatum.

b Auxesis repræhensionis à signis.

a Iámne uides bellua? iámne sentis, quæ sit hominũ querela frontis tuæ? nemo quæritur Syrum nescio quem de grege Nouitiorum factum esse Consulem. non enim nos b color iste seruilis, non pilosæ genæ, nõ dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, uultus deniq; totus, qui sermo quidã tacitus mentis est, hic in errorem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, in fraudem induxit. pauci ista tua lutulenta uitia nouerãmus, pauci tarditatem ingenij, stuporem debilitatémque linguæ. nunquã erat audita nox in foro: nunquã periculum factum consilij: nullũ non modò illustre, sed ne notũ quidem factum aut militiæ, aut domi. c obrepsisti ad honores errore hominum, commẽdatione fumosarum imaginum: quarum simile habes nihil, præter colorem. d Is mihi etiam gloriabitur, se omnes magistratus sine repulsa assecutum? mihi ista licet de me uera cum gloria prædicare. omnes enim honores populus Ro. mihi ipsi homini nouo detulit. Nam tu cùm Quæstor es factus, etiã qui te nunquam uiderant, tamẽ illum honorẽ nomini mandabant

c Cõtentio quæ hîc est perpetua quædã narratio est, omnibus locis amplificata.

d Collatio à cautis tracta ad extenuandum Pisonis honorem.

dabant tuo. Aedilis es factus? Piso est à Po. Ro. factus, nõ iste Piso. Prætura item maioribus delata est tuis. [a] noti erant illi mortui: te uiuum nondũ nouerat, quisquam. [b] me cùm Quæstorem in primis, Aedilẽ priorem, Prætorem primum cunctis suffragijs pop. Ro. faciebat: homini ille honorẽ, non generi: moribus, non maioribus meis: uirtuti perspectæ, non auditæ nobilitati deferebat. [c] Nã quid ego de Cõsulatu loquar? parto uis, ánne gesto? miserũ me, cùm hac me peste, atq; labe confero: sed nihil cõparandi causa loquar: ac tamen ea, quæ sunt lõgissimè disiuncta, comprehendam. Tu Consules renuntiatus (nihil dicam grauius, quàm quod omnes fatentur) impeditis Reip. temporibus, dissidẽtibus C O S S. Cæsare & Bibulo, cùm hoc nõ recusares, quin ij à quibus dicebare Cõsul, te luce dignum non putarent, nisi nequior quàm Gabinius extitisses. me cuncta Italia, me omnes ordines, me uniuersa ciuitas non prius tabella, quàm uoce priorem Consulem declarauit. Sed omitto ut sit factus uterq; nostrum: sit sanè Fors domina campi: magnificẽtius est dicere, quẽadmodũ gesserimus Cõsulatum, quàm quemadmodum ceperimus. Ego Calend. Ian. Senatum & bonos omnes legis Agrariæ, maximarumq; largitionũ metu liberaui. Ego agrũ Campanũ, si diuidi nõ oportuit, conseruaui: si oportuit, melioribus autoribus reseruaui. Ego in C. Rabirio perduellionis reo XL. annis ante me Consulem interpositam Senatus autoritatẽ sustinui contra inuidiã atq; defendi. Ego adolescẽtes bonos & fortes, sed usos ea conditione fortunæ, ut si essent magistratus adepti, Reip. statum [d] conuulsuri uiderẽtur, meis inimicitijs, nulla Senatus mala gratia, comitiorũ ratione priuaui. Ego Antoniũ collegã cupidum prouinciæ, multa in Rep. molientẽ, patientia atq; obsequio meo mitigaui. Ego prouinciã Galliã

Senatus

a Antithesis, i. contra positum, iucundũ schema augendis rebus.

b Altera comparationis pars.

c Amplificatio à sui cõsulatus functione per cõparationem.

d Venusta metaphora à stirpibus sumpta, pro infringere & labefactare.

Senatus autoritate, exercitu & pecunia instructam & ornatam, quam cum Antonio communicaui (quòd ita existimabam tempora Reip. ferre) in concione deposui, reclamante populo Ro. Ego L. Catilinam eadem Senatus, interitum urbis, non obscurè, sed palàm molientem, egredi ex urbe iussi: ut à quo legibus nõ poteramus, mœnibus tuti esse possemus. [a] *Ego tela extremo mense Consulatus mei intenta iugulis ciuitatis de coniuratorũ nefariis manibus extorsi. Ego faces iam accensas ad huius urbis incendium comprehendi, protuli,* [b] *extinxi. Me Qu. Catulus princeps huius ordinis, & autor publici consilij frequentissimo Senatu Parẽtem patriæ nominauit. mihi hic uir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius his audientibus ciuicam coronam deberi à Rep. dixit. mihi togato Senatus, non ut multis bene gestæ, sed ut nemini, conseruatæ Reip. singulari genere supplicationis deorum immortalium tẽpla patefecit. Ego cùm in concione abiens magistratu dicere à Tribuno pleb. prohiberer, quæ constitueram: cúmq; is mihi tantummodo ut iurarem permitteret: sine ulla dubitatione iurauí, Remp. atq; hanc urbem mea unius opera esse saluam. Mihi populus Rom. uniuersus illa in concione non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatémq; donauit, cùm meum iusiurandum tale atq; tantum iuratus ipse una uoce & consensu approbauit. Quo quidem tempore is meus domum fuit è foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, ciuium esse in numero uideretur.* [c] *Atq; ita est à me Consulatus peractus, ut nihil sine consilio Senatus, nihil non approbante populo Rom. egerim: ut semper in rostris Curiam, in Senatu populũ defenderim: ut multitudinẽ cum principibus, Equestrem ordinẽ cum Senatu cõiunxerim.* [d] *Exposui breuiter Cõsulatum meũ. Aude*

a Commoratio amplificandis, exponendisque rebus apta.

b Incrementum.

c Epilogus per enumerationem.

d Transitus ad alteram collationis partem per antitheſim, & locum repugnantium.

nunc

nunc ô furia de tuo dicere, cuius fuit initium ludi Compitalitij, tum primum facti post L. Aureliũ & C. Marium* COSS. *cõtra autoritatem huius ordinis: quos Qu. Metellus (facio iniuriam fortissimo uiro mortuo, qui illum, cuius paucos pares hæc ciuitas tulit, cũ hac importuna bellua conferam) sed ille designatus Consul, cùm quidem Tribunus pleb. suo auxilio magnos ludos cõtra Senatusconsultum facere iussisset, priuatus fieri uetuit: atq; id, quod nondũ potestate poterat, obtinuit autoritate. Tu cùm in Cal. Ianua. Compitalitiorũ dies incidissent, Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuisset, ludos facere & prætextatum uolitare passus es, hominem impurum, atq; non modò facie, sed etiam oculo tuo dignissimum. Ergo his fundamẽtis positis Consulatus tui, triduo pòst inspectante & tacẽte à P. Clodio, fatali portento prodigioq; Reip. lex Aelia & Fusia euersa est, propugnacula muriq; tranquillitatis atq; otij. Collegia, non ea solùm, quæ Senatus sustulerat, restituta sunt, sed innumerabilia quædam noua ex omni face urbis ac seruitio constituta. Ab eodem homine in stupris inauditis nefariisq; uersato, uetus illa magistra pudoris & modestiæ seueritas Censoria sublata est: cùm tu interim bustũ Reip. qui te Consulem tum Romæ dicis fuisse, uerbo nunquam significaris sententiam tuam tantis in naufragijs ciuitatis.* [a] *Nondum quæ feceris, sed quæ fieri passus sis, dico: neque uerò multũ interest, præsertim in Consule, utrum ipse pernicioſis legibus, improbis concionibus Remp. uexet, an alios uexare patiatur. An potest ulla esse excusatio non dicam malè sentienti, sed sedenti, cunctanti, dormienti in maximo Reip. motu Consuli?* [b] *centum propè annos legem Aeliam & Fusiã tenueramus: quadringentos iudicium, rationemq; Censoriam. quas leges*

* L. Metellum & Q. Martium.

a Commonitio siue interfatio, qua trãsit ad criminationem Pisonis.

b Clausula per enumerationẽ.

ausus

ausus est nõ nemo improbus, potuit quidem nemo unquã conuellere: quam potestatem minuere, quo minus de moribus nostris quinto quoque anno iudicaretur, [a] nemo tam effusè petulans conatus est. Hæc sunt ô carnifex in gremio sepulta Consulatus tui. Persequere connexos his funeribus dies. [b] Pro Aurelio tribunali ne conniuente quidem te, quod ipsum esset scelus, sed etiam hilarioribus oculis, quàm solitus eras, intuente, delectus seruorum habebatur ab eo, qui nihil sibi unquã nec facere, nec pati turpe dixit: arma in templo Castoris, ô proditor templorũ omnium, uidente te constituebantur ab eo latrone, [c] cui templum illud fuit te Consule arx ciuium perditorum, receptaculum ueterum Catilinæ militum, castellum forensis latrocinij, bustum legum omnium, ac religionum. Erat non solum domus mea, sed totum Palatium Senatu, Equitibus Rom. ciuitate omni, Italia cuncta, refertum: cùm tu non modò ad eum Ciceronem (mitto enim domestica, quæ negari possunt: hæc commemoro, quæ sunt palam) nõ modò inquam, ad eum, cui primam comitijs tuis dederas tabulam prærogatiuæ, quem in Senatu sententiam rogabas tertium, nunquam aspirasti, sed omnibus consilijs, quæ ad me opprimendum parabantur, non interfuisti solùm, uerùm etiam crudelissimè præfuisti. Mihi uerò ipsi coram genero meo propinquo tuo, quæ dicere ausus es? egere, foris esse Gabiniũ: sine prouincia, stare non posse: spem habere à Tribuno plebis, si tua consilia cum illo coniunxisses, à Senatu quidem desperasse: huius te cupiditati obsequi, sicuti ego feci̇ssem in Collega meo, nihil esse quòd præsidium Consulum implorarem, sibi quenque consulere oportere. Atque hæc dicere uix audeo. uereor ne qui sit, qui istius insignẽ nequitiã frontis inuolutam integumẽtis nõdum cernat: dicam tamen, ipse

a Amplificatio nominis, augendæ indignitatis criminationisq; causa.

b Amplificatio à seditione Reipquã Publius Clodius sublato aditu Castoris ac reuulsis gradibus concitauit.

c Amplificatio κατὰ τὴν συνεκδυμίαν, vt pluribus verbis rei indignitatem demonstret.

ipſe certè agnoſcet, & cum aliquo dolore flagitiorum ſuorum recordabitur. [a] *Meminiſtíne cœnũ, cùm ad te quinta ferè hora, cum C. Piſone ueniſſem,* [b] *neſcio quo è gurguſtio te prodire, inuoluto capite, ſoleatũ? & cùm iſto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalaſſes, excuſatione te uti ualetudinis, quòd diceres, uinolentis te quibuſdã medicaminibus ſolere curari? quam nos cauſam cùm accepiſſemus (quid enim facere poteramus?) pauliſper ſtetimus in illo ganearum tuarum nidore, atque fumo: unde tu nos cùm improbiſſimè reſpondendo, tum turpiſſimè eructando eieciſti.* [c] *Idem illo ferè biduo productus in concionem ab eo, cui ſic æquatum præbebas Conſulatum tuum, cùm eſſes interrogatus quid ſentires de Conſulatu meo,* [d] *grauis autor Calatinus credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Cæſoninus ſemiplacentinus Caluẽtius, reſpondes altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, crudelitatem tibi non placere. Hîc te ille homo digniſſimus tuis laudibus collaudauit. Crudelitatis tu furcifer Senatum Conſul in concione condemnas? non enim me, qui Senatui parui, nam delatio illa ſalutaris & diligens fuerat Conſulis: animaduerſio quidem & iudicium, Senatus. quæ cùm reprehendis, oſtẽdis, qualis tu, ſi ita fortè accidiſſet, fueris illo tempore Conſul futurus. ſtipendio mehercule, & frumento Catilinam eſſe putaſſes iuuandum. quid enim interfuit inter Catilinam & eum, cui tu Senatus autoritatem, ſalutem ciuitatis, totam Remp. prouinciæ præmio uendidiſti? Quæ enim L. Catilinam conantem Conſul prohibui, ea P. Clodiũ facientẽ Conſules adiuuerunt. uoluit ille Senatũ interficere, uos ſuſtuliſtis: leges incẽdere, uos abrogaſtis: interire patriã, uos adiuuiſtis. Quid eſt uobis* C O S S. *geſtũ ſine armis? incẽdere illa conuiuatorum*

a Narratio ſordium & perfidiæ Piſonis, qua oppreſſus Cicero furori Clodiano ceſſit.

b Extenuatio κατὰ τὴν μείωσιν ad augendã à loco inuidiam.

c Obruit Piſonis obiectionem, per criminis tranſlationem nẽpe, ſe conſulem de inſidiis cõiuratorũ ad ſenatum retulisſe: ſenatũ autẽ ſua autoritate cõiuratos damnaſſe.

d εἰρωνεία ſiue illuſio.

manus uoluit urbem, uos eius domũ, quem propter urbs incensa non est. ac ne illi quidem, si habuissent uestri similem Consulẽ, de urbis incendio cogitassent. [a] non enim se tectis priuare uoluerunt: sed his stantibus nullum domicilium sceleri suo fore putauerunt. eadem illi ciuium, uos seruitutẽ expetistis. *hic uos etiam crudeliores. [b] huic enim populo ita fuerat ante uos COSS. libertas insita, ut emori potius, quàm seruire præstaret. Illud uerò geminũ consilijs Catilinæ & Lentuli, quòd me domo mea expulistis, Cn. Pompeium domũ suam compulistis, neq; enim me stante & manente in urbis uigilia, neq; resistente Cn. Pompeio omnium gentium uictore, unquam se illi Rẽp. delere posse duxerunt. à me quidem etiam pœnas expetistis, quibus coniuratorum manes mortuorũ expiaretis: omne odium inclusum nefarijs sensibus impiorum in me profudistis. quorum ego furori nisi cessissem, in Catilinæ busto uobis ducibus mactatus essem. [c] Quod autem maius indicium expectatis, nihil inter uos & Catilinã interfuisse, quàm quod eandẽ illam manũ [d] ex intermortuis Catilinæ reliquijs concitastis, quòd omnes undiq; perditos collegistis, quòd in me carcerem effudistis, quòd coniuratos armastis, quòd eorum ferro meum corpus atque omnium bonorum uitam obijcere uoluistis? [e] Sed iam redeo ad præclaram illam concionem tuam. Tu es ille, cui crudelitas displicet? cui, cùm Senatus luctum ac dolorem suum uestis mutatione declarandum censuisset, cùm uideres mœrere Remp. amplissimi ordinis luctu, ô noster misericors, quid facis? quòd nulla in Barbaria quisquã tyrannus. omitto enim illud, Consulem edicere, ut Senatus Senatusconsulto ne obtemperet: quo fœdius nec fieri nec cogitari quicquam potest. ad misericordiã redeo eius, cui nimis uidetur Senatus in cõseruãda patria fuisse cru-

delis

a Confirmatio à signis per antithesim.

* his uos

b Comprobatio collationis.

c Probatio à signis, plena vehemẽtiæ & affectionum, figuris quoq; ad augendam facinoris indignitatem illustrata.

d Amplificatio κατὰ τὴν ἐρμηνείαν. i. interpretationem tota pathetica.

e Regressio ad intermissionem. Rhetores frequentationem vocant.

delis. Edicere est ausus cum illo suo pari, quẽ tamen omnibus uitijs superare cupiebat, ut Senatus, contrà, quàm ipse censuisset, ad uestitũ rediret. quis hoc facit ulla in Scythia Tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret? mœrorẽ relinquis, mœroris aufers insignia, eripis lacrymas non consolando, sed minando. [a] Quòd si uestem non publico consilio Patres conscripti, sed priuato officio aut misericordia mutauissent, tamẽ id ijs nõ licere per interdicta crudelitatis tuæ, potestatis erat nõ ferendæ: cùm uerò id Senatus frequens censuisset, ordines reliqui iam antè fecissent, tu ex tenebricosa popina Cõsul extractus, [b] cum illa saltatrice tonsa, Senatum Reip. occasum atq; interitũ lugere uetuisti. [c] At quærebat etiam paulò antè de me, quid suo mihi opus fuisset auxilio? cur non meis inimicis, meis copijs restitissem? quasi uerò nõ modò ego, qui multis sæpe auxilio fuissem, sed quisquam tam inops fuerit unquam, qui isto non modò propugnatore tutiorem se, sed aduocato, aut adstipulatore paratiorem fore putaret. [d] Ego istius pecudis ac putidæ carnis consilio scilicet, aut præsidio niti uolebam? ab hoc eiecto cadauere quicquam mihi aut opis, aut ornamenti expectabam? Consulẽ ego tum requirebã, Consulẽ, inquam, non illum quidem, quem in hoc animali inuenire non possem, qui tantam Reip. causam grauitate, & consilio suo tueretur, sed qui, tanquã trũcus atq; stipes, si stetisset modò, posset sustinere tamen titulum Consulatus. Cùm enim esset omnis causa illa mea Cõsularis & Senatoria, auxilio mihi opus fuerat & Cõsulis, & Senatus: quorũ alterum etiam ad pernicie meam erat à uobis Cõsulibus conuersum, alterum Reipublicæ penitus ereptum. Attamen si consilium exquiris meũ, neq; ego cessissem, & me ipsa suo complexu patria tenuisset, si mihi cũ illo bustua-

a Fictio argumenti à minore.

b Scomma in profusam, petulantem atq; obiectã Pisonis libidinẽ coniectum.

c Alterius obiectionis confutatio, plena affectionum & indignationis à causis ducta: Nõ Clodianorum furori se cessisse, sed cõmuni se omniũ saluti cõseruasse. Extat huius rei argumentum in oratione quam habuit antequam iret in exilium Cicero.

d σαρκασμὸς, hic amarulentus risus, in scommate & ironia positus.

rio gladiatore, & tecum, & cum collega tuo decertãdum fuisset.[a] alia enim causa præstantissimi uiri Q. Metelli fuit: quem ego ciuem meo iudicio cum deorum immortalium laude cõiungo: qui C. illi Mario fortissimo uiro, & cos. & sextum Cõsuli, & eius inuictis legionibus ne armis confligeret, cedendũ esse duxit. Quod mihi igitur certamen esset huiusmodi? cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero barbato Epicuro, cum altero Catilinæ laternario? quos neq; hercule ego, neque supercilium tuum,[b] neq; collegæ tui cymbala, ac crotala fugi: neq; tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reip. nauẽ gubernassem, saluam q; in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem alios ego uidi uent : alias prospexi animo procellas: alijs impendentibus tempestatibus non cessi, sed his unum me pro omnium salute obtuli. Itaq; discessu tum meo omnes illi nefarij gladij de manibus crudelissimis exciderunt: cùm quidẽ tu, ô uecors, & amẽs,[c] cùm omnes boni abditi, inclusiq; mœrerent, templa gemerent, tecta ipsa urbis lugerent, complexus es illud funestum animal ex nefarijs stupris, ex ciuili cruore, ex omniũ scelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretũ, atq; eodem in tẽplo, eodem & loci uestigio, & tẽporis, arbitria nõ mei solùm, sed patriæ funeris abstuliſti.[d] Quid ego illorũ dierum epulas, quid lætitiã, & gratulationẽ tuã, quid cũ tuis sordidissimis gregibus intẽperatissimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus sobriũ, quis agentẽ aliquid, quod esset libero dignũ, quis deniq; in publico uidit? cùm collegæ tui domus cãtu, & cymbalis personaret, cumq; ipse nudus in cõuiuio saltaret: in quo ne tũ quidẽ, cùm illũ suum saltatoriũ uersaret orbẽ, fortunæ rotã pertimescebat. hic autẽ

a Ab exẽplo amplificat per locũ cõparationis, ad diluẽdam reprehensionem.

b Reprehensio ab habitu effœminato, & luxurioso.

c Amplificatio crudelitatis Pisonis per hyperbolem, tota patheticа.

d Amplificatio indignitatis à tẽporis ratione ducta ad augẽdã inuidiam. Facit autem eã uehementiorem erotema te Rhetorico, cæteriſq; figuris.

non tam cõcinnus helluo, nec tam muſicus iacebat in ſuo Græcorum fœtore, atque uino. quod quidem iſtius in illis Reipublicæ luctibus,[a] *quaſi aliquod Lapitharũ, aut Cẽtaurorum conuiuium ferebatur: in quo nemo poteſt dicere, utrum iſte plus biberit, an uomuerit, an effuderit.*[b] *Tu etiam mentionem facies Cõſulatus tui? aut te fuiſſe Romæ Conſulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, & prætexta eſſe Conſulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio te Conſule eſſe uoluiſti. huius tu Clodiani canis inſignibus Conſulatum declarari putas? animo Conſulem eſſe oportet, conſilio, fide, grauitate, uigilantia, cura, toto denique munere Conſulatus, ego Conſulem eſſe putem, qui Senatum eſſe in Republica non putauit? & ſine eo conſilio Conſulem numerem, ſine quo Romæ ne Reges quidem eſſe potuerunt?*[c] *Etenim illa iam omitto: cùm ſeruorum delectus haberetur in foro, arma in templum Caſtoris luce, & palàm comportarentur: id autem templum ſublato aditu, reuulſis gradibus, à coniuratorum reliquijs, atque à Catilinæ prænaricatore quondam, tum ultore, armis teneretur:*[d] *cùm Equites Romani relegarẽtur, uiri boni lapidibus è foro pellerentur, Senatui non ſolùm iuuare Rempublicam, ſed ne lugere quidem liceret: cùm ciuis is quem hic ordo aſſentiente Italia, cunctiſq; gentibus conſeruatorem patriæ iudicarat, nullo iudicio, nulla lege, nullo more, ſeruitio atque armis pelleretur, nõ dicam auxilio neſtro, quod uerè licet dicere, ſed certè ſilentio: tum Romæ fuiſſe Conſules quiſquam exiſtimabit?*[e] *Qui latrones igitur, ſi quidem uos Conſules: qui prædones, qui hoſtes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur? Magnũ nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna maieſtas Conſulis: non capiunt anguſtiæ pectoris tui, nõ recipit le-*

a Cõparatio ad deſcribendã conuiuiorum importunitatem.

b Amplificatio per locũ cõmunẽ, de officio ac dignitate conſulatus circunſtantiis mirificè expolita. Probat autem nullo conſulis officio vſum fuiſſe Piſonem, argumentatione per ſubiectionẽ.

c Occupatione Rhetorica repetit turbatæ atq; afflictæ Reip. incommoda Clodianis præcipuè conſule Piſone inuecta. Locus paulo antè notatus.

d συναθροισμὸς explicat atq; cõgerit impeditæ Reip. incõmoda.

e Enthymema ex repugnantibus.

uitas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenij sustinet, non insolentia rerum secũdarum tantam personam, tam grauem, tam seueram. [a] *Seplasiamehercule, ut dici audiebam, te, ut primum aspexit, Campanum Consulem repudiauit.* [b] *Audierat Decios, Magios, & de Taurea illo Iubellio aliquid acceperat: in quibus si moderatio illa, quæ in nostris solet esse Consulibus, nõ fuit, at fuit pompa, fuit specie, fuit incessus, saltẽ Seplasia dignus, & Capua. Gabinium deniq; si uidissent Duumuirũ uestri illi unguentarij, citius agnouissent.* [c] *erant illi cõpti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluẽtes cerussatæq; buccæ dignæ Capua, sed illa uetere.* [d] *nam hæc quidẽ quæ nunc est, splendidissimorũ hominũ, fortissimorũ uirorum, optimorum ciuium, mihiq; amicissimorum multitudine redundat. quorum Capuæ te prætextatum nemo aspexit, qui non gemeret desiderio mei: cuius consilio cum uniuersam Remp. tum illam ipsam urbem meminerant esse seruatam: me inaurata statua donarant: me patronum unum ascuerãt: à me se habere uitam, fortunas, liberos arbitrabantur: me & præsentem contra latrociniũ tuum suis decretis Legatisq; defenderunt, & absentem principe Cn. Pompeio referente, & de corpore Reip. tuorum scelerũ tela reuellẽte, reuocarũt.* [e] *An tu eras Cõsul, cùm in Palatio mea domus ardebat, nõ casu aliquo, sed ignibus iniectis, instigãte te? Ecquod in hac urbe maius unquã incendiũ fuit, cui nõ Cõsul subuenerit? At tu illo ipso tẽpore apud socrũ tuã propè à meis ædibus, cuius domũ ad meã exhauriendã patefeceras,* [f] *sedebas nõ extinctor, sed autor incendij, & ardentes faces furijs Clodianis penè ipse Cõsul ministrabas. An uerò reliquo tẽpore Consulem te quisquã duxit? quisquã tibi paruit? quisquã in curiã uenienti assurrexit? quisquã consulenti respondendum*

a Extenuatio per sapinosim à loco.

b Locus collationis ab exemplo.

c Prosopographia ab absurdo.

d Altera comparationis pars, quæ virtutis suæ cõmendationem συναθροισμῷ expedit. Historia narratur in vita Ciceronis apud Plutarchum.

e Amplificat disputationem de officio consulis à circũstantiis & Reip. incõmoda criminosè explicat. Fit autem tota oratio erotemate, epanaphora, antithesi ab absurdo, cæterisq; figuris concitatior.

f Auxesis absurdi per epanorthosim, i. correctionem.

dũ putauit? numerãdus est ille annus deniq; in Republica, cùm obmutuisset Senatus, iudicia cõticuissent, mœrerent boni, uis latrocinij uestri tota urbe uolitaret, neq; ciuis unus ex ciuitate sed ipsa ciuitas tuo, & Gabinij sceleri, furoriq; cessisset? [a] At ne tum quidẽ emersisti lutulente Cæsonine ex miserrimis naturæ tuæ sordibus, cùm experrecta tãdem uirtus clarissimi uiri celeriter, & uerum amicum, & optimè meritum ciuem, & suum pristinum morem requisiuit: neq; est ille uir passus, in ea Rep. quam ipse decorarat, atq; auxerat diutius uestrorum scelerum pestẽ morari: [b] cùm tamen ille, qualiscunq; est, qui est ab uno te improbitate uictus Gabinius, collegit ipse se uix: sed collegit tamen, & contra suum Clodium primùm simulatè, deinde non libenter, ad extremũ tamen pro Cn. Pompeio uerè uehementerq; pugnauit. quo quidem in spectaculo mira Reip. æquitas erat: uter eorum perisset, tanquam lanista, in eiusmodi pari lucrum fieri putabat: immortalem uerò quæstum, si uterque cecidisset. sed ille tamen agebat aliquid: tuebatur autoritatem summi uiri: [c] erat ipse sceleratus, erat gladiator: cum scelerato tamẽ, & cum pari gladiatore pugnabat. Tu scilicet homo religiosus, & sanctus, fœdus, quod meo sanguine in pactione prouinciarum iceras, frangere noluisti. cauerat enim sibi ille sororius adulter, ut si tibi pecuniam, si exercitũ, si pecuniam ereptam ex Reip. uisceribus dedisset, omniũ suorum scelerum sociũ te, adiutoremq; præberes. itaq; in illo tumultu fracti fasces, ictus ipse: quotidie tela, lapides, fugæ: deprehensus deniq; cum ferro ad Senatum is, quẽ ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse constabat. * Et quis audiuit non modò actionem aliquam, aut relationem, sed uocem omnino, aut querelam tuam? [d] Cõsulem tute fuisse putas, cuius in imperio, qui Remp.

a Amplificatio ab iis turbis, quæ obortæ sunt referente Cneo Põpeio de reuocãdo Cicerone.

b Collatione auget inuidiam Pisonis, quod consul in Rep. audaciam inualescere æquitatẽ opprimi sustinuerit: cũ tamen proprium semper consulũ habitum iam inde ab urbe condita sit: uidere, ne quid detrimẽti Resp. caperet.

c Concessio cũ repetitione.

* Ecquis

d Amplificatio à persona Pompeij cũ exaggeratione oppressæ dignitatis.

Senatus autoritate ſeruarat, idémq; in Italia qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis deuinxerat, is ſe in publico tutò ſtatuit eſſe nõ poſſe? [a] *An tum eratis Cõſules, cùm quacunq; de re uerbum facere cœperatis, aut referre ad Senatum, cunctus ordo reclamabat, oſtendebátq; nihil eſſe uos acturos, niſi prius de me retuliſſetis, cùm uos quanquam fœdere obſtricti tenebamini, tamen cupere uos diceretis, ſed lege impediri?* [b] *quæ lex priuatis hominibus eſſe lex non uidebatur, inuſta per ſeruos, inciſa per uim, impoſita per latrocinium, ſublato Senatu, pulſis è foro bonis omnibus, capta Repub. contra omnes leges, nullo ſcripta more: hanc qui ſe metuere dicerent, Conſules, non dicam animi hominum, ſed facti ulli ferre poſſunt?* [c] *Nam ſi illã legem nõ putabatis, quæ erat contra omnes leges indemnati ciuis, atq; integri capitis, bonorumq; Tribunitia proſcriptio: hac tamẽ obſtricti pactione tenebamini: quis uos non modò Conſules, ſed liberos fuiſſe putet? quorum mens fuerit oppreſſa præmio, lingua aſtricta mercede? Sin illam uos ſoli legem putabatis, quiſquam uos Conſules tunc fuiſſe, aut nunc eſſe Conſulares putet, qui eius ciuitatis, in qua in principum numero uultis eſſe, non leges, non inſtituta, nõ mores, non iura noritis?* [d] *An, cùm proficiſcebamini paludati in prouincias uel emptas, uel ereptas, Cõſules uos quiſquã putauit? Itaque, credo, ſi minus frequentia ſua ueſtrum egreſſum ornando, atque celebrando: at omnibus ſaltem bonis, ut Conſules: non triſtiſſimis, ut hoſtes, aut proditores perſequebantur.* [e] *Túne etiam immaniſſimum, ac fœdiſſimum mõſtrum, auſus es meum diceſſum illũ teſtem ſceleris, & crudelitatis tuæ, maledicti & cõtumeliæ loco ponere? Quo quidem tempore cepi P. C. fructũ immortalẽ ueſtri in me, & amoris, & iudicij, qui nõ admurmurat*

[a] Amplificatio à lege per Pub. Clodiũ tribunũ plebis lata, qua Ciceroni in fugã cõuerſo, aqua & igni interdictum eſt, edictúmq; ne intra quingenta miliaria Italiæ tectis exciperetur. Autor Plutarch.

[b] Auget legis indignitatem argumento à minori.

[c] Probatio per dilemma ſiue cõplexionem, qua vtrunque remouetur.

[d] A profectione Piſonis in prouinciam poſt cõſulatum amplificat per comparationem. Eſt autẽ hic locus grauiſſimæ inſectationis plenus.

[e] Refellit Piſonis maledicta per inuerſionẽ rhetoricam.

muratione, sed uoce, & clamore, abiecti hominis, & semiuiui furorem petulantiámq; fregistis. [a] Tu luctum Senatus, tu desiderium Equestris ordinis, tu squalorẽ Italiæ, tu curiæ taciturnitatem annuam, tu silentium perpetuum iudiciorũ ac fori, tu cætera illa in maledicti loco pones, quæ meus discessus Reip. uulnera inflixit? [b] qui si calamitosissimus fuisset, tamen misericordia dignior, quàm contumelia, & cum gloria potius esse coniunctus, quàm cum probro putaretur: atq; ille, dolor meus duntaxat, uestrum quidem scelus ac dedecus haberetur. [c] Tũ uerò forsitan hoc, quod dicturus sum, mirabile auditu esse uideatur, sed certè id dicã, quod sentio. Cùm tantis à uobis P.C. beneficiis affectus sim, tantis honoribus, non modò illã calamitatem esse non duco, sed si quid mihi potest à Repub. esse seiunctũ, quod uix potest, priuatim ad meum nomen augendum, optandum duco mihi fuisse illam, expetendámq; fortunam. [d] Atq; ut tuum lætissimũ diem cum tristissimo meo conferã, utrum tandẽ bono uiro, & sapiẽti optabilius putas, sic exire à patria, ut omnes sui ciues salutẽ, incolumitatem, reditum precẽtur, quod mihi accidit: an, quod tibi proficiscenti euenit, ut omnes execrarentur, malè precarentur, unam tibi illam uiam, & perpetuam esse nellent? mihi mediusfidius in tanto omnium mortalium odio iusto præsertim, & debito, quæuis fuga potius, quàm ulla prouincia esset optatior. [e] Sed perge porrò. nam si illud meum turbulentissimum tempus profectionis, tuo tranquillissimo præstat, quid conferam reliqua, [f] quæ in te dedecoris plena fuerunt, in me dignitatis? Me Calendis Ian. qui dies post obitum occasumque nostrum Reip. primus illuxit, frequentissimus Senatus, concursu Italiæ, referente clarissimo, atq; fortissimo uiro P. Lentulo, consentiente populo Ro. atq; una

a Explicat reip. uulnera Clodianis furiis inusta, per συναθροισμόν.

b Fictio per cõcessionem ad renouandam inuidiam.

c παῤῥησία, apta figura conciliandæ fidei atq; autoritatis, sub qua tamẽ sæpe latet assentatio, ac quædã etiã ingenii iactatio.

d Comparatio coniecta in locũ honesti.

e Continuatio siue frequẽtatio de sui restitutione omnibus amplificata.

f Antithesis.

uoce reuocauit. me idem Senatus exteris nationibus, me Legatis, magistratibúsq; nostris autoritate sua Consularibus literis, [a] non, ut tu nuper dicere ausus es, orbatum patria, sed ut Senatus illo ipso tempore appellauit, ciuem conseruatorem Reip. commendauit. ad meam unius salutem Senatus auxilium omnium ciuium cuncta ex Italia, qui Remp. saluam esse uellent, Consulis uoce & literis implorandũ putauit. mei capitis seruandi causa Romam uno tempore quasi signo dato Italia tota conuenit. de mea salute P. Lentuli præstantissimi uiri, atq; optimi Consulis, Cn. Pompeij clarissimi atq; inuictissimi ciuis, cæterorúmq; principum celeberrimæ, & gratissimæ conciones fuerunt. de me Senatus ita decreuit, Cn. Pompeio autore, & eius sententiæ principe, ut si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur: ijsq; uerbis ea de me Senatus autoritas declarata est, ut nemini sit triũphus honorificentius, quàm mihi salus restitutióq; perscripta de me, cũ omnes magistratus promulgassent, præter unum Prætorem, à quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, prætérque duos de lapide emptos Tribunos plebis, legẽ comitijs Centuriatis tulit P. Lentulus Consul de Collega Q. Metelli sententia: quẽ mecum eadem Respublica, quæ in Tribunatu eius disiunxerat, in Consulatu uirtute optimi ac iustissimi uiri, sapientiáq; coniunxit. Quæ lex quemadmodum accepta sit, quid me attinet dicere? ex uobis audio, nemini ciui ullam, quo minus adesset, iustã excusationem esse uisam: nullis comitijs unquã multitudinem hominum tantam neq; splendidiorem fuisse: hoc certè uideo, quod indicant tabulæ publicæ, uos rogatores, uos *distributores, uos custodes fuisse tabularum: [b] & quod in honoribus uestrorum propinquorũ non facitis, uel ætatis excusatione, uel

a Correctio per nominis interpretationem ad refellendam Pisonis obiectionẽ.

*diribitores

b A maiori.

honer

honoris, id in salute mea nullo rogante uos uestra sponte feciſtis. [a] Confer nunc Epicure noſter [b] ex hara producte non ex ſchola, cõfer ſi audes, abſentiã tuã cum mea. Obtinuiſti prouinciam Cõſularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat. nam lege Cæſaris iuſtiſſima, atq; optima, populi liberi, planè & uerè erant liberi: lege autem ea, quam nemo legem, præter te, & collegam tuum, putauit, omnis erat tibi Achaia, Theſſalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta. habebas exercitum tantum, quantum tibi non Senatus, aut Po. Ro. dederat, ſed quantum tua libido conſcripſerat. ærarium exhauſeras. [c] Quas res geſſiſti in imperio, exercitu, prouincia Conſulari? quas res geſſerit, quæro? qui ut uenit ſtatim, nondum [d] commemoro rapinas, nondũ exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces ſociorum, non cædem hoſpitum, non perfidiam, non immanitatem, non ſcelera prædico: [e] mox ſi uidebitur, ut cum fure, ut cum ſacrilego, ut cum ſicario diſputabo: [f] nunc meam ſpoliatam fortunam conferam cum florente fortuna Imperatoris. Quis unquã prouinciam cum exercitu obtinuit, qui nullas ad Senatũ literas miſerit? tantam uerò prouinciã cum tanto exercitu, Macedoniam præſertim, quæ tantis barbarorũ gentibus attingitur, ut ſemper Macedonibus Imperatoribus iidẽ fines prouinciæ fuerint, qui gladiorum, atq; pilorum: ex qua aliquot Prætorio imperio, Conſularis quidẽ nemo rediit, qui incolumis fuerit, qui non triumpharit. eſt hoc nouum: multò illud magis appellatus eſt hic uulturius, illius prouinciæ [g] (ſi diis placet) Imperator. netum quidẽ Paule noſter tabulas Romã cum laurea mittere audebas? [h] miſi, inquit. quis unquã recitauit? quis, ut recitarẽtur, poſtulauit? nihil enim mea refert, utrum tu cõſcientia oppreſſus

a Alia comparatio, qua ſuũ exilium cum Piſonis abſentia confert, qui locus grauiſſimam criminationem habet.

b Adagiũ. Vide Eraſ. in Chil.

c Ab iis quæ impotenter, cupide, & pernicioſe geſta ſunt à Piſone, eſt que hic ſubiectio.

d Occupatione explicat ſcelera Piſonis.

e Ἀποδιόρθωσις, id eſt, reiectio.

f Propoſitio alterius comparationis, qua Piſonis exiſtimatio ob res turpiter geſtas, vehementer eleuatur.

g Ironia.

h Sermocinatio.

ſcelerum tuorum, nihil unquã auſus ſis ſcribere ad eum ordinem, quem deſpexeras, quem afflixeras, [a] quem deleueras? an amici tui tabulas abdiderint, iidémque ſilentio ſuo temeritatẽ, atq; audaciam tuam condemnarint? [b] Atq; haud ſcio, an malim te uideri nullo pudore fuiſſe in literis mittẽdis, an amicos tuos plus habuiſſe & pudoris, & cõſilij, quàm aut te uideri pudentiorẽ fuiſſe, quàm ſoles, aut tuum factum non eſſe cõdemnatum iudicio amicorum. Quòd ſi non tuis nefariis in hunc ordinẽ contumeliis in perpetuũ tibi curiã præcluſiſſes, quid tandem erat actum, aut geſtum in illa prouincia, de quo ad Senatũ cum gratulatione aliqua ſcribi abs te oporteret? uexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amiſſio? an ſociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Theſſalonicæ? an obſeſſio militaris uiæ? an exercitus noſtri interitus, ferro, fame, frigore, peſtilentia? [c] Tu uerò, qui ad Senatũ nihil ſcripſeris, ut in urbe nequiquam inuentus es quàm Gabinius, ſic in prouincia paulò tamẽ quã ille demiſſior. nam ille gurges, atq; helluo natus abdomini ſuo, non laudi atq; gloriæ, cùm Equites Ro. in prouincia, cùm Publicanos nobiſcum, & uoluntate & dignitate coniunctos, omnes fortunis, multos fama, uitáq; priuaſſet, cũ egiſſet aliud nihil in illo exercitu, niſi ut urbes depopularetur, agros uaſtaret, exhauriret domos: auſus eſt (quid enim ille non auderet?) à Senatu ſupplicationem per literas poſtulare. [d] O dij immortales, túne etiam, atq; adeò uos geminæ uoragines, ſcopulíq; Reip. uos meã fortunam deprimitis? ueſtram extollitis? cùm de me ea Senatuſconſulta abſente facta ſint, eæ conciones habitæ, is motus fuerit municipiorum & coloniarum omnium, ea decreta publicanorum, ea collegiorum, ea deniq; generũ, ordinúmq; omnium, quæ ego non modò optare nũquam

a Epanaphora. Similiter deſimens incrementum.

b Senſus huius orationis eiuſmodi declaratur dilemmate, ſiue argumentatione à remotione. Literæ aut ſunt miſſæ, aut non ſunt miſſæ. Si miſſæ ſunt, damnatas eas à multis eſſe oportuit. Si non miſſæ, in cauſa fuit ſceleris tuorum conſcientia. Eiuſdem igitur ſceleris eſt aut impeditum literis mittẽdis fuiſſe, aut impudentem in ſupprimendis.

c Amplificatio per collationem Gabinii & Piſonis, ad utriuſque ſcelera deſcribẽda.

d Exclamatio indignitatis.

auderem, sed cogitare non possem: uos autẽ sempiternas fœdissimæ turpitudinis notas subieritis. [a] *An ego, si te & Gabinium cruci suffixos uiderem, maiore afficerer lætitia ex corporis uestri laceratione, quàm afficior ex infamia?* [b] *nullum est supplicium putandum, quo affici casu aliquo etiam boni uiri fortéq; possunt. Atq; hoc quidem etiam isti tui dicunt uoluptarij Græci: quos utinã ita audires, ut erant audiendi: nunquam te in tot flagitia ingurgitasses. uerum audis in præsepibus, audis in stupris, audis in cibo & uino.* [c] *sed dicunt ipsi, qui mala dolore, bona uoluptate definiunt, sapientem, etiam si in Phalaridis tauro inclusus succensis ignibus torreatur, dicturũ tamen, suaue illud esse, seséq; ne tantulum quidem commoueri.* [d] *tantam uirtutis esse uim uoluerunt, ut nõ posset unquam esse uir bonus non beatus.* [e] *quæ est igitur pœna? quod supplicium? id mea sententia, quod accidere nemini potest, nisi nocẽti, suscepta fraus, impedita & oppressa mens conscientia, bonorum omniũ odium, nota iusti Senatus, amissio dignitatis. Nec mihi ille M. Regulus, quẽ Carthaginienses resectis palpebris, illigatum in machina, uigilando necauerunt, supplicio uidetur affectus: nec C. Marius, quem Italia seruata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus, Africa deuicta ab eodẽ expulsum & naufragũ uidit. fortunæ enim ista tela sunt, non culpæ: supplicium autem est pœna peccati. neq; uerò ego si unquam uobis mala precarer, quod sæpe feci, in quo dij immortales meas preces audiuerũt morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer. Thyestea ista execratio est poetæ uulgi animos, non sapientum mouentis: ut, Tu naufragio expulsus uspiam saxis fixus asperis euisceratus latere penderes* [f] *(ut ait ille) saxa spargens tabo, sanie, sanguine atro. Non ferrem omnino molestè, si ita*

a Digreditur in locũ cõmunẽ & philosophorum more disputat de infamiæ ac scelerũ turpitudine, de innocentiæ animíque uirtute, quæ supplicio expugnari non potest.

b Confirmatio per locum cõmunem, quem amplissimè Cicero tractat in Tuscul. quæstionibus.

c Expositio sententiæ Epicureorum, quam in paradoxis, & libris de finibus bonorum & malorum describit amplius.

d Epiphonema.

e Subiectio qua pœnæ uocabulũ describit.

f Ennium poetã significat q eiusmodi carmina de Thyeste retulit.

si ita accidisset: sed id tamẽ esset humanũ. M. Marcellus, qui ter Cõsul fuit, summa uirtute, pietate, gloria militari, periit in mari: qui tamen ob uirtutẽ gloria & laude uiuit, in fortuna[a] *quadam est illa mors, non pœna putanda.*[b] *Quæ est igitur pœna? quod supplicium? quæ saxa? quæ cruces?*[c] *ecce, duos duces in prouinciis Po. Rom. habere exercitus, appellari Imperatores: horum alterum sic fuisse infirmatum conscientia scelerum & fraudum suarum, ut ex ea prouincia, quæ fuerit ex omnibus una maximè triumphalis, nullas sit ad Senatum literas mittere ausus. ex qua prouincia modò uir omni dignitate ornatissimus L. Torquatus magnis rebus gestis me referẽte absens Imperator sit appellatus, unde his paucis annis Cn. Dolabellæ, C. Curionis, M. Luculli iustissimos triumphos uidimus, ex ea te Imperatore nuntius ad Senatum allatus est nullus.*[d] *ab altero allatæ literæ, recitatæ, relatum ad Senatum.*[e] *dij immortales, ídne ego optarẽ, ut inimicus meus, ea, qua nemo unquam, ignominia notaretur? ut Senatus is, qui in eam iam benignitatis consuetudinem uenit, ut eos, qui bene Remp. gesserint, nouis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere uerborũ: huius unius literis nuntiantibus non crederet, postulantibus denegaret? His ego rebus pascor, his delector, his perfruor: quòd de uobis hic ordo opinatur non secus ac de teterrimis hostibus: quòd uos Equites Rom. quòd cæteri ordines, quòd cuncta ciuitas odit: quòd nemo bonus, nemo denique ciuis est, qui modò se ciuem esse meminerit,*[f] *qui uos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa Consulatus uestri perhorrescat.*[g] *Hæc ego semper de uobis expetiui, hæc optaui, hæc precatus sum. plura etiam acciderunt, quàm uellem. nã ut amitteretis exercitũ, nunquam mehercule optaui*

a Epiphonema.
b Redit ad infectationem per argumentationem quam subiectionẽ Rhetores vocant.
c Locus attentionis ab indignitate ac nouitate neglecti magistratus.
d Dissolutio.
e Exclamatio, qua simul pœnã, quam Pisoni & Gabinio imprecatus fuerat interpretatur vehementi & omnibus figuris illustrata oratione, ad cõmouendos affectus.
f Iucundam facit orationẽ periphrasi & dissolutione.
g Clausula.

optaui. illud etiam accidit præter optatum meũ, sed ualde ex uoluntate. mihi enim non uenerat in mentem furorẽ & insaniam optare uobis, in quam incidistis. atqui fuit optandum. [a] me tamen fugerat, deorum immortaliũ has esse in impios & conscelleratos pœnas certissimas cõstitutas. Nolite enim putare P. C. ut in scena uidetis, homines cõsceleratos impulsos deorum terreri furiarum tedijs ardẽtibus: sua quenq; fraus, suum facinus, suũ scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. ego te non uecordem, non furiosum, non mẽte captum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putẽ, qui sis ausus primũ facere (nam id est caput) deinde paulò antè Torquato grauissimo & sanctissimo uiro premente confiteri, te prouinciam Macedoniam, in quam tantũ exercitum transportasses, sine ullo milite reliquisse? [b] Mitto de amissa maxima parte exercitus: sit hoc infelicitatis tuæ: dimittendi uerò exercitus quã potes afferre causam? quam potestatem habuisti? quam legem? quod Senatus cõsultum? quod ius? quod exemplum? quid est aliud furere, nisi nõ cognoscere homines, non cognoscere leges, non Senatum, non ciuitatem, cruentare corpus suum? maior hæc est uitæ, famæ, salutis suæ uulneratio, [c] si familiam tuam dimisisses, quod ad neminẽ nisi ad ipsum te pertineret, amici te tui constringendum putarent: præsidium tu Po. Rom. custodiã prouinciæ, iniussu populi Senatúsq; dimisisses, si tuæ mentis compos fuisses? [d] Ecce tibi alter, effusa iam maxima præda, quam ex fortunis publicanorum, ex agris urbibúsq; sociorũ exhauserat, cùm partim eius prædæ profundæ libidines deuorassent, partim noua quædã & inaudita luxuries, partim etiam in illis locis, ubi omnia diripuit, emptiones, partim permutationes ad hãc

a Locus communis quem his uerbis explicat Val. Max. Lento gradu, inquit, ad uindictã sui diuina procedit ira, sed tarditatem supplicii grauitate compensat.

b Occupatio.

c Exaggerat factí turpitudinem indignitatémque dimissi exercitus à minore.

d Collatio, qua Gabinii furorem signis & rebus turpiter atq; auarè gestis comprobat. Amplificatur autẽ omnia epithetis & circumstantijs.

Tuſculanum montem extruendũ, cùm illa eius immenſa & intolerabilis ædificatio conſtitiſſet: ſe ipſum, faſceis ſuos, exercitum Po. Ro. numen interdictúmque deorum immortalium, reſponſa ſacerdotum, autoritatẽ Senatus, iuſſa populi, nomen ac dignitatem imperij, Regi Aegyptio uendidit. cùm fineis prouinciæ tantos haberet, quantos uoluerat, quantos optauerat, quantos mei capitis pretio periculóq; emerat, his ſe tenere non potuit, exercitum eduxit ex Syria. quî licuit extra prouinciam? tribuit ſe mercenarium comitẽ Regi Alexandrino. quid hoc turpius? in Aegyptum uenit: ſigna contulit cum Alexãdrinis. quando hoc bellum aut hic ordo, aut populus ſuſceperat? cepit Alexandriam. quid aliud expectamus à furore eius, niſi ut ad Senatum tantis de rebus geſtis literas mittat? hic ſi mentis eſſet ſuæ, niſi pœnas patriæ, diíſq; immortalibus eas, quæ grauiſſimæ ſunt, furore atque inſania penderet, auſus eſſet, mitto exire de prouincia, educere exercitum, bellum ſua ſponte gerere, in regnum iniuſſu populi, aut Senatus accedere? quæ cùm plurimæ leges ueteres, tum lex Cornelia maieſtatis, Iulia de pecuniis repetundis planiſſimè uetant. ſed hæc omitto. ille ſi non acerrimè fureret, auderet, [a] quam prouinciam P. Lẽtulus amiciſſimus huic ordini, cùm & autoritate Senatus, & ſorte haberet, interpoſita religione ſine ulla dubitatione depoſuiſſet, eam ſibi tum aſciſcere, cùm etiam ſi religio non impediret, mos maiorum tamen & exempla, & grauiſſimæ legum pœnæ uetarent? [b] Sed quoniam fortunarum contentionem facere cœpimus, de reditu Gabinij omittamus: quẽ etſi ſibi ipſe præcîdit, ego tamen os ut uideã hominis expecto. Tuum ſi placet reditum cum meo conferamus. At meus quidẽ is fuit, ut à Brunduſio uſq; Romam agmen perpetuum totius Italiæ uide

a Ab exemplo.

b Transitus à fortunarũ collatione ad utriuſque reditus comparationem.

uiderem. neq; enim regio fuit ulla, neq; municipium, neque præfectura, aut colonia, ex qua non publicè ad me uenerint gratulatum. Quid dicam aduẽtus meos? quid effusiones hominum ex oppidis? quid cõcursum ex agris patrumfamiliâs cum cõiugibus ac liberis? quid eos dies, qui quasi deorum immortaliũ, festi ac solennes sunt aduẽtu meo, reditúq; celebrati? unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redij, cùm Senatum egressum uidi, populúmque Romanum uniuersum, cùm mihi ipsa Roma propè conuulsa sedibus suis ad complectendum conseruatorem suum procedere uisa est. quæ me ita accepit, ut non modò omnium generum, ætatum, ordinum omnes uiri ac mulieres, omnis fortunæ ac loci, sed etiam mœnia ipsa uiderentur, & tecta urbis, [a] ac templa lætari. Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Pontifices, Consules, * Prætores collocauerũt, mihíque (quod ante me nemini) pecunia publica ædificandam domum censuerunt. [b] Habes reditum meum. Confer nunc uicissim tuũ, quandoquidem amisso exercitu nihil in colume domum, præter os illud pristinũ tuum retulisti, qui primùm quà ueneris cum laureatis tuis lictoribus quis scit? [c] quos tu Mæandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ diuerticula, flexionésq; quæsisti? quod te municipium uidit? quis amicus inuitauit? quis hospes aspexit? nónne tibi nox erat pro die? non solitudo pro frequentia? caupona pro oppido? non ut redire ex Macedonia nobilis Imperator, sed ut mortuus infamis referri uideretur? Romam uerò ipsam fœdauit aduentus tuus. [d] O familiæ non dicã Calphurniæ, sed Calueãtiæ, neq; huius urbis, sed Placẽtini municipii: neq; paterni generis, sed Brachatæ cognationis dedecus, quãadmodum

a Hyperbolicõs omnia augustiora illustrioráque facit.

*P.C.

b Commonitio, qua transit ad alteram cõtentionis partẽ, de reditu Pisonis.

c ἐρμηνεία, i. interpretatio apta rebus augẽdis, cui subiicit antithesim ad describendũ fœdissimum Pisonis reditum, plenum probri aç infamiæ.

d Exclamatio ad augendam indignitatem Pisonis cuius abiectionẽ familiæque deprauationem taxat correctione Rhetorica.

modum ueniſti? quis tibi, non dicam horum, aut ciuium cæterorum, ſed tuorum legatorũ obuiam uenit? mecum enim tũ L. Flaccus uir tua legatione indigniſſimus atq; iis conſiliis, quibus mecum in Conſulatu meo cõiunctus fuit, ad conſeruandam Remp. dignior, mecum fuit tum, cùm te quidam non longe à porta cum lictoribus errantem uiſum eſſe narrabat. ſcio item uirum fortẽm in primis belli ac rei militaris peritum familiarem meum Q. Martium, quorum tu legatorum prælio Imperator appellatus eras, cùm longè abfuiſſes, aduentu iſto tuo domi fuiſſe otioſum. [a] *Sed quid ego enumero, qui tibi obuiam non uenerint? qui dico ueniſſe penè neminem, ne de officioſiſſima quidem natione candidatorum, cùm uulgò eſſent & illo ipſo, & multis antè diebus admoniti & rogati.* [b] *togulæ lictoribus ad portam præſtò fuerunt: quibus illi acceptis, ſagula reiecerunt, & cateruam Imperatori ſuo nouam præbuerunt.* [c] *ſic iſte tanto exercitu, tanta prouincia, triennio pòſt Macedonicus Imperator in urbem ſe intulit, ut nullius negotiatoris obſcuriſſimi reditus unquam fuerit deſertior. in quo me tamen, qui eſſet paratus ad ſe defendendum, reprehendit, cùm ego Cœlimontana porta introiſſe dixiſſem, reſponſione me mimica Eſquilina introiſſe homo promptiſſimus laceſſiuit: quaſi uerò id aut ego ſcire debuerim, aut ueſtrum quiſpiam audierit, aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modò ne Triumphali, quæ porta Macedonicis ſemper Proconſulibus ante te patuit. tu inuentus es, qui Conſulari imperio præditus ex Macedonia non triumpharet. At audiſtis P.C. philoſophi uocem. negauit ſe triumphi cupidum unquam fuiſſe.* [d] *O ſcelus, ô peſtis, ô labes: cùm extinguebas Senatum, uendebas autoritatẽ huius ordinis, addicebas Tribuno pleb:*

a Correctione ſui pulchrè diſſimulat animum ex ſingulari Piſonis odio laborantem, & inuidiam uehementius auget.

b Auxeſis inuidiæ ab habitu.

c Epilogus paruus.

d Exclamationibus irrumpit in affectus.

pleb. Consulatum tuum, Remp. euertebas, prodebas caput & salutem meam una mercede prouinciæ: si triumphum non cupiebas, cuius tãdem rei te cupiditate arsisse defendes? sæpe enim uidi, qui & mihi & cæteris cupidiores prouinciæ uiderentur, triumphi nomine tegere, atque uelare cupiditatem suam. [a] hoc modo D. Syllanus Consul in hoc ordine, hoc meus etiã collega dicebat. neq; enim quisquam potest exercitum cupere, apertéq; petere, ut non prætexat cupiditatem triumphi. [b] Quòd si te Senatus populúsque Ro. aut non appetentem, aut etiã recusantem, bellum suscipere, exercitum ducere coegisset, tamen erat angusti animi atque demissi, triumphi honorem, atque dignitatem contemnere. [c] nam ut leuitatis est inanem aucupari rumorem, ut omneis umbras etiam falsæ gloriæ consectari: sic leuis est animi, lucem, splendorémque fugientis, iustam gloriam, qui est fructus ueræ uirtutis honestissimus, repudiare. [d] Cùm uerò non modò non postulante atque cogente, sed inuito, atque oppresso Senatu, non modò nullo Pop. Ro. studio, sed nullo ferente suffragium libero, prouincia tibi ista manupretiũ fuerit non euersæ per te, sed perditæ ciuitatis: cúmq; omniũ tuorum scelerum hæc pactio extiterit, ut si tu totam Rẽpub. nefariis latronibus tradidisses, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus uelles, redderetur: cùm exhauriebas ærarium: cùm orbabas Italiam iuuentute: cùm mare uastissimum hyeme transibas: si triumphum contemnebas, quæ te prædo amentissime, nisi prædæ acrapinarum cupiditas tam cæca rapiebat? [e] Non est integrum Cn. Pompeio cõsilio iam uti tuo. errauit enim, non gustarat istam tuã philosophiam, ter iam homo stultus triũphauit. Crasse pudet me tui: quid est, quòd confecto formidolosissimo bello coronam illam lauream tibi tan-

a Cõfirmatio ab exemplo.

b Epicherema rhetoricũ quinque partium.

c Ratio, secunda epicherematis pars.

d Assumptum siue medium quo colligit ac interpretatur Pisonẽ in administranda Macedonia rebúsque susceptis nihil spectasse, præter prædæ ac rapinarum cæcam cupiditatem.

e Expolitio à contrariis bonorum exẽplis, tota ironica.

topere decerni uolueris a Senatu? P. Seruili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hũc audistis tam doctum hominem, tam eruditum, prius quàm in istum errorẽ inducereminí? C. ipsi Pontino necessario meo iam non est integrum: religionibus enim susceptis impeditur.

a Exclamatio ironica.

a O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! ô amentẽ Paulum, rusticum Marium, nullius consilij patres istorum amborum Consulum, qui triumpharunt! Sed quoniã præterita mutare non possumus, b quid cessat hic homulus ex argilla & luto fictus Epicureus dare hæc præclara præcepta sapientiæ clarissimo & summo Imperatori genero suo? c fertur ille uir mihi crede gloria: flagrat, ardet cupiditate iusti & magni triumphi, non didicit eadẽ ista, quæ tu mitte ad eum libellum. sed iam si ipse coràm congredi poteris, meditare quibus uerbis incensam illius cupiditatem comprimas atque restinguas. ualebis apud hominem uolitantem gloriæ cupiditate uir moderatus & cõstans, apud indoctum eruditus, apud generũ socer. d dices enim, ut es homo facetus, ad persuadendum concinnus, perfectus, politus è schola: Quid est Cæsar, quòd te supplicationes toties decretæ, tot dierum tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur, quas diy negligunt, qui (ut noster ille diuinus dixit Epicurus) neq; propitij cuiquam esse solent, neq; irati. Non facies fidem scilicet, cùm hæc disputabis. tibi enim & esse & fuisse deos uidebit iratos. e uertes te ad alteram scholam, disseres de triũpho. f Quid tandem habet iste currus? quid uincti ante currũ duces? quid simulacra oppidorũ? quid auri? quid argentum? quid Legati in equis & Tribuni? quid clamor militũ? quid tota illa põpa? inania sunt ista, mihi crede, delectamenta penè puerorum, captare plausus

b Tapinosis ad exagitandam Pisonis disputationem, ab exemplo Cali Cæsaris.

c ἐρμηνεία cũ dissolutione.

d Prosopopœia, id est sermocinatio, venustũ schema, & ad exornãdã impudentẽ ac illiberalẽ Pisonis orationem.

e Id est, disputationem. figura est metonymia.

f Descriptio triumphi.

ſus, uehi per urbem, conſpici uelle. quibus ex rebus, nihil eſt quod ſolidum tenere, nihil quod referre ad uoluptatem corporis poſſis. quin tu me uides, qui ex qua prouincia T. Flaminius, L. Paulus, Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alij leui cupiditate commoti triumpharunt, ex ea ſic redij, ut ad portam Eſquilinam Macedonicam laureã conculcarim ipſe cum hominibus quindecim male ueſtitis ad portam Cœlimontanã ſitiens peruenerim: quo in loco mihi libertus præclaro Imperatori domum ex hac die biduo antè conduxerat: quæ uacua ſi non fuiſſet, in campo Martio mihi tabernaculum collocaſſem. numus interea mihi Cæſar neglectis uehiculis triumphalibus domi manet, & manebit, rationes ad ærarium retuli continuò, ſicut tua lex iubebat: neq; alia ulla in re legi tuæ parui.[a] *quas rationes ſi cognoris, intelliges nemini plus, quàm mihi literas profuiſſe. ita enim ſunt perſcriptæ ſcitè & literatè, ut ſcriba, ad ærariũ qui eas retulit, perſcriptis rationibus ſecum ipſe caput ſiniſtra manu perfricans, commurmuratus ſit. Ratio quidẽ hercle apparet, argentum οἴχεται.*[b] *Hac tu oratione non dubito, quin illum iam aſcendentẽ in currum poſſis reuocare. O tenebræ, ô lutum, ô ſordes, ô paterni generis oblite, materni uix memor: ita neſcio quid iſtuc fractum, humile, demiſſum, ſordidum, inferius etiam eſt, quàm ut*[c] *Mediolanenſi præcone auo tuo dignum eſſe uideatur. L. Craſſus homo ſapientiſſimus noſtræ ciuitatis, ſpiculis propè ſcrutatus eſt Alpes: ut ubi hoſtis non erat, ibi triũphi cauſam aliquã quæreret. Eadẽ cupiditate uir ſummo ingenio præditus C. Cotta nullo certo hoſte flagrauit. eorũ neuter triũphauit, q; alteri illũ honorẽ collega, alteri mors ademit. Irriſa eſt abs te paulò antè M. Piſonis cupiditas triumphandi, à qua te longè dixiſti abhorrere.*

a Piſonis egeſtatem deſertã atq; nobilitatam pauertatem, voluptatum ſordibus contractam, taxat ſcõmate ac ioco amarulento. Legi autem debet οἴχεται. i. abiit, exceſſit, nõ extat. Verba ſunt Plauti in Trinũmo à Cicerone traducta.

b Redit ad inſectationem & rem exaggerat exclamatione plena indignitatis atq; reprehenſionis cũ dicit, O tenebræ, ô lutum, &c.

c Comparatione exagitat Piſonis turpitudinem.

qui etiam si minus magnum bellum gesserat, ut abs te dictum est, tamen istum honorem contemnendum non putauit. [a] *Tu eruditior quàm Piso, prudentior quàm Cotta, abũdantior cõsilio, ingenio, sapientia quàm Crassus, ea contemnis, quæ illi idiotæ, ut tu appellas, præclara duxerunt. Quòd si reprehendis, quòd cupidi laureæ fuerint, cùm bella aut parua, aut nulla gessissent: tu tantis nationibus subactis, tantis rebus gestis, minimè fructum laborum tuorum, præmia periculorum, uirtutis insignia contemnere debuisti. neq; uerò contempsisti, licet Themista sapientior, si os tuum ferreum Senatus conuicio uerberari noluisti.* [b] *Iam uides, (quãdoquidem ita mihimet fui inimicus, ut me tecum compararem) & digressum meum, & absentiam, & reditũ ita longè tuo præstitisse, ut mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi sempiternam turpitudinem inflixerint. Nunc etiam in hac quotidiana, assidua, urbanáq; uita splendorẽ tuum, gratiam, celebritatem domesticã, operam forensem, consilium, auxilium, autoritatem, sententiam Senatoriam nobis, aut, ut uerius dicam, cuiquam es infirmissimo ac desperatissimo antelaturus?* [c] *Agè, Senatus odit te, quod eum tu facere iure concedis, afflictorem & proditorem non modò dignitatis & autoritatis, sed omnino ordinis ac nominis sui: uidere Equites Romani nõ possunt, quo ex ordine uir præstantissimus L. Aelius est te Cõsule relegatus: plebs Romana perditum cupit, in cuius tu infamiam ea, quæ per latrones & per seruos de me egeras, contulisti: Italia cuncta execratur, cuius idem tu superbissimè decreta & preces repudiasti. Fac huius odij tanti ac uniuersi periculum, si audes. instant post hominũ memoriã apparatissimi magnificẽtissimíq; ludi, quales non modò nũquàm fuerunt, sed ne quomodo fieri quidẽ post-*

a Conclusio epicherematis per ironiam.

b Epilogus prioris disputationis cũ enumeratione, qua transit ad priuata & domestica Pisonis uitia, quib⁹ omniũ in se ciuiũ odiũ concitauit.

c A signis & causis tanquam inductione usus Rhetorica colligit quanto odio omniũ penè ordinũ laboret Piso.

hac

hæc possint, possum ullo pacto suspicari. da te populo, committe ludis. [a] sibilum metuis? ubi sunt uestræ scholæ? ne acclametur? ne id quidem est curare philosophi. manus tibi ne afferantur, times. dolor enim est malum, ut disputas: existimatio, dedecus, infamia, turpitudo, uerba sunt atq; ineptiæ. sed de hoc non dubito: non audebit accedere ad ludos. conuiuium publicum non dignitatis causa inibit: nisi fortè, ut cum P. Clodio, hoc est* cõpotoribus suis cœnet, sed planè animi sui causa ludos nobis idiotis relinquet, solet in disputationibus suis [b] oculorũ & aurium delectationi abdominis uoluptates anteferre. nam quòd uobis iste tantummodò improbus, crudelis olim furuncu lus, nunc uerò etiam rapax, quòd sordidus, quòd contumax, quòd superbus, quòd fallax, quòd perfidiosus, quòd impudens, quòd audax esse uideatur: nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil * posterius, nihil nequius. [c] luxuriam autem in isto nolite hanc cogitare: est enim quædam, quanquàm omnis est uitiosa atq; turpis, tamen ingenuo ac libero dignior. nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitũ (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quicquàm præter libidines, sumptuosum. Toreuma nullum, maximi calices, & hi, ne contemnere suos uideatur, Placentini: extructa mensa, non conchylijs aut piscibus, sed multa carne subrancida. serui sordidati ministrant, nonnulli etiam senes: idem coquus, idem atriensis: pistor domi nullus, nulla cella, panis & unum à propola atque de cupa: Græci stipati quini in lectulis, sæpe plures, ipse solus, bibiturus quæ eodem de solio ministrentur: [d] ubi galli cantum audiuit, auum suum reuixisse putat, mẽsam tolli iubet. [e] Dicet aliquis, Vnde tibi hæc nota sunt? non mehercule contumeliæ causa describam quenquã, præsertim ingeniosum hominem

a Argumentatio per subiectionẽ apta refutandis aduersariorũ hypophoris.

*cum amoribus

b Id est scenicis spectaculis.

*proterui?

c Amplificatio ab absurdo & domesticis sordibus.

d Scomma cum vehementi infectatione.

e Procataleptico exponit Pisonis institutionem.

atq; eruditum, cui generi esse ego iratus, ne si cupiã quidem, possum. Est[a] quidam Græcus, qui cum isto uiuit, homo, uerè ut dicam, sic enim cognoui, humanus, sed tandiu, quandiu cum alijs est, aut ipse secum. is cùm istum adolescentem iam tum cum[b] hac diis irata a fronte uidisset, non fugit eius amicitiam, cùm esset præsertim appetitus: dedit se in consuetudinẽ, sic, ut prorsus unà uiueret, nec ferè ab isto unquã discederet.[c] Non apud indoctos, sed ut ego arbitror, in hominum eruditissimorum & humanissimorum cœtu loquor. audistis profectò dici, philosophos Epicureos omneis res, quæ sunt homini expetẽdæ, uoluptate metiri.[d] rectè an secus, nihil ad nos: aut si ad nos, nihil ad hoc tempus. sed tamen lubricum genus orationis adolescenti non acriter intelligẽti sæpe præceps. Itaq; admissarius iste, simulatq; audiuit à philosopho uoluptatem tantopere laudari, nihil expiscatus est: sic suos sensus uoluptarios omneis incitauit, sic ad illius hanc orationem[e] adhinniit, ut non magistrum uirtutis, sed autorem libidinis à se illum inuentum arbitraretur. Græcus primo distinguere atque diuidere illa quemadmodum dicerentur: iste claudus (quomodo aiunt) pilam retinere: quod acceperat testificari, tabulas obsignare uelle, Epicurum disertum decernere: & tamen dictum opinor, se nullum bonum intelligere posse demptis corporis uoluptatibus.[f] Quid multa? Græcus facilis & ualde uenustus, nimis pugnax cõtra Senatorem Po. Ro. esse noluit. est autem hic, de quo loquor, non philosophia solùm, sed etiã literis, quod ferè cæteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus. Poema porrò facit ita festiuũ, ita concinnũ, ita elegãs, nihil ut fieri possit argutius. in quo reprehẽdat eum licet, si qui uolet, modò leuiter, non ut impurum, non ut improbum, non ut audacẽ, sed ut Græculum, ut

a Philodemum philosophũ Epicureum significari putat Asconius Pedianus cuius obscœna admodum fuerunt carmina.
b Metonymia cũ acerba execratione.
c Præcaftigatio à nouo orationis genere diuerso propemodum ab hoc genere epidictico.
d Apodioxis.
e Onomatopœia.
f Interfatio.

lum, ut assentatorẽ, [a] *ut poetam.* [b] *deuenit, aut potius incidit in istum eodẽ deceptus supercilio Græcus atq; aduena,* [c] *quo tam sapiens, & tanta ciuitas se reuocare nõ poterat familiaritate implicatus, & simul inconstantiæ famam uerebatur: rogatus, inuitatus, coactus, ita multa ad istum de isto scripsit, ut omnes hominis libidines, omnia cœnarũ genera conuiuiorúmq; adulteria eius delicatissimis uersibus expresserit. in quibus, si quis uelit, possit istius tanquam in speculo uitam intueri: ex quibus multa à multis lecta & audita recitarem, nisi uererer, ne hoc ipsum genus orationis, quo nunc utor, ab huius loci more abhorreret, & simul de ipso, qui scripsit, detrahi nolo.* [d] *qui si fuisset in discipulo comparando meliore fortuna, fortasse austerior & grauior esse potuisset: sed eum casus in hanc consuetudinem scribendi induxit philosopho ualde indignam. siquidẽ philosophia, ut fertur, uirtutis continet & officij, & bene uiuendi disciplinam: quã qui profitetur, grauissimam mihi sustinere personam uidetur. sed idem casus illum ignarum quid profiteretur, cùm se philosophũ esse diceret, istius impurissimæ ac intẽperatissimæ pecudis cœno, & sordibus inquinauit: qui modò res gestas Cõsulatus mei cùm laudasset* [e] *(quæ quidem laudatio hominis turpissimi mihi ipsi erat penè turpis) Non ulla tibi, inquit, inuidia nocuit, sed uersus tui. Nimis magna pœna te Cõsule constituta est siue malo poetæ, siue libero. scripsisti enim uersus.* [f] *Cedãt arma togæ. quid tũ? hæc res tibi* [g] *fluctus illos excitauit.* [h] *at hoc nusquã, opinor, scriptũ fuisse in illo elogio, quod te Cõsule in sepulcro Reip. incisum est, Velitis, iubeatis, ut non q. M. Cic. uersum fecerit, sed q. uindicarit.* [i] *Veruntamen, quoniã te nõ Aristarchũ, sed Phalarim grammaticũ habemus, qui nõ notã apponas ad malũ uersum, sed poetam armis*

a Contemptio quãdo poetis leuitatem ac furorem quoq; attribuit Plato.

b Epanorthosis siue correctio. Deuenire enim est descendere & veluti dilabi.

c Metonymia. estque argumentum à maiore.

d Reprehendit philosophi institutum tanquam per locum coniugatorum.

e Redit ad inuectiuam Pisonis per anthypophoram.

f Dialogismus est, Magnã Ciceroni inuidiã cõflauit, vt Plutarchus quoque refert, huius carminis iactatio.

g Elegans in primis metaphora.

h Anthypophora.

i Interpretatur carmen suum, ad diluendam obiectam criminationem Pisonis.

armis persequare, scire cupio, quid tandẽ isto in uersu reprehendas, Cedant arma togæ? Tua dicis, inquit, togæ summũ Imperatorem esse cessurũ. quid nunc te asine literas doceam? non opus est uerbis, sed fustibus. non dixi hãc togã, qua sum amictus, nec arma, scutum, & gladiũ unius Imperatoris: sed quod pacis est insigne & otij toga: contrà autẽ arma tumultus atq; belli, more poëtarũ locutus, hoc intelligi uolui, bellũ ac tumultum paci atq; otio cõcessurum. Quære ex familiari tuo Græco illo poëta: probabit genus ipsum & agnoscet, neq; te nihil sapere mirabitur. At in illo altero, inquit, hæres, Cõcedat laurea laudi. Imò mehercule habeo tibi gratiam: hærerem enim, nisi tu me expedisses. nam cùm tu timidus ac trementis tuis ipse furacissimis manibus detractam cruentis fascibus lauream ad portã Esquilinã abiecisti, indicasti non modò amplissimæ, sed etiam minimæ laudi lauream concessisse. Atq; ista ratione hoc tamen intelligi sceleratè uis, Pompeium inimicũ mihi isto uersu esse factum: ut si uersus mihi nocuerit, ab eo, quem is uersus offenderit, uideatur mihi pernicies esse quæsita. Omitto, nihil istũ uersum pertinuisse ad illũ: non fuisse meum, quem, quãtum potuissem, multis sæpe orationibus scriptísq; decorassem, hũc uno uiolare uersu. Sed sit offensus primò, nónne compensabit cũ uno uersiculo tot mea uolumina laudum suarum? Quòd si est cõmotus, ad perniciémne nõ dicã amicissimi, non ita de sua laude meriti, non ita de Rep. nõ Consularis, non Senatoris, non ciuis, nõ liberi, in hominis caput ille tam crudelis propter uersum fuisset? tu quidẽ, tu, apud quos, de quo dicas, intelligis? cõplecteris amplissimos uiros ad tuum & Gabinij scelus, neq; id occultè: nam paulò antè dixisti, me cum iis confligere, quos despicerem: non attingere eos, qui plus possent, quibus

a Refutatio per ἀνυπερθύνην Rhetoricam siue κατὰ βίαιον.

b Translatione rhetorica rejecit obiectam inuidiæ criminationem in Pisonem & Clodianos.

c Occupatio.

d Confessio rhetorica.

e Fictio argumẽti à minori.

f Conduplicatio qua Pisonem grauissimæ inuidiæ offert.

g Probatio à pronuntiato.

bus ita tus esse deberẽ. quorum quidem (quis enim nõ intelligit quos dicas?) quanquàm nõ est una causa omniũ, tamen est omnium mihi probata. [a] me Cn. Põpeius, multis obsistẽtibus eius erga me studio atq; amori, semper dilexit, semper sua coniunctione dignissimum iudicauit, semper non modò incolumem, sed etiam amplissimum atq; ornatissimum uolui esse. uestræ fraudes, uestrũ scelus, uestræ criminationes insidiarum mearum, illius periculorum nefariè fictæ, simul eorum, qui familiaritatis licentia, suorum improbissimorum sermonum domicilium, in auribus eius impulsu uestro collocauerunt, uestræ cupiditates prouinciarum, effecerunt, ut ego excluderer, omnésq; qui me, qui illius gloriam, qui Remp. saluam esse cupiebant, sermone atq; aditu prohiberentur. Quibus rebus est perfectum, ut illi planè suo stare iudicio non liceret, cùm certi homines non studium eius à me alienassent, sed auxiliũ retardassent. [b] Nónne ad te L. Lentulus, qui tũ erat Prætor, non Qu. Sanga, nõ L. Torquatus pater, non M. Lucullus uenit? qui omnes ad eũ, multíq; mortales ornatum in Albanum obsecratúmque uenerant, ne meas fortunas desereret cum Reip. salute coniunctas: quos ille ad te, & ad tuũ collegam remisit, ut causam publicam susciperetis, ut ad Senatũ referretis: se contra armatum Trib. pleb. sine consilio publico decertare nolle, Consulibus ex S.C. Remp. defendẽtibus se arma susceptum. [c] Ecquid infelix recordaris, quid responderis? in quo illi omnes quidem, sed Torquatus præter cæteros furebat contumacia responsi tui: te non esse tam fortẽ, quàm ipse Torquatus in Cõsulatu fuisset, aut ego: nihil opus esse armis, nihil cõtentione: me posse iterũ Remp. seruare, si cessissem: infinitã cædem fore, si restitissem. deinde ad extremũ neq; se, neq; generum, neq; colle-

a Explicat causas quibus Pompeius ad inimicitiam impulsus fuerit.

b Probatio ab exemplis.

c Repetit in inuidiam Pisonis responsum.

gam ſuum, Tribuno pleb. defuturũ. hic tu hoſtis ac proditor aliis me inimiciorem, quàm tibi debere eſſe dicis? Ego [a] *C. Cæſarem non eadẽ de Rep. ſenſiſſe, quæ me, ſcio: ſed tamen, quod iam de eo his audientibus ſæpe dixi, me ille ſui totius Cõſulatus, eorúmq; honorum, quos cũ proximis cõmunicauit, ſocium eſſe uoluit, detulit, inuitauit, rogauit. non ſum ego propter nimiam fortaſſe conſtantiæ cupiditatem adductus ad cauſam: non poſtulabam ut ei chariſſimus eſſem, cuius ego beneficiis quidem ſentẽtiam meam tradidiſſem. Adducta res in certamen te Cõſule putabatur, utrum quæ ſuperiore anno ille geſſiſſet, manerent, an reſcinderentur. quid loquar plura? ſi tantum ille in me eſſe uno roboris & uirtutis putauit, ut ea, quæ ipſe geſſerat, concíderent, ſi ego reſtitiſſem: cur non ignoſcam, ſi antepoſuit ſuam ſalutem meæ?* [b] *Sed præterita omitto,* [c] *me ut Cn. Pompeius omnibus ſuis ſtudiis, laboribus, uitæ periculis complexus eſt, cùm municipia pro me adiret, Italiæ fidem imploraret, P. Lentulo Conſuli autori ſalutis meæ frequens aſſideret, Senatui ſententiam præſtaret, in concionibus non modò ſe defenſorẽ ſalutis meæ, ſed etiam ſupplicem pro me profiteretur? huius uoluntatis eum, quem multum poſſe intelligebat, mihi nõ inimicum eſſe cognorat, ſocium ſibi & adiutorem C. Cæſarem adiunxit.* [d] *Iam uides me tibi nõ inimicum, ſed hoſtem: illis, quos deſcribis, non modò non iratum, ſed etiam amicum eſſe debere. quorum alter, id quod meminero ſemper, æquè mihi fuit amicus ac ſibi: alter, id quod obliuiſcar aliquando ſibi amicior quàm mihi. Deinde hoc ita fit, ut uiri fortes, etiam ſi ferro inter ſe cõminus decertarint, tamen illud contentionis odiũ ſimul cũ ipſa pugna, armíſq; ponant. Atqui me ille odiſſe nunquam potuit, ut tum quidem cùm diſſidebamus. habet hoc uirtus, quam*

a Locus obiecturalis de ſua in Cæſarem uoluntate ad repellendam obiectionis inuidiam.

b Prudens eorũ reiectio, quorum commemoratio habere nonnihil offenſionis uidebatur.

c Signis probat Pompeii amicã in ſe uolũtatem.

d Epilogus, quẽ ornatiorem facit locis cõmunib⁹, quatenus ſuſcipiendæ ſint inimicitiæ.

ta ne de facie quidem noſti, ut uiros fortes ſpecies eius & pulchritudo etiam in hoſte poſita delectet. [a] *Equidem dicam ex animo P.C. quod ſentio, & quod uobis audiẽtibus ſæpe iam dixi. ſi mihi nunquam amicus C. Cæſar fuiſſet, ſed ſemper iratus: ſi aſpernaretur amicitiã meã, ſeſeq3 mihi implacabilẽ inexpiabilemq3 præberet: tamen ei, cùm tantas res geſſiſſet, gereretq3 quotidie, non amicus eſſe non poſſem: cuius ego imperio non Alpiũ uallum cõtra aſcenſum tranſgreſſionémque Gallorum, non Rheni foſſam gurgitibus illis redundantem, Germanorũ immanniſſimis gentibus obiicio & oppono. perfecit ille, ut ſi mõtes reſediſſent, amnes exaruiſſent, nõ naturæ præſidio, ſed uictoria ſua rebusq3 geſtis Italiam munitã haberemus. ſed cùm me expetat, diligat, omni laude dignum putet, tu me à tuis inimicitiis ad ſimultatem reuocabis? ſic tuis ſceleribus Reip. præterita facta* [b] *refricabis? quod quidem tu, qui bene noſſes coniunctionem meam & Cæſaris, eludebas, cùm à me trementibus omnino labris, ſed tamen, cur tibi nomen non deferrem, requirebas. quanquam, quod ad me attinet, Nunquam iſtam imminuam curam inficiando tibi: tamen eſt mihi conſiderandum, quantũ illi tantis Reip. negotiis, tantoq3 bello impedito ego homo amiciſſimus ſolicitudinis, atq3 oneris imponã.* [c] *nec deſpero tamen, quanquam languet iuuentus, nec perinde, atq3 debeat in laudis, & gloriæ cupiditate uerſatur, futuros aliquos, qui abiectum hoc cadauer, Conſularibus ſpoliis nudare non nolint, præſertim tam afflicto, tam infirmo, tam eneruato reo: qui te ita geſſeris, ut timeres, ne indignus beneficio uidereris, niſi eius, à quo miſſus eras, ſimilibus extitiſſes.* [d] *An uerò tu parum putas inueſtigatas eſſe à nobis labes imperij tui, ſtragéſque prouinciæ? quas quidem nos non ueſtigiis odorantes ingreſſus tuos, ſed*

a παρρησία dicendi libertas, qua fidẽ ſibi de ſua in Cæſarem uolũtate rebúſque illius geſtis dicturo cõciliat: etiam ſi ſub hac figura ſæpe lateat aſſentatio.

b Metaphoricõs.

c Metum affert Piſoni, cumque uehementi inſectatione exagitat.

d Amplificatio à formis uitiorum per συναθροισμὸν, ad augendã Piſonis inuidiam atque odium. Recẽſet autẽ primum inſignia crudelitatis exẽpla, cum grauicriminatione, plena conuitii ac uituperationis.

ſed totis uolutationibus corporis, & cubilibus perſecuti ſumus. Notata à nobis ſunt, & prima illa ſcelera in aduentu, cùm accepta pecunia à Dyrrhachinis ob necem hoſpitis tui Platoris, eius ipſius domũ euertiſti, cuius ſanguinem addixeras, eúmq; ſeruis ſymphoniacis, & aliis muneribus acceptis timentem, & multum dubitantem confirmaſti, & Theſſalonicã fide tua uenire inſſiſti. [a] *quẽ ne maiorum quidem more ſupplicio affeciſti, cùm miſer ille ſecuribus hoſpitis ſui ceruices ſubiicere geſtiret: ſed ei medico, quem tecum eduxeras, imperaſti, ut uenas hominis incideret. Tum quidem tibi etiam acceſſio fuit ad necem Platoris,* [b] *Pleuratus eius comes, quẽ necaſti uerberibus ſummæ ſenectute confectum. Idémque tu* [c] *Rabocentum Beſſicæ gentis principem, cùm tu trecentis talentis Regi Cotto uẽdidiſſes, ſecuri percuſſiſti: cùm ille ad te Legatus in caſtra uenisſet, & tibi magna preſidia, & auxilia à Beſſis peditum equitúmq; polliceretur. neque eum ſolùm, ſed etiam cæteros Legatos qui ſimul uenerãt: quorum omnium capita Regi Cotto uendidiſti. Denſeletis, quæ natio ſemper obediens huic imperio, etiã in illa omnium barbarorum defectione Macedonica C. Seſtiũ Prætorem tutata eſt, nefarium bellum, & crudele intuliſti: eíſq; cùm fideliſſimis ſociis uti poſſes, hoſtibus uti acerrimis maluiſti. Ita perpetuos defenſores Macedoniæ, uexatores ac perditores effeciſti.* [d] *uectigalia noſtra perturbarunt, urbes ceperunt, uaſtarunt agros, ſocios noſtros in ſeruitutem abduxerunt, familias arripuerunt, pecus abegerunt, Theſſalonicenſes, cùm oppido deſperaſſent, munire arcem coëgerunt. A te Iouis Velſuri fanum antiquiſſimum barbarorum, ſanctiſſimúmque direptum eſt. tua ſcelera dij immortales in noſtros milites expiauerunt:* [e] *qui cùm uno genere morbi affligerentur, neque*

a Amplificatio crudelis impietatis à modo quem τρόπον Græci vocant.

b πάθος commiſerationis ac indignitatis à ſenectute, cuius imbecillitas veneration em meretur.

c πάθος à fortuna.

d Explicat Reip. pericula, à Pisone inuecta.

e Epilogus cum enumeratione.

æque se recreare quisquã posset, qui semel incidisset: dubitabat nemo, quin uiolati hospites, Legati necati, pacati atq; socij nefario bello lacessiti, fana uexata, hanc tantã efficerent uastitatem.[a] Cognoscis ex particula parua scelerum, & crudelitatis tuæ genus uniuersum. Quid auaritiæ, quæ criminibus infinitis implicata est, summã nunc explicem? generatim ea, quæ maximè nota sunt, dicam. nónne sestertium centies, & octogies, quod, quasi uasarij nomine, in uenditione mei capitis ascripseras, ex ærario tibi attributum Romæ in quæstu reliquisti? nónne cùm CC. talenta tibi Apolloniatæ Romæ dedissent, ne pecunias creditas soluerunt, ultro Fusidium Equitem Rom. hominem ornatissimum, creditorem debitoribus suis addixisti? nónne hyberna cùm Legato, præfectóq; tradidisses, euertisti miseras funditus ciuitates? quæ non solùm bonis sunt exhaustæ, sed etiam nefarias libidinum contumelias, turpitudinésque subierunt? Qui modus tibi fuit frumenti æstimandi?[b] qui honorarij? si quidem potest ui & metu extortum honorarium nominari. quod cùm peræquè omnes, tum acerbissimè Bœotij, & Byzanty, Cherronenses, Thessalonica sensit. unus tu dominus, unus æstimator, unus uenditor, tota in prouincia per triennium frumenti omnis fuisti.[c] Quid ego rerum capitalium quæstiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbissimas damnationes, libidinosissimas liberationes proferam? tantum locum aliquem cùm mihi notum senseris, tecum ipse licebit quot in eo genere, & quanta sint crimina recordere. Quid? illam armorum officinam ecquid recordaris, cùm omni totius prouinciæ pecore compulso, pellium nomine, omnem quæstum illum domesticum paternúmq; renouasti? uideras enim grandis iam puer bello Italico repleri quæstu uestrã domũ, cùm

a Transitio ad auaritiã Pisonis.

b A definitione.

c συναθροισις amplificat Pisonis scelera, auaritiæ crudelitatis, libidinum.

pater

pater armis faciendis tuus præfuisset. quid? uectigalem prouinciam, singulis rebus, quæcunq; uenirent, certo portorio imposito, seruis tuis publicanis à te factam esse meministi? quid? Centuriatus palàm nẽditos? quid? per tuũ seruulum ordines assignatos? quid? stipendium militibus per omnes annos à ciuitatibus mensis palàm propositis esse numeratum? quid illa in Põtum profectio, & conatus tuus? quid debilitatio, atq; abiectio animi tui, Macedonia Prætoria nuntiata, cùm tu non solùm quòd tibi succederetur, sed quòd Gabinio non succederetur, exanguis & mortuus concidisti? quid Quæstor Aedilitius reiectus, præpositus Legatorum tuorum turpissimus, optimus abs te quisque uiolatus? Tribuni militũ non recepti? M. Bebius uir fortis interfectus iussu tuo? quid, quòd tu toties diffidens ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis, luctúque iacuisti? [a] quòd populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos sociósque misisti? quid, quòd cùm sustentare uix posses mœrorem tuum, dolorémque decessionis, Samothraciam te primùm, inde Tharsum cum tuis teneris saltatoribus, & cum Antobulo, Athamante, & Timocle formosis fratribus contuliſti? quid, quòd cùm inde te recipiens, in uilla Euchadia, quæ fuit uxor exegisti, iacuisti mœrens aliquot dies, atque inde obsoletus Thessalonicam omnibus inscientibus, noctúque ueniſti? qui cùm concursum plorantium ac tempestatem querelarum ferre non posses, in oppidum deuium Beroam perfugisti, quo in oppido cùm tibi spe falsa, quòd Q. Anchiarium non esse successurum putares, animos rumor inflasset, quo te modo ad tuam intemperantiam scelerate innouasti? [b] Mitto aurum coronarium, quod te diutissimè torsit, cùm modò uelles, modò nolles. lex enim generi tui & decerni, & te accipere uetabat, nisi decreto

a P. Clodium dicit, qui põtificis & sacerdotis domum ac templũ incestu polluit.

b Occupatione rhetorica multiplicia Pisonis scelera enumerat, ac priuata quædam illius facta plena improbitatis atque petulantiæ recenset.

decreto triumpho. in quo tu acceptatamen, & deuorata pecunia Vtinachorũ, centum talenta [a] *euomere nõ poteras, uocabula tãtum pecuniarum, & genera mutabas. Mitto diplomata tota in prouincia passim data: mitto numerum nauium, summámq3 prædæ: mitto rationem exacti imperatíq3 frumenti: mitto ereptam libertatem populis ac singulis, qui erant affecti præmiis nominatim: quorum nihil est, quod non sit lege Iulia, ne fieri liceat, sancitum diligenter.* [b] *Aetoliam, quæ procul à barbaris disiuncta gentibus in sinu pacis posita medio ferè Græciæ gremio continetur,* [c] *ô pœna, ô furia sociorum, decedens miseram perdidisti Arsinoën Thracum, Neopactum, ut modò tute indicasti, nobiles urbes, atque plenas, fateris ab hostibus esse captas.* [d] *quibus autem hostibus? nempe iis quos tu Ambraciæ sedens, primo tuo aduentu ex oppidis Agrinarũ, atq3 Dolepũ demigrare, & aras,* [e] *et focos relinquere coegisti. Hoc tu in exitu præclare Imperator, cùm tibi ad pristinas classes accessio fuisset Aetoliæ repentinus interitus, exercitum dimisisti: neq3 ullam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluisti subire, quàm numerum tuorũ militum reliquiásque cognoscere.* [f] *Atque ut duorum Epicureorum similitudinem in re militari imperióque uideatis: Albutius cùm in Sardinia triumphasset, Romæ damnatus est: hic cùm similem exitum spectaret, in Macedonia trophæa posuit: eáq3, quæ bellicæ laudis, uictoriæq3 omnes gentes insignia, & monimenta esse uoluerunt, noster hic præposterus Imperator amissorum oppidorum, cæsarum legionum prouinciæ præsidio & reliquis militibus orbatæ ad sempiternum dedecus sui generis, & nominis indicia constituit: idemq3, ut esset, quod in basi trophæorũ incîdi, inscribíq3 posset, Dyrrhachium ut uenit decedens, obsessus est ab iis*

ipsis

a Simili metaphoræ elegantia dixit, pro expensum ferre & referibere, rependere.

b Topographia Aetoliæ, Græciæ regionis, in tertio sinu Europæ

c Exclamatio in quam affectibus implicatus irrũpit augendæ inuidiæ causa.

d Subiectio Rhetorica.

e πάθος Indignitatis & miserioràix à fortuna.

f Amplificatio per comparationem Albutii & Pisonis qua deformem, ignobilem, abiectum, & infamem Pisonis reditũ describit. auget autẽ inuidiam antitheſi.

ipſis militibus, quos paulò antè Torquato reſpondit beneficij cauſa abſe eſſe dimiſſos. quibus cùm iuratus affirmaſſet, ſe, quæ deberentur, poſtero die perſoluturum, domum ſe abdidit: inde nocte intempeſta crepidatus ueſte ſeruili nauem conſcendit, Brunduſiúmq; uitauit, & ultimas Adriani maris oras petiuit: cùm interim Dyrrhachij milites domum, in qua iſtum eſſe arbitrabantur, obſidere cœperunt, & cùm latere hominem putarent, ignes circũdederũt. quo metu cõmoti Dyrrhachini, profugiſſe noctu crepidatum Imperatorẽ indicauerunt. illi autem ſtatuam iſtius perſimilẽ, quam ſtare celeberrimo in loco uoluerat, ne ſuauiſſimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt, diſſipant. ſic odium quod in ipſum attulerãt, id in eius imaginem ac ſimulacrum profuderunt. [a] Quæ cùm ita ſint, non dubito, quin cùm hæc, quæ excellunt, me noſſe uideas, non exiſtimes, mediam illam partem, & turbam flagitiorum tuorum mihi eſſe inauditã. nihil eſt, quòd me hortere, nihil eſt quod inuites: admoneri me ſatis eſt: admonebit autem nemo alius, [b] niſi Reipub. tempus: quod mihi quidem magis uidetur, quàm tu unquam arbitratus es, appropinquare. Ecquid uides, acquid ſentis, lege iudiciaria lata, quos poſthac iudices ſimus habituri? non æquè legetur quiſquis noluerit: nec quiſquis noluerit, non legetur. nulli coniicientur in illum ordinem, nulli eximentur: non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad ſimulationem, cõiicietur. [c] Iudices iudicabunt ij, quos lex ipſa, non quos hominum libido delegerit. Quod cùm ita ſit, mihi crede, nemi nem* inuitus inuitabis: res ipſa, & Reipublicæ tempus aut me ipſum, quod nolim, aut alium quempiã, aut inuitabit, aut dehortabitur. [d] Equidem, ut paulò antè dixi, non eadem ſupplicia eſſe in hominibus exiſtimo, quæ fortaſſe

a Epilogus generalis cum partiũ enumeratione & affectibus.

b Metum addit ab animaduerſione iudicum.

c Epexegeſis, & quædam prioris ſenſus interpretatio.

d Anacephaleoſis, qua per capita tanquam quæ in oratione ſparſa ſunt, repetit.

taſſe plerig3 damnationes, expulſiones, neces: denig3 nullam mihi pœnam uidetur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod ſapienti, quod bono uiro, & cui poteſt. Dãnatio iſta, quæ in te flagitatur, obtigit P. Rutilio: quod ſpecimen habuit hæc ciuitas innocentiæ. maior mihi iudicũ, & Reip. pœna illa uiſa eſt, quàm Rutily. L. Opimius eiectus eſt à patria, is, qui Prætor, & Conſul maximis Rẽp. periculis liberarat: [a] *non in eo, cui facta eſt iniuria, ſed in ijs, qui fecerunt, ſceleris ac conſcientiæ pœna remanſit.* [b] *At contrà bis Catilina abſolutus: emiſſus etiam illę autor tuus prouinciæ, cùm ſtuprũ Bonæ deæ puluinaribus intuliſſet. quis fuit in tanta ciuitate: qui illum inceſto liberatũ, non eos, qui ita iudicarunt, pari ſcelere aſtrictos arbitraretur? An ego expectem, dum de te quing3 & ſeptuaginta tabellæ diripiãtur, de quo iampridem omnes mortales omnium generum, ætatũ, ordinum iudicauerunt? quis enim te aditu, quis ullo honore, quis denig3 communi ſalutatione dignũ putet?* [c] *omnes memoriam Conſulatus tui, facta, mores faciẽ denig3 ac nomen à Rep. deteſtantur. Legati, qui unà fuere, alienati: Tribuni militum inimici: Centuriones, & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati te oderunt, tibi peſtem exoptant, te execrantur: Achaia exhauſta, Theſſalia uexata, laceratæ Athenæ, Dyrrhachiũ & Apollonia exinanita, Ambracia direpta, Parthini & Bullienſes illuſi, Epirus exciſa: Locri, Phocy, Bœotij exuſti: Acarnania, Amphilochia, Perrhebia, Athamanũq3 gẽs nẽdita: Macedonia cẽdonata barbaris, Aetolia amiſſa, Dolopes finitimiq3 mõtani oppidis, atq3 agris exterminati, ciues Romani, qui in ijs locis negotiãtur, te unũ, ſolũ ſuũ depeculatorẽ, uexatorem, prædonẽ, hoſtẽ, ueniſſe ſenſerũt.* [d] *Ad horũ omnium iudi-*

a Aetiologia priori ſenſu ſubiecta.

b A contrariis exemplis Catilinæ, & Publii Clodii.

c Amplificatio per diſtributionem, ad explicandas publicas omniũ offẽſiones.

d Enumeratio priuatarum ſordium, quibus implicatus Piſo, in omnẽ animi depraua tionem ac turpitudinem ſe abiecit.

cia tot, atq; tanta domesticum iudiciũ accessit sententia damnationis tuæ: occultus aduentus, furtiuum iter per Italiam, introitus in urbem desertus ab amicis, nullæ ad Senatum è prouincia literæ, nulla trinis æstiuis gratulatio, nulla triumphi mentio: non modò quid gesseris, sed ne quibus in locis quidem fueris, dicere audes. Ex illo fonte & seminario triumphorum cùm arida folia laureæ retulisses, cùm ea abiecta ad portam reliquisti, tum tu ipse de te sentẽtiam tulisse uideris, tum iudicium pronuntiauisti. [a] *qui si nihil gesserat digniũ honore, ubi exercitus? ubi sumptus? ubi Imperiũ? ubi illa uberrima supplicationibus triumphisq; prouincia? sin autem aliquid sperare uolueras, si cogitaras id, quod Imperatoris nomẽ, quod laureati fasces, quod illa trophæa plena dedecoris, & risus te commentatum esse declarãt, quis te miserior, quis te damnatior, qui neq; scribere ad Senatũ à te bene Rempublicam esse gestam, neq; præsens dicere ausus es? [b] An tu mihi, cui semper ita persuasum fuerit: nõ euẽtis, sed factis cuiusque fortunam ponderari, dicere audes, neque in tabellis paucorum iudicum, sed in sententiis omnium ciuium famam nostram fortunámque pendêre? te indemnatum uideri putas, quem socij, quem fœderati, quem liberi populi, quem stipendiarij, quem negotiatores, quem publicani, quem uniuersa ciuitas, quem Legati, quem Tribuni militares, quem reliqui milites, qui ferrum, qui famem, qui mortem effugerunt, omni cruciatu dignissimum putant? cui non apud Senatum, non apud illum ordinem, non apud Equites Romanos, non in urbe, non in Italia maximorum scelerum uenia ulla ad ignoscendum dari possit: qui se ipsum oderit, qui metuat omneis, qui suam causam nemini cõmittere audeat, qui se ipsum condemnet. Nunquam ego sanguinem*

a Dilẽmate vrget Pisonis humilitatem.

b Conuellit Pisonis excusationem. Est autem hic locus cõmunis quem Cicero refert in oratione pro C. Rabirio Posthumo habita, statim in ipso orationis exordio.

nem expetiui tuum: nunquam illud extremum, quod posset esse improbis, & probis[a] *commune supplicium, legis ac iudicij,*[b] *sed abiectum, contemptum, despectum à cæteris, à te ipso desperatum, & relictum, circunspectantem omnia, quicquid increpuisset pertimescentem, diffidentem tuis rebus, sine uoce, sine libertate, sine autoritate, sine ulla specie Consulari, horrẽtem, trementem, adulantem omnibus uidere te uolui: uidi. Quare si tibi euenerit, quod metuis ne accidat, equidẽ non molestè feram: sin id tardius fortè fiet, fruár tamen tua indignitate: nec minus libenter metuentem uidebo ne reus fias, quàm reum: nec minus lætabor, cùm te semper sordidum, quàm si paulisper sordidatum uiderem.*

a Locum hunc exemplis antea confirmauit.

b Hæc sunt conscientiæ malæ ac læsæ supplicia siue tormenta.

PRO T. ANNIO MILONE.

ORATIO XXXIX.

Etsi[c] *uereor Iudices, ne turpe sit, pro fortissimo uiro dicere incipientẽ, timere, minimeq; deceat, cũ T. Annius Milo ipse magis de Reip. salute, quã de sua perturbetur, me ad eius causam parẽ animi magnitudinẽ afferre nõ posse: tamẽ hæc noui iudicij noua forma terret oculos: qui quocunq; inciderint, ueterem cõsuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum minimè uident. non enim corona consessus uester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus. nam illa præsidia, quæ pro tẽplis omnibus cernitis, etsi contra uim collocata sunt, non afferunt tamẽ oratori aliquid, ut in foro, & in iudicio, quanquam præsidiis salutaribus, & necessariis*

c Orditur à querela propter præsidia in foro disposita, quorum metum amouet à iudicibus, ne contra Milonem videantur esse collocata. Primo igitur excusat metũ. Deinde arma nõ contra Milonem, sed pro Milone dicet esse disposita ad reprimendũ aduersarium. Ergo & conciliat sibi iudices liberando eos metu, & aduersarios in odium adducit.

cessarijs septi sumus, tamẽ ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. [a] quæ si opposita Miloni putarem, cederem tempori Iudices, nec inter tantã uim armorum existimarẽ oratori locum esse. sed me recreat & reficit Cn. Pompeij sapientissimi & iustissimi uiri consilium: qui profectò nec iustitiæ suæ putaret esse, quem reum sententijs iudicum tradidisset, eundem telis militũ dedere: nec sapientiæ, temeritatem concitatæ multitudinis autoritate publica armare. [b] Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed præsidium denuntiant: neq; solùm, ut quieto, sed etiam ut magno animo simus, hortantur: neq; auxilium modò defensioni meæ, uerùm etiam silentium pollicentur. Reliqua uerò multitudo, quæ quidem est ciuium, tota nostra est: neque eorum quisquam, quos undique intuẽtes ex hoc ipso loco cernitis, unde aliqua pars fori aspici potest, & huius exitum iudicij expectantes, non cùm uirtuti Milonis fauet, tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat. [c] Vnũ genus est aduersum infestúmq; nobis, eorum, quos P. Clodij furor rapinis & incendijs, & omnibus exitijs publicis pauit: qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut uobis uoce præirent, quid iudicaretis. quorum clamor si quis fortè fuerit, admonere uos debebit, ut eum ciuem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoréq; maximos pro uestra salute neglexit. [d] Quamobrẽ adeste animis Iudices, & timorẽ, si quem habetis, deponite. Nam si unquam de bonis & fortibus uiris, si unquã de benemeritis ciuibus potestas uobis iudicandi fuit: si denique unquam locus amplissimorum ordinum delectis uiris datus est, ubi sua studia erga fortes & bonos ciues, quæ uultu & uerbis sæpe significoassent, re & sententijs declararent: hoc profectò tẽpore eam potestatem

a Negat contra Milonem esse dispositã, & credibile facit à sapiẽtia & iustitia Põpeii.

b Concludit armatos pro Milone esse dispositos & insuper addit studiũ Pop. Rom.

c Separat aduersarios quos contemnit & in odiũ adducit.

d Repetit cõclusionem & explanat.

teſtatem omnem uos habetis, [a] ut ſtatuatis, utrũ nos, qui ſemper ueſtræ autoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus, an diu uexati à perditiſſimis ciuibus, aliquando per uos, ac ueſtram fidem, uirtutem, ſapientiámq; recreemur. Quid enim nobis duobus iudices laborioſius? quid magis ſolicitum, magis exercitũ, dici aut fingi poteſt? qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad Remp. adducti, metu crudeliſſimorum exitiorum carere non poſſumus. [b] Et quidem cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas, quòd ſemper pro bonis cõtra improbos ſenſerat: in iudicio uerò, & in eo conſilio, in quo ex cũctis ordinibus ampliſſimi uiri iudicarent, nunquam exiſtimaui ſpem ullã eſſe habituros Milonis inimicos, ad eius non ſalutem modo extinguendam, ſed etiam gloriã per tales uiros infringendam. [c] Quãquam in hac cauſa Iudices, T. Annij Tribunatu, rebus omnibus pro ſalute Reip. geſtis, ad huius criminis defenſionem non abutemur, niſi oculis uideritis inſidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in Remp. merita condonetis: nec poſtulari, ut ſi mors P. Clodij ſalus ueſtra fuerit, idcirco eam uirtuti Milonis potius, quàm populi Rom. felicitati aſſignetis. Sed ſi illius inſidiæ clariores hac luce fuerint, tum deniq; obſecrabo, obteſtabórq; uos Iudices, ſi cætera amiſimus, hoc ſaltem nobis ut relinquatur, ab inimicorũ audacia, teliſque uitam ut impunè liceat defendere. [d] Sed antequam ad eam orationem uenio, quæ eſt propria noſtræ quæſtionis, uidentur ea eſſe refutanda, quæ in Senatu ſæpe ab inimicis, ab improbis ſæpe iactata ſunt, & in concione etiam paulò antè ab accuſatoribus: ut omni errore ſublato, rem planè, quæ uenit in iudicium, uidere poſſitis,

a Adiungit fortunam ſuam & Milonis, ad commiſerationẽ, quæ & ipſa ad beneuolentiam valet.

b Oſtendit fiduciam Milonis in cauſa iudicantibus uiris bonis.

c Confirmando fiduciã proponit ſummã defenſionis, quam firmã pollicetur, & interim capita eius digerit. Locus cũ ad conciliandos animos, tum ad docilitatẽ facit.

d Accedit ad refutanda obiecta aduerſariorũ de lege Cornelia & de præiudiciis in Milonem factis. In quo eadẽ opera & euertit accuſationem illorum & firmamẽtum defenſionis ſuæ conſtituit, Vi repellere licere. probat enĩ primo hominem indemnatum aliquãdo iure interfici poſſe contra legẽ Corneliam, ſed permitente lege, maximè autem inſidiatorẽ, quod multis modis cõfirmat, exẽplis, more, lege, natura. Deinde præiudicia remouet.

possitis. Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominẽ occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum iudiciũ de capite uidit M. Horatij fortissimi uiri: qui nondum libera ciuitate, tamẽ populi Rom. comitiis liberatus est, cùm sua manu sororem interfectam esse fateretur. An est quisquam qui hoc ignoret, cũ de homine occiso quæratur, aut negari solere omnino esse factum, aut rectè, ac iure factum esse defendi? Nisi uerò existimetis dementẽ P. Africanum fuisse, qui cùm à C. Carbone Trib. pleb. in concione seditiosè interrogaretur, quid de Tib. Gracchi morte sentiret, respõdit, iure cæsum uideri. Neq; enim posset aut Hala ille Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me Consule Senatus nõ nefarius haberi, si sceleratos ciues interfici nefas esset. Itaq; hoc Iud. non sine causa fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eũ, qui patris ulciscẽdi causa matrem necauisset, uariatis hominum sententiis, non solùm humana, sed etiam deæ sapientissimæ sententia liberatũ. Quòd si duodecim tabulæ nocturnũ furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impunè uoluerunt: quis est, qui quoquo modo quis interfectus sit, puniẽdum putet, cùm uideat aliquándo gladiũ nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus? Atqui si tempus est ullũ iure hominis necandi, quæ multa sunt, certè illud est non modò iustum, uerùm etiã necessarium, cùm ui uis illata defenditur. Pudicitiam cùm eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marij propinquus eius Imperatoris, interfectus ab eo est, cui uim afferebat. facere enim prob' adolescẽs periculosè, quàm perpeti turpiter maluit. atq; hũc ille uir summus scelere solutum periculo liberauit. Insidiatori uerò & latroni, quæ

poteſt afferri iniuſta nex? Quid comitatus noſtri? quid gladij uolunt? quos habere certè non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret. [a] Eſt enim hæc Iudices non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, uerùm ex natura ipſa arripimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: ut ſi uita noſtra in aliquas inſidias, ſi in uim, in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari iubent, cùm ei, qui expectare uelit, antè iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda. [b] Etſi perſapienter & quodammodo tacitè dat ipſa lex poteſtatem defendendi: quæ non modò hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſa uetat: ut cùm cauſa, non telum quæreretur, qui ſui defendendi cauſa telo eſſet uſus, non hominis occidendi cauſa habuiſſe telum iudicaretur. [c] Quapropter hoc maneat in cauſa Iudices: nõ enim dubito, quin probaturus ſim uobis defenſionem meam, ſi id memineritis, quod obliuiſci non poteſtis, inſidiatorem iure interfici poſſe. [d] Sequitur illud, quod à Milonis inimicis ſæpiſſimè dicitur, Eadem qua P. Clodius occiſus eſt, Senatũ iudicaſſe contra Remp. eſſe factam. illam uerò Senatus non ſententijs ſuis ſolùm, ſed etiã ſtudijs comprobauit. [e] Quoties enim eſt illa cauſa à nobis acta in Senatu? quibus aſſenſionibus uniuerſi ordinis, quàm nec tacitis, nec occultis? Quando enim frequentiſſimo Senatu quatuor, ad ſummum quinq; ſunt inuenti, qui Milonis cauſam non probarent? declarant huius ambuſti Tribuni plebis illæ intermortuæ cõciones, quibus quotidie meam potentiam inuidiosè criminabatur, cùm diceret Senatum non quod ſentiret, ſed quod ego uellem, decernere. [f] Quæ quidem ſi potentia eſt appellanda potius

a Aetiologia.

b Ab interpretatione legis.

c Concluſio generalis.

d Trãſit ad ſenatuſconſultum, qđ auertit interpretatione, & docet Senatum inuitũ decreuiſſe.

e Teſtimonium voluntatis ſenatus.

f Interponit defenſiunculã per conceſſionem ex cauſæ fiducia.

tius, quàm propter magna in Rẽp. merita mediocris in bonis causis autoritas, aut propter officiosos labores meos nõnulla apud bonos gratia, appelletur ita sanè, dũmodò ea nos utamur pro salute bonorum contra amẽtiam perditorum.[a] Hanc uerò quæstionẽ, etsi non est iniqua, nunquam tamen Senatus constituendam putauit. erãt enim leges, erant quæstiones uel de cæde: uel de ui: nec tantum mœrorem ac luctum Senatui mors P. Clodij afferebat, ut noua quæstio constitueretur. Cuius enim Senatui de illo incesto stupro[b] iudicium decernendi potestas esset erepta, de eius interitu quis potest credere Senatũ iudicium nouum constituendum putasse? Cur igitur incẽdium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædẽ hãc ipsam, contra Remp. Senatus factam esse decreuit? quia nulla uis unquã est in libera ciuitate suscepta inter ciues non contra Rempub. Non enim est ulla defensio contra uim unquam optanda, sed nonnunquam est necessaria. nisi uerò aut ille dies, in quo Tib. Gracchus est cæsus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiam si è Republica, Remp. tamen non uulnerarunt.[c] Itaque ego ipse decreui, cùm cædem in Appia factam esse constaret, non eum, qui se defendisset, contra Rempublicam fecisse: sed cùm inesset in re uis, & insidiæ, crimen iudicio reseruaui, rem notaui.[d] Quòd si per furiosum illum Tribunum Senatui, quod sentiebat, perficere licuisset, nouam quæstionẽ nunc nullam haberemus. decernebat enim, ut ueteribus legibus tantummodò extra ordinem quæreretur. diuisa sentẽtia est postulãte nescio quo: (nihil enim necesse est omniũ flagitia proferre) sic reliqua autoritas Senatus empta intercessione sublata est. At enim Cn. Põpeius rogatione sua & de re, & de causa iudicauit. tulit enim de cæde, quæ in Appia uia facta esset, in qua

a Epiphonema, quod cõfirmatur à supernacuo & Clodii persona.

b Id factum fuit vbi Clodius polluerat ceremonias bonæ deæ.

c A sua sentẽtia.

d Redit ad voluntatem senatus & docet per intercessionẽ Tribunorum autoritatem eius sublatã fuisse.

qua P. Clodius occisus fuit. [a] quid ergo tulit? nempe ut quæreretur, quid porrò quærendum est? factúmne sit? at constat. à quo? at patet. uidit etiã in cõfessione facti, iuris tamen defensionem suscipi posse. quod nisi uidisset, posse absolui eum qui fateretur: cùm uideret nos fateri, neque quæri unquam iussisset, nec uobis tam salutarem hanc in iudicando literam, quàm illam tristem dedisset. [b] Mihi uerò Cn. Põpeius non modò nihil grauius contra Milonem iudicasse, sed etiã statuisse uidetur, quid uos in iudicando spectare oporteret. [c] Nam qui non pœnã cõfessioni, sed defensionẽ dedit, is causam interitus quærẽdam, non interitum putauit. [d] Iã illud dicet ipse profectò, quod sua sponte fecit, P. ne Clodio tribuendũ putet, an tempori? Domi suæ nobilissimus uir, Senatus propugnator, atq; illis quidem tẽporibus penè patronus, auunculus huius nostri iudicis fortissimi uiri Cato. Trib. pleb. M. Drusus occisus est. nihil de eius morte populus consultus, nulla quæstio decreta à Senatu est. Quantũ luctum in hac urbe fuisse à nostris patribus accepimus, cùm P. Africano domi suæ quiescenti illa nocturna uis esset illata? [e] quis tum non gemuit? quis non arsit dolorẽ? quẽ immortalem si fieri posset, omnes esse cuperent, eiúsne necessariã quidem expectatã esse mortem? num igitur ulla quæstio de Africani morte latæ est? certè nulla. quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur. interest inter uitæ dignitatẽ summorum atq; infimorũ: mors quidẽ illata per scelus eisdem pœnis teneatur, & legibus. nisi fortè magis erit parricida, si quis Cõsularẽ patrem, quàm si quis humilẽ necauerit: aut eò mors atrocior erit P. Clodij, qp is in monumẽtis maiorũ suorum sit interfectus. hoc enim sæpe ab istis dicitur: [f] perinde quasi Appius ille Cæcus uiam munierit, nõ qua populus uteretur,

a Interpretatur rogationem Põpeii ex ipsis verbis & argumentis voluntatis tũ ex lege ipsa, tum ex Clodii persona colligit.

b Voluntas Põpeii à signo & ex connexis.

c Ex consequentibus.

d Occupatio.

e Amplificatio ab Africani persona.

f Inducit obiectionẽ & irridet.

a Ironia.
b De Papirio, lege Ascon.

Sed ubi [a] *impunè sui posteri latrocinarentur. Itaq; in eadem ista Appia uia cùm ornatissimũ Equitem Ro. M.* [b] *Papiriũ occidisset, non fuit illud facinus puniendum. homo enim nobilis in suis monimentis Equitẽ Ro. occiderat. Nunc eiusdem Appiæ nomẽ quantas tragœdias excitat? quæ cruentata anteà cæde honesti, atq; innocẽtis uiri silebatur, eadẽ nunc crebrò usurpatur, posteà quàm latronis & parricidæ sanguine imbuta est.* [c] *Sed quid ego illa cõmemoro? comprehensus est in templo Castoris seruus P. Clodij, quẽ ille ad Cn. Põpeium interficiendũ collocarat. extorta est confitenti sica de manibus. caruit foro posteà Pompeius, caruit Senatu, caruit publico: ianua se ac parietibus, non iure legũ, iudiciorũ mq; texit.* [d] *num quæ rogatio lata? num quæ noua quæstio decreta est? atqui si res, si uir, si tẽpus ullum dignũ fuit, certè hæc in illa causa summa omnia fuerũt. insidiator erat in foro collocatus, atq; in uestibulo ipso Senatus: ei uiro autẽ mors parabatur, cuius in uita nitebatur salus ciuitatis: eo porrò Reip. tẽpore, quo si unus ille occidisset, non hæc solùm ciuitas, sed gentes omnes cõcidissent.* [e] *nisi fortè, quia perfecta res nõ est, non fuit puniẽda. perinde quasi exitus rerum, non hominũ consilia legibus uindicentur. minus dolendum fuit re non perfecta, sed puniendum certè nihilo minus.* [f] *Quoties ipse Iud. ex P. Clodij telis, & ex cruentis eius manibus effugi? ex quibus si me non mea, uel Reip. fortuna seruasset, quis tandem de interitu meo quæstionẽ tul sset?* [g] *Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanũ, Pompeiũ, nosmetipsos, cum P. Clodio cõferre audeamus. tolerabilia fuerũt illa: P. Clodij mortẽ æquo animo nemo ferre potest: luget Senatus: mœret Equester ordo: tota ciuitas confecta senio est: squalẽt municipia: afflictãtur coloniæ: agri denique ipsi tam beneficum, tam*

c Aliud exẽplum cũ amplificatione.
d Congeries.
e Irrisio.
f A sui exẽplo.
g Ironica correctio.

salut

ſalutarem, tam manſuetum ciuẽ deſiderant. [a] *Non fuit ea cauſa Iud. non fuit, cur ſibi cenſeret Põpeius quæſtionem ferendã: ſed homo ſapiens, & alta quadam mente præditus, multa uidit, fuiſſe ſibi illum inimicũ, familiarẽ Milonem: in communi omnium lætitia ſi etiã ipſe gauderet, timuit ne uideretur infirmior fides recõciliatæ gratiæ. multa etiam alia uidit, ſed illud maximè: quanuis atrociter ipſe tuliſſet, uos tamẽ fortiter iudicaturos. Itaq; delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina, neq; uerò quod nonnulli dictitant, ſecreuit in iudicibus legendis amicos meos, neq; enim hoc cogitauit uir iuſtiſſimus, neq; in bonis uiris legendis id aſſequi potuiſſet, etiam ſi cupiiſſet. non enim mea gratia familiaritatibus cõtinetur, quæ latè patere non poſſunt, propterea quòd cõſuetudines uictus non poſſunt eſſe cũ multis. ſed ſi quid poſſumus, ex eo poſſumus, quòd Reſp. nos coniunxit cũ multis. ex quibus ille cùm optimos uiros legeret, idq; maximè ad fidem ſuam pertinere arbitraretur, non potuit legere non ſtudioſos mei.* [b] *Quòd uerò te Cn. Domiti huic quæſtioni præeſſe maximè uoluit, nihil quæſiuit aliud, niſi iuſtitiã, grauitatem, humanitatem, fidem. tulit ut Conſularem neceſſe eſſet: credo quòd principum munus eſſe ducebat, reſiſtere & leuitati multitudinis, & perditorum temeritati. ex Conſularibus te creauit potiſſimùm. dederas enim, quàm contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima.* [c] *Quam ob rem Iudices, ut aliquando ad cauſam crimẽq; ueniamus: ſi neque omnis confeſſio facti eſt inuſitata: neq; de cauſa quicquã noſtra aliter, ac nos uellemus, à Senatu iudicatum eſt: & lator ipſe legis, cùm eſſet cõtrouerſia nulla facti, iuris tamen diſceptationem eſſe uoluit: & electi iudices, & iſti præpoſitus quæſtioni, qui hæc iuſtè ſapienterq; diſceptet: reli*

a Redit ad crimen Põpeii quod à tempore confirmat.

b Infert laudem quæſitoris ad beneuolentiam.

c Concluſio generalis.

reliquum est Iud. ut nihil iã aliud quærere debeatis, nisi uter utri insidias fecerit: quod quò facilius argumentis perspicere possitis, rem gestam uobis dum breuiter expono, quæso, diligenter attendite. [a] *P. Clodius cùm statuisset omni scelere in prætura uexare Rempub. uideréque ita tracta esse comitia anno superiore, ut non multos menses Præturam gerere posset: qui nõ honoris gradum spectaret, ut cæteri, sed & L. Paulum Collegã effugere uellet singulari uirtute ciuem,* [b] *& annum integrum ad dilacerãdam Remp. quæreret: subitò reliquit annũ suum, séq; in annum proximum transtulit, non religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad Præturam gerendam, hoc est, ad euertendam Remp. plenum annum atq; integrum. occurrebat, mancam ac debilem Præturã suam futuram Consule Milone: eum porrò summo consensu Po. Ro. Consulem fieri uidebat: contulit se ad eius competitores, sedita, totam ut petitionem ipse solus etiam inuitis illis gubernaret, tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. cõuocabat tribus: se interponebat: coloniam nouam, delectum perditissimorum scribebat ciuium. quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies conualescebat. ubi uidit homo ad omne facinus paratissimus fortissimum uirum, inimicissimum suum, certissimum Consulem, idq; intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis Pop. Rom. sæpe esse declaratum:* [c] *palàm agere cœpit & apertè dicere, occidendum Milonem. seruos agrestes & barbaros, quibus syluas publicas depopulatus erat, Hetruriámq; uexarat, ex Apẽnino deduxerat, quos uidebatis. res erat minimè obscura. etenim palàm dictitabat, Consulatũ Milonieripi nõ posse, uitam posse. significauit hoc sæpe in Senatu, dixit in concione. quin etiam Fauonio fortissimo uiro quærenti*

a Narratio causæ.

b Obtẽdit studiũ Clodii ad integrũ annum obtinẽdum: item conatus ad impediendum consulatum Milõnis.

c Dicta & facta Clodii ad insidias spectantia.

ex eo,

ex eo, qua ſpe fureret Milone uiuo, reſpõdit, triduo illũ, ad ſummum quatriduo periturum. quam uocem eius ad hunc M. Catonem ſtatim Fauonius detulit.[a] Interim cùm ſciret Clodius (neq; enim erat difficile ſcire) iter ſolenne, legitimum, neceſſarium, ante diem XIII. Calen. Februarij Miloni eſſe Lanuuium ad Flaminem prodendum, quòd erat dictator Lanuuij Milo: Roma ſubitò ipſe profectus pridie eſt, ut ante ſuum fundum (quod re intellectũ eſt) Miloni inſidias collocaret. atq; ita profectus eſt, ut concionem turbulentam, in qua eius furor deſideratus eſt, quæ illo ipſo die habita eſt, relinqueret: quam, niſi obire facinoris locum tempúſq; uoluiſſet, nunquam reliquiſſet. Milo autem cùm in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus dimiſſus eſt, domum uenit: [b]calceos & ueſtimenta mutauit: pauliſper dum ſe uxor (ut fit) comparat, commoratus eſt: deinde profectus eſt id temporis, cùm iam Clodius, ſiquidem eo die Romam uenturus erat, redire potuiſſet. [c] obuiam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut ſolebat, ſine uxore, quod nunquam ferè: [d]cùm hic inſidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparaſſet, cum uxore ueheretur in rheda penulatus, uulgi magno impedimento, ac muliebri & delicato ancillarum puerorúmque comitatu. [e] fit obuiam Clodio ante fundum eius hora ferè undecima, aut non multo ſecus. ſtatim complures [f] cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum: aduerſi rhedarium occidunt. cùm autẽ hic de rheda reiecta penula deſiluiſſet, séq; acri animo defenderet: illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis partim recurrere ad rhedam, ut à tergo Milonẽ adorirentur: partim quòd hunc iam interfectũ putarẽt, cædere incipiunt eius ſeruos, qui pòſt erãt, ex quibus qui animo fide

a Suſpicionem à præſcientia & tẽpore profectionis Clodianæ.

b Extenuatio apparatus, & tẽpus itineris Milonis.

c Habitus itineris & comitatus Clodii.

d Iter & comitatus Milonis.

e Locus inſidiarũ & tempus.

f ὑποτύπωσις cõmiſſæ pugnæ.

mo fideli in dominum erant, & præsentes fuerunt, partim occisi sunt, partim,[a] *cùm ad rhedã pugnari uiderent, & domino succurrere prohiberẽtur, Milonémq; occisum etiam ex ipso Clodio audirent, & ita esse putarent, fecerunt id serui Milonis (dicam enim non deriuandi criminis causa, sed ut factum est) neq; imperante, neq; sciente, neque præsente domino, quod suos quisque seruos in tali re facere uoluisset.*[b] *Hæc sicut exposui, ita gesta sunt Iudices: insidiator superatus, ui uicta uis, uel potius oppressa uirtute audacia est. Nihil dico quid Respu. consecuta sit, nihil quid uos, nihil quid omnes boni: nihil sanè id prosit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem seruare potuerit, quin unà Rempub. ũósque seruaret.*[c] *si id iure non posset, nihil habeo quod defendam. sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper uim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à uita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnibus qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut uestris sententiis esse pereundum.*[d] *quod si ita putasset, certè optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio non semel ab illo, neque tum primum petitum, quàm iugulari à nobis, quia se illi non iugulandum tradidisset. sin hoc nemo uestrum ita sentit: illud iam in iudicium uenit, non occisũ sne sit, quod fatemur: sed iure, an iniuria: quod multis antea in causis iam quæsitum est.*[e] *Insidias factas esse constat: & id est, quod Senatus contra Remp. factum iudicauit: ab utro factæ sint, incertum est: de hoc igitur latũ est ut quæreretur. Ita & Senatus rem, non hominem notauit, & Pompeius de iure, non de facto quæstionem tulit. Num quid igitur aliud in iudiciũ uenit, nisi uter utri insidias fecerit*

a Vide quomodo præmolliat id quod cõfessurus est.

b Summa collectio narrationis argumentis & affectibus inflammata.

c Renouat argumenta & ea refutat.

d Propositio per diuisionem.

e Repetit præiudicia, & ui corũ ad diuisionẽ accommodat.

pro se

profectò nihil. [a] si hic illi, ut ne sit impunè: si ille huic, tum nos scelere soluamur. Quónam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, [b] magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, Cui bono fuerit, in his personis ualeat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudẽ, improbi sæpe paruo. Atquì Milone interfecto Clodius hoc assequebatur, non modò ut Prætor esset non eo Consule, quo sceleris nihil facere posset: sed etiam ut his Consulibus Prætor esset, quibus si non adiuuãtibus, at conniuentibus certè speraſſet se posse Remp. eludere in illis suis cogitatis furoribus. cuius illi conatus, ut ille ratiocinabatur, nec si cuperẽt, reprimere possent, cùm tantum beneficium ei se debere arbitrarentur: & si uellent, fortasse uix possent frãgere hominis sceleratissimi corroboratam iam uetustate audaciam. [c] An uerò Iud.uos soli ignoratis, uos hospites in hac urbe uersamini, uestræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis sermone uersantur, quas ille leges (si leges nominandæ sunt, ac non faces urbis & pestes Reip.) fuerit impositurus nobis omnibus atq; inusturus? Exhibe quæso Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum uestrarum, quod te aiunt eripuisse è domo, & ex mediis armis, turbáq; nocturna, tanquam Palladium sustulisse, ut præclarũ inde munus, ac instrumentũ Tribunatus ad aliquẽ, si nactus esses, qui tuo arbitrio Tribunatũ gereret, deferre posses. [d] Et aspexit me quidẽ illis oculis, qbus tũ solebat, cũ omnia omnibus minabatur. mouet me quippe lumẽ curiæ. quid? tu me iratũ Sexte putas tibi, cuius tu inimicissimũ multò crudelius etiã puniuisti, quã erat humanitatis meæ postulare? [e] Tu P. Clody cruẽtũ cadauer eiecisti

a Confirmatio coniecturalis.

b Argumentũ à spe cõmodorum.

c Exaggerat leges Clodianas cõfirmandæ uolũtatis causa.

d Digressiuncula.

e Redit ad argumentationẽ quã in unum conductam concludit. Vsus enim est collectione rhetorica cuius quinq; partes fecit.

eieciſti domo: tu in publicum eieciſti: tu ſpoliatum imagi-nibus, exequiis, pompa, laudatione, infelicibus lignis ſemiuſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliqui-ſti. quam rem etſi neceſſariò feciſti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompſiſti tuã laudare non poſſum, iraſci certè non debeo. P. Clodij præturam non ſi-ne maximo rerum nouarum motu proponi ſolitam eſſe uidebatis, niſi eſſet is Conſul, qui eam auderet, poſſétque confringere. eum Milonem eſſe cùm ſentiret uniuerſus Popu. Rom. quis dubitaret ſuffragio ſuo ſe metu, periculo Remp. liberare?[a] *At non P. Clodio mortuo inſitatis iam rebus obnitendum eſt Miloni, ut tueatur dignitatem ſuã. ſingularis illa huic uni conceſſa gloria, quæ quotidie au-gebatur frangendis furoribus Clodianis, iam morte Clo-dij cecidit. uos adepti eſtis, ne quem ciuẽ metueretis: hic exercitationem uirtutis, ſuffragationem Conſulatus, fon-tem perennem gloriæ ſuæ perdidit. Itaque Milonis Con-ſulatus, qui uiuo Clodio labefactari non poterat, mortuo denique tentari cœptus eſt. Non modò igitur nihil pro-deſt, ſed obeſt etiam P. Clodij mors Miloni.*[b] *At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor iniuriæ, pu-nitor doloris ſui. quid, ſi hæc non dico maiora fuerunt in Clodio, quàm in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc? quid uultis amplius?*[c] *quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ? præter hoc ci-uile odium, quo omnes improbos odimus? ille erat ut odiſſet primum defenſorem ſalutis meæ, deinde uexa-torem furoris, domitorem armorum ſuorum, poſtremò etiam accuſatorem ſuum. reus enim Milonis lege Plo-tia fuit Clodius, quoad uixit. quo tandem animo hoc tyrannum tuliſſe creditis? quantum odium illius, & in homine iniuſto quàm etiã iuſtum eſſe?*[d] *Reliquum eſt ut*

a Occurrit & ſpem commodi remouet à Milo-ne. Fingit autem verba aduerſarii, quibus reſpõdet.

b Inducit & argu menta impulſio-nis, quæ hic inde comparat.

c Callidè contemnit quod diſſol ui non poteſt. Ἀποδιοπομπεῖν vocant.

d A peccandi cõ-ſuetudine quam demonſtrat in Clodio.

iam

iam illum natura ipsius, consuetudóq; defendat, huic autem hæc eadem coarguant. nihil per uim unquam Clodius, omnia per uim Milo. Quid ergo Iudices? cũ mœrentibus uobis urbe cessi, non seruos, non arma, non uim intentauit? quæ fuisset igitur causa restituendi mei, nisi fuisset iniusta eiiciendi?[a] *Diem mihi, credo, dixerat, mulctam irrogarat, actionem perduellionis intẽderat. & mihi Iudices in causa aut uestra mala, aut mea nec præclarissima, etiam iudicium timendum fuit?*[b] *seruorum, & egentium ciuiũ, & facinorosorum armis meos cives meis consiliis periculísq; seruatos pro me obiici nolui. uidi enim, uidi hunc ipsum Q. Hortensium lumen & ornamentum Reip. penè interfici seruorũ manu, cùm mihi adesset: qua in turba C. Vibienus Senator uir optimus, cum hoc cùm esset unà, ita est mulctatus, ut uitam amiserit.*[c] *Itaq; quando illius posteà sica illa, quam à Catilina acceperat, cõquieuit? hæc intentata nobis est, huic ego uos obiici pro me non sum passus: hæc insidiata Pompeio est: hæc istam Appiam uiam monimentum sui nominis nece Papirij cruentauit: hæc eadẽ longo interuallo conuersa rursus est in me: nuper quidem, ut scitis, me ad regiam penè confecit.*[d] *Quid simile Milonis? cuius uis omnis hæc semper fuit, ne P. Clodius cùm in iudiciũ detrahi non posset, ui oppressam ciuitatẽ teneret: quẽ si interficere noluisset, quantæ, quoties occasiones, quàm præclaræ fuerunt? potuítne, cùm domũ, ac deos penates suos illo oppugnante defenderet, iure se ulcisci? potuítne ciue egregio & uiro fortissimo P. Sestio collega suo uulnerato? potuítne Fabricio uiro optimo, cùm de reditu meo legã ferret, pulso, crudelissima in foro cæde facta? potuítne L. Cæcilij iustissimi fortissimíq; Prætoris oppugnata domo? potuítne illo die, cùm est lata lex de me, cùm totius*

a Occurrit defensioni, & irridet.

b Digressio breuis.

c Concludit & crimina Clodii congregat.

d Confert innocẽtiam Milonis, & docet quoties ille peccandi occasionẽ prætermiserit.

Italiæ concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam libens agnouisset, ut etiam si id Milo fecisset, cuncta ciuitas eam laudem pro sua uendicaret? [a] *Atqui erat id temporis clarissimus & fortissimus Consul inimicus Clodio, P. Lentulus, ultor sceleris illius, propugnator Senatus, defensor uestræ uoluntatis, patronus illius publici consensus, restitutor salutis meæ: septem Prætores, octo Tribuni plebis illius aduersarij, defensores mei: Cn. Pompeius autor & dux mei reditus, illius hostis: cuius sententiam Senatus omnis de salute mea grauissimam & ornatissimam secutus est: qui Po. Rom. cohortatus est: qui, cùm de me decretum Capuæ fecisset, ipse cunctæ Italiæ cupienti, & eius fidem imploranti signũ dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent. omnia tum deniq; in illum odia ciuium ardebant desiderio mei: quem qui tum interemisset, non de impunitate eius, sed de præmiis cogitaretur* [b] *Tamen se Milo continuit, & P. Clodium ad iudicium bis, ad uim nunquam uocauit. Quid? priuato Milone, & reo ad populum, accusante P. Clodio, cùm in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus est, quæ tum non modò occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit? Nuper uerò cùm M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset, grauissimámq; adolescens nobilissimus Reip. partẽ fortissimè suscepisset, atq; illam belluam iudicii laqueos declinantem iam irretitam teneret: qui locus, quod tẽpus illud dii immortales fuit? cùm se ille fugiens in scalarũ tenebras abdidisset,* [c] *magnũ Miloni fuit conficere illam pestẽ nulla sua inuidia, Antonii uerò maxima gloria? Quid? comitiis in cãpo quoties potestas fuit? cũ ille ui in septa irruisset, gladios distringẽdos, lapides iaciendos curasset, deinde subito nultu Milonis perterritus fugeret ad Tyberim,*

a Amplificat occasionem à personis.

b Alia occasio.

c Item alia.

berim, nos & omnes boni nota faceretis, ut Miloni uti uirtute sua libêret? [a] Quẽ igitur cũ omniũ gratia noluit, hunc noluit cum aliquorũ querela? quem iure, quẽ loco, quem tempore, quem impunè nõ est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitauit occidere? [b] Præsertim Iudices cùm honoris amplissimi contentio, & dies comitiorum subesset: quo quidem tempore (scio enim, quàm timida sit ambitio, quantáque & quàm solicita cupiditas Consulatus) omnia non modò quæ reprehendi palàm, sed etiam quæ obscurè cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam fictam, falsam perhorrescimus: ora omnium atque oculos intuemur. nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quàm uoluntas erga nos, sensúsq; ciuium: qui non modò improbitati irascũtur candidatorũ, sed etiam in rectè factis sæpe fastidiunt. Hunc diem igitur campi speratum atque exoptatum sibi proponens Milo, cruẽtis manibus scelus & facinus præ se ferens & confitens, ad illa augusta centuriarum auspicia ueniebat? quàm hoc non credibile in hoc? quàm idem in Clodio non dubitandum, qui se, interfecto Milone, regnaturum putaret? Quid? quod caput audaciæ est Iudices: [c] quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? in utro igitur hæc fuit? in Milone, qui etiam nunc reus est facti aut præclari, aut certè necessarij? an in Clodio, qui ita iudicia pœnámq; contempserat, ut eũ nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret? [d] Sed quid ego argumẽtor? quid plura disputo? te Q. Petili appello optimũ & fortissimũ ciuem: te M. Cato testor: quos mihi diuina quædã sors dedit Iudices: uos ex M Fauonio audistis Clodiũ sibi dixisse, & audistis uiuo Clodio, perituriũ Milonẽ triduo: post dictũ tertiũ gesta res est, quàm

a Concludit per enumerationem.

b Aliud argumentum à tempore.

c A spe impunitatis, quæ in utro fuerit ostenditur.

d Confirmat ex dicto Clodii.

dixerat. cùm ille nõ dubitaret aperire quid cogitaret, uos potestis dubitare quid fecerit? [a] Quemadmodum igitur eum dies nõ fefellit, dixi equidem modò. Dictatoris Lanuuini stata sacrificia nosse negotij nihil erat: uidit necesse esse Miloni proficisci Lanuuium illo ipso, quo profectus est, die: itaq; anteuertit. at quo die? quo, ut antè dixi, insanissima concio ab ipsius mercenario Tribuno plebis est concitata: quem diem ille, quam concionẽ, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperãret, nunquã reliquisset. Ergo illi ne causa quidem itineris, etiã causa manendi: Miloni nulla facultas manendi, exeundi non causa solùm, sed etiã necessitas fuit. [b] Quid, si ut ille scicuit Milonem fore eo die in uia, sic Clodiũ Milone suspicari quidem potuit? Primùm quæro quî scire potuerit? quod uos idẽ in Clodio quærere non potestis. ut enim neminem alium, nisi T. Patinam familiarissimũ suum rogasset, scire potuit illo ipso die Lanuuij à Dictatore Milone prodi Flaminem necesse esse. sed erãt permulti alij, ex quibus id facillimè scire posset, omnes scilicet Lanuuini. Milo de Clodij reditu unde quæsiuit? quæsierit sanè. [c] uidete, quid uobis largiar. seruũ etiam, ut Arrius meus amicus dixit, corruperit. Legite testimonia testium uestrorum. dixit C. Cassinius, cognomento Schola, Interamnis familiaris meus, & idẽ comes P. Clodij, [d] cuius iãpridem testimonio Clodius eadem hora Interamnæ fuerat & Romæ, P. Clodium illo die in Albano mansurum fuisse: sed subito ei esse nuntiatum Cyrum architectũ esse mortuum: itaq; Romam repẽtè constituisse proficisci. dixit hoc comes itẽ P. Clodij, C. Clodius. [e] Videte Iudices, quantæ res his testimoniis sunt confectæ. primùm certè liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in uia Clodio: quippe qui ei obuius futurus omnino nõ erat.

a Aspe perficiendi, quam probat à tẽpore, ad consilium facti pertinet.

b Cõfert imprudentiã Milonis, quam probat à personis & itinere Clodii & ex dictis testium cõfirmat.

c Ex dictis testiũ probat scire non potuisse Milonẽ.

d Perstringit testẽ qui pro Clodio de pollutis ceremoniis mentitus fuerat.

e Monet quid ex testimoniis aduersariorũ cõficiatur.

erat. deinde (non enim uideo, cur non meum agã negotium) [a] scitis Iudices fuisse, qui in hac rogatione suadẽda dicerent, Milonis manu cædem esse factam, cõsilio uerò maioris alicuius. uidelicet me latronem ac sicarium abiecti homines, & perditi describebant. Iacẽt suis testibus, qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro auditum esset, rediturum fuisse. [b] Respirauí: liberatus sum: non uereor, ne quod ne suspicari quidẽ potuerim, uidear id cogitasse. [c] Nunc persequar cætera. nam occurrit illud: ne Clodius quidem de insidiis cogitauit, quoniam fuit in Albano mansurus. siquidẽ exiturus ad cædem è uilla non fuisset. uideo enim illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, non id nuntiasse, sed Milonem appropinquare. nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? unà fui, testamentum simul obsignaui cum Clodio: testamentum autem palàm fecerat, & illum hæredem, & me scripserat. quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima ei nuntiabatur? Age, sit ita factum: quæ causa cur Romam properaret? cur in noctem se coniiceret? quid afferebat festinatio? quòd hæres erat? Primùm erat nihil cur properato opus esset: deinde siquid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autem si postridie mane Romã ueniisset? [d] Atque ut illi nocturnus ad urbem aduentus uitandus potius, quàm expetendus fuit, sic Milonì cùm insidiator esset, si illum ad urbem nocte accessurum sciebat, subsistendum atque expectandũ fuit. nocte inuidioso, & pleno latronum in loco occidisset. nemo ei neganti nõ credidisset, quem esse omnes saluum etiam confitentem uolunt. Sustinuisset hoc crimẽ primùm ipse ille latronum occultator & receptator locus, dum neque

a Inducit sui defensionem ex eodem testimonio.

b Epiphonema gaudentis & tanquam securi.

c Sicut testimonio aduersariorũ pro se vsus est, ita rursus adimit illis & suspectum facit, confirmans aduentum Milonis Clodio nũtiatum fuisse.

d Remouet consilium criminis à Milone, quia nec locum insidiarũ, nec tẽpus obseruauerit.

*muta solitudo indicasset, neque caca nox ostendisset Milonem: deinde ubi multi ab illo uiolati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam hæc timentes in suspicionem caderent: tota denique rea citaretur Hetruria. Atque illo die certè Aricia rediens diuertit Clodius ad Albanum. quòd nisi sciret illum Milo Aricię fuisse, suspicari tamen debuit, eum etiam si Romam illo die reuerti uellet, ad uillam suam, quæ uiam tangeret, diuersurum. cur neque antè occurrit, ne in uilla resideret: nec eo in loco subsedit, quo ille noctu uenturus esset? [a] Video adhuc constare omnia Iudices, Miloni etiam utile fuisse Clodium uiuere, illi ad ea quæ concupierat optatissimum interitum Milonis fuisse: odium illius in hunc acerbissimum, in illum huius nullum: consuetudinem illius perpetuam in ui inferenda, huius tantum in repellenda: mortem ab illo denuntiatam palàm Miloni & prædicatam, nihil nunquam auditum ex Milone: profectionis huius diem illi notum, reditum illius huic ignotum fuisse: huius iter necessarium, illius etiam potius alienum: hunc præ se tulisse illo die Roma exiturum, illum eo die se dissimulasse rediturum: hunc nullius rei mutasse consilium, illum causam mutandi consilij finxisse: huic si insidiaretur nocte propè urbem expectandum, illi etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum. [b] Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id uerò Iud. etiam dubitandũ, & diutius cogitandum est? ante fundũ Clody: quo in fundo propter insanas illas substructiones facilè mille hominũ uersabãtur * ualentiũ. Atqui [c] excelso loco superiorẽ se fore putabat Milo, & ob eam causam eum locũ ad pugnam potissimùm delegerat. an in eo loco potius expectandum*

a Epilogus argumentorum, quo omnia in vnum contrahit.

b Argumentatur à facultate crimi nis, quam primũ à loco, deinde ab habitu & comitatu itineris colligit.

* ualentiũ. Atqui

c Ironia est qua occurrit ex persona aduersarii.

ab eo

ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat? [a] Res loquitur Iudices ipsa: quæ semper ualet plurimùm. si hæc non gesta audiretis, sed picta uideretis: tamẽ appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali, cùm alter ueheretur in rheda penulatus, unà sederet uxor. quid horum non impeditissimum? uestitus, an uehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam, cùm penula irretitus, rheda impeditus, uxore penè constrictus esset. [b] Videte * nunc quid illum, primùm egredientem è uilla subitò: cur uesperi? necesse est tardè? quî conuenit, præsertim id temporis? Diuertit in uillã Pompeij. Pompeium ut uideret? sciebat in Alsiensi esse procul inde. uillam ut perspiceret? millies in ea fuerat. quid ergo erat moræ & tergiuersationis? dum hic ueniret, locum relinquere noluit. [c] Agè nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille anteà cum uxore, tum sine ea: nunquam non in rheda, tum in equo: comites Græculi quocunque ibat, etiam cùm in castra Etrusca properabat: tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui nunquam, tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat, & ancillarum greges. ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat, tum neminem, nisi ut uirum à uiro lectum esse diceres. [d] Cur igitur uictus est? quia nõ semper uiator à latrone nonnunquam etiam latro à uiatore occiditur: quia quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in uiros. nec uerò sic erat unquã non paratus Milo contra illũ, ut non satis ferè esset paratus. semper ille, & quantum interesset P. Clodii se perire, & quanto illi odio esset, & quantum ille auderet, cogitabat quamobrem uitam suam, quã maximis præmiis propositam & penè addictã sciebat, nunquam in periculum

a Rem subiicit ante oculos.

b Adiungit argumentum à tempore.

* nũc illum

c Confert è diuerso Milonem.

d Occurrit & inducit cõfutationẽ argumentorũ in Milonem, victum fuisse Clodium, non quod paratior fuerit Milo, sed ignauia Clodij & uirtute Milonis & incerta pugnandi fortuna.

ſine præſidio, & ſine cuſtodia prouehebat. Adde caſus, adde incertos exitus pugnarũ, Martémq; communem: qui ſæpe ſpoliantem iam & exultantẽ euertit, & perculit ab abiecto. adde inſcitiam pranſi, poti, oſcitantis ducis: qui cùm à tergo hoſtem intercluſum reliquiſſet, nihil de eius extremis comitibus cogitauit: in quos incenſos ira, uitámque domini deſperantes cùm incidiſſet, hæſit in iis pœnis, quas ab eo ſerui fideles pro domini uita expetiuerunt. [a] *Cur igitur eos manumiſit? metuebat ſcilicet ne indicaretur, ne dolorem perferre non poſſent, ne tormentis cogerentur occiſum eſſe à ſeruis Milonis in Appia uia P. Clodium confiteri. Quid opus eſt tortore? quid quæris? occideritne? occîdit. iure, an iniuria? nihil ad tortorem. facti enim in eculeo quæſtio eſt, iuris in iudicio. quod igitur in cauſa quærendum eſt, id agamus: hoc quod tormentis inuenire uis, id fatemur. Manu uerò cur miſerit, ſi id potius quæris, quàm cur parum amplis affecerit præmiis: neſcis inimici factum reprehendere. dixit enim hic idem, qui omnia ſemper conſtanter & fortiter, M. Cato: dixítque in turbulenta concione, quæ tamen huius autoritate placata eſt: non libertate ſolùm, ſed etiam omnibus præmiis dignißimos fuiſſe, qui domini caput defendiſſent. quod enim præmiũ ſatis magnum eſt tam beneuolis, tam bonis, tam fidelibus ſeruis propter quos uiuit? etſi id quidem non tanti eſt, quàm quòd propter eoſdem non ſanguine, & uulneribus ſuis crudeliſſimi inimici mentem oculóſque ſatiauit. quos niſi manumiſiſſet, tormentis etiam dedendi fuerunt, conſeruatores domini, ultores ſceleris, defenſores necis? Hic uerò nihil habet in his malis, quod minus moleſtè ferat, quàm etiam ſi quid ipſi accidat, eſſe tamen illis meritum præmium perſolutum.* [b] *Sed quæſtiones urgent Milonem,*

[a] Alia obiectio quam ſoluit reddendo cauſam manumiſſionis, pertinet ad purgandam conſcientiam Milonis.

[b] Tertia obiectio quam cõtemnit reprehẽdendo quæſtiones in Milonem à perſona quæſitoris, ab iniquo & à modo quærendi.

nem, quæ sunt habitæ nunc in atrio Libertatis quibus-nã de seruis? rogas? de P. Clodij. quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius. unde? ab Appio. Dii boni, quid potest agi seuerius? [a] de seruis nulla quæstio est in dominum, nisi de incestu, ut fit in Clodium: proximè ad deos accessit Clodius, propius quàm tũ, cùm ad ipsos penetrarat: cuius de morte tãquam de cærimoniis uiolatis quæritur. Sed tamen maiores nostri in dominum de seruo quæri noluerunt, non quia non posset uerum inueniri, sed quia uidebatur indignum esse, & domini morte ipsa tristius. in reum de seruis accusatoris cùm quæritur, uerũ inueniri potest? [b] Age uerò quæ erat, aut qualis quæstio? heus ubi Ruscio, ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? fecit: certa crux. nullas fecit: sperata libertas. quid hac quæstione certius? subitò arrepti in quæstionem tamen separantur à cæteris, & in arcas coniiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. hi centum dies penes accusatorem cùm fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. quid hac quæstione dici potest integrius? quid incorruptius? [c] Quòd si nondum satis cernitis, cùm res ipsa tot, tam claris argumentis, signísque luceat, pura mente atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum Romam reuertisse: recordamini per deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus eius? qui ingressus in forum ardente curia? quæ magnitudo animi? qui uultus? quæ oratio? Neq; uerò se populo solùm, sed etiam Senatui tradidit: neque Senatui modò, sed etiã publicis præsidiis, & armis: neq; his tantùm, uerùm etiam eius potestati, cui Senatus totam Rempublicam, omnem Italiæ pubẽ, cuncta populi Romani arma cõmiserat. cui se nunquam profectò tradidisset, nisi causæ suæ confideret, præsertim omnia au-

a Ostendit contra legem quæsitum in Milonem.

b Reprehendit corruptelã quæsitoris.

c Tertius locus coniecturæ qui constat signis & indiciis hominũ quæ factum consequuta sũt. Itaque primo argumentatur à conscientia Milonis & interim cõqueritur de rumoribus hominum: deinde auertit Põpeii suspicionem qui malè de Milone sensisse & eũ metuisse videbatur.

dienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti.[a] Magna uis est conscientiæ Iudices, & magna in utranq; partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint: & pœnam semper ante oculos uersari putent, qui peccarint. Neque uerò sine ratione certa, causa Milonis semper à Senatu probata est. uidebant enim sapientissimi homines facti rationem, præsentiam animi, defensionis constantiam. An uerò oblii estis Iudices recenti illo nuntio necis Clodianæ non modò inimicorum Milonis sermones, & opiniones, sed nonnullorum etiam imperitorum, qui negabant eum Romã esse redituru?[b] Siue enim illud animo irato ac percito feciisset, ut incensus odio trucidaret inimicum: arbitrabantur eum tanti mortem P. Clodij putasse, ut æquo animo patria careret, cùm sanguine inimici expleisset odium suum: siue etiam illius morte patriam liberare uoluisset, non dubitaturum fortem uirum, quin, cùm suo periculo salutem Reip. attulisset, cederet æquo animo legibus, secum auferret gloriam sempiternam, nobis hæc fruenda relinqueret, quæ ipse seruasset. Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet.[c] miseros interdum ciues optimè de Rep. meritos: in quibus homines non modò res præclarissimas obliuiscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. Ergo illa falsa fuerunt: quæ certè uera extitissent, si Milo admisisset aliquid, quod non posset honestè, uereq; defendere.[d] Quid, quæ posteà sunt in eum congesta? quæ quamuis etiem mediocrium delictorum cõscientiam pertulissent, ut sustinuit diy immortales? sustinuit? imò uerò ut cõtempsit, ac pro nihilo putauit? quæ neq; maximo animo nocens, neq; innocẽs, nisi fortissimus uir, negligere potuisset. scutorum, gladiorum, frænorum, sparorum, pilorũmque etiam

a Amplificat cõstantiam Milonis à rumoribus hominũ. Locus est à tempore.

b Delabitur in obliquam allocutionẽ populi sermones repræsentans.

c Labitur in conquestionem.

f Addit alia atrociora.

etiam multitudo deprehendi posse iudicabatur. nullũ in urbe uicum, nullum angiportũ esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus: arma in uillam Otriculanam deuecta Tyberi: domus in cliuo Capitolino scutis referta: plena omnia malleolorum ad urbis incẽdia comparatorum. hæc non delata solùm, sed penè credita: nec antè repudiata sunt, quàm quæsita. [a] *Laudabã equidem incredibilem diligẽtiam Cn. Pompeij: sed dicam ut sentio Iudices. nimis multa audire coguntur: neq; aliter facere possunt ij, quibus tota commissa est Respublica, quin etiam audiendus sit Popa Licinius nescio quis de Circo maximo,* [b] *seruos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse de interficiendo Cn. Pompeio coniurasse: deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret. Pompeio in hortos nuntiauit. arcessor in primis. de amicorum sententia rem defert ad Senatum. non poteram in illius mei, patriæq; custodis tanta suspicione non metu exanimari: sed mirabar tamen credi Popæ, ebriosorum confessionem seruorum audiri, uulnus in latere, quod acu punctũ uideretur, proictu gladiatoris putari. Verùm etiam, ut intelligo, cauebat magis Pompeius, quàm timebat, non ea solùm quæ timenda erant, sed omnino omnia, ne aliquid nos timeretis. Oppugnata domus C. Cæsaris clarissimi & fortissimi uiri per multas noctis horas nuntiabatur: nemo audierat tam celebri loco, nemo senserat: tamen audiebatur. non poteram Cn. Pompeium præstantissima uirtute ciuem, timidum suspicari: diligentiam, tota Repub. suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo Senatu nuper in Capitolio Senator inuentus est, qui Milonem cum telo esse diceret. nudauit se in sanctissimo tẽplo,* [d] *quoniã uita talis & ciuis & uiri fidẽ nõ faciebat, nisi eo tacẽte res ipsa loqueretur*

a Occurrit & excusat metũ Pompeii & falsam delationem reprehendit.

b Eludit narrationẽ delatoris.

c Vult rẽ fictam fuisse, quod credibile facit à signo.

d Ironia est.

retur. omnia falsa atque insidiosè ficta comperta sunt.

a Digreditur ad placandum Pompeium, quod nisi impetret, certè inuidiam ei taciturnam facit.

a Quòd si tamen metuitur etiam nunc Milo, non hoc iã Clodianũ crimen timemus, sed tuas Cn. Põpei (te enim iam appello ea uoce, ut me audire possis) tuas, inquã, suspiciones perhorrescimus. Si Milonẽ times, si hũc de tua uita nefariè aut nunc cogitare, aut molitũ aliquando aliquid putas:

b Rẽ ad improbationẽ exaggerat.

b si Italiæ delectus, ut nonnulli conquisitores tui dictitant, si hæc arma, si Capitolinæ cohortes, si excubiæ, si uigiliæ, si delecta iuuentus, quæ tuum corpus domumq; custodit, contra Milonis impetũ armata est, atq; illa omnia in hunc unum instituta, parata, intenta sunt: magna in hoc certè uis, & incredibilis animus, & non iniusti uiri uires, atq; opes indicantur, si quidem in hunc unum & præstantissimus dux electus, & tota Resp. armata est. sed quis non intelligit, omnes tibi Reip. partes ægras, & labantes, ut eas his armis sanares & cõfirmares, esse commissas? Quòd si Miloni locus datus esset, probasset profectò tibi ipsi, neminem unquam hominem homini chariorem fuisse, quàm te sibi: nullum se unquã periculum pro tua dignitate fugisse: cum illa ipsa teterrima peste sæpissimè pro tua gloria contendisse: Tribunatum suum ad salutem meam, quæ tibi charissima fuisset, consiliis tuis gubernatum: se à te postea defensum in periculo capitis, adiutũ in petitione Præturæ: duos se habere semper amicissimos speraſſe, te tuo beneficio, me suo.

c Corrigit & armorum suspicionem in cõtrariũ vertit cõmemorans necessitudinem Pompeii & Milonis.

d Delabitur in querelam quam tacitè inuidiosam facit Põpeio, ni liberet suspicione Milonẽ.

d quæ si non probaret, si tibi ita penitus insedisset ista suspicio, nullo ut euelli modo posset: si denique Italia à delectu, urbs ab armis, sine Milonis clade nunquam esset conquietura: næ iste haud dubitans cessisset patria, is qui ita natus est, & ita consuenit: te Magne tamen attestaretur: quod nunc etiam facit.

e Mouet cõmiserationem à fortuna.

e Vide, quàm sit uaria uitæ, commutabilisque ratio, quàm uaga, uolubilisque fortu

fortuna: quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ simulationes, quantæ in periculis fugæ proximorũ, quantæ timiditates. [a] *erit, erit illud profectò tempus, & illucescet aliquando ille dies, cùm tu salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporũ immutatis, qui quàm crebrò accidat, experti debemus scire, & amicissimi beneuolentiam, & grauissimi hominis fidem, & unius post homines natos fortissimi uiri magnitudinem animi desideres. Quanquam quis hoc credat, Cn. Põpeium iuris publici, moris maiorum, Rei denique publicæ peritissimum, cùm Senatus ei commiserit, ut uideret, Ne quid Respublica detrimenti caperet, quo uno uersiculo satis armati semper Consules fuerunt, etiam nullis armis datis: hũc exercitu, hunc delectu dato, iudicium expectaturum fuisse in eius consilijs *uindicandis, qui uel iudicia ipsa tolleret? satis iudicatum est à Pompeio, falsò ista conferri in Milonem, qui legem tulit: qua, ut ego sentio, Milonem absolui oporteret: ut omnes consitentur, liceret.* [b] *Quod uerò in illo loco, atque in illis publicorum præsidiorum copijs circunfusus sedet, satis declarat se non terrorem inferre uobis (quid enim illo minus dignum, quàm cogere ut nos eum condemnetis, in quem animaduertere ipse, & more maiorum, & suo iure posset?) sed præsidio esse: ut intelligatis, contra hesternam concionem illam licere uobis quod sentiatis liberè iudicare.* [c] *Nec uerò me Iudices, Clodianum crimen mouet: nec tam sum demens, támque uestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam quid de morte Clodij sentiatis. de qua si iam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impunè Miloni palàm clamare atque mentiri gloriosè liceret: Occîdi, occîdi, non Sp. Melium, qui annona leuanda, iacturísque rei familiaris,*

a Prædicit Põpeium aliquãdo in rep. defideraturum esse virtutem Milonis.

*iudicãdis

b Interpretatur armorum præsidium & opinionem eius in contrarium vertit.

c Altera pars cõfirmationis quã extra causam inducit cõparationẽ criminis, eandémque grauiter tractat cum acerbissima Clodianæ vitæ infectatione.

miliaris, quia nimis amplecti plebẽ putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi: non Tib. Gracchum, qui collegæ magiſtratum per ſeditionem abrogauit: quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis ſui gloria: ſed eum (auderet enim dicere, cùm patriam periculo ſuo liberaſſet) cuius nefarium adulterium in puluinaribus ſanctiſſimis nobiliſſimæ fœminæ comprehenderunt: eum, cuius ſupplicio Senatus ſolẽnes religiones expiandas ſæpe cenſuit: eum, quem cum ſorore germana nefarium ſtuprum feciſſe L. Lucullus iuratus ſe quæſtionibus habitis dixit comperiſſe: eum, qui ciuem, quẽ Senatus, quem populus, quem omnes gentes, urbis ac uitæ ciuium conſeruatorem iudicabant, ſeruorum armis exterminauit: eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarũ quibuſcum uoluit partitus eſt: eum, qui pluribus cædibus in foro factis ſingulari uirtute & gloria ciuem domum ui & armis compulit: eum, cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine: eum, qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicæ recenſionis[a] tabulis publicis impreſſam extingueret: eum denique, cui iam nulla lex erat, nullum ciuile ius, nulli poſſeſſionum termini: qui[b] non calumnia litium, nõ iniuſtis uindiciis ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat: qui non ſolùm Hetruſcos (eos enim penitus contempſerat) ſed hunc Cn. Pompeium uirum fortiſſimum, atq; optimum ciuem, iudicem noſtrum pellere poſſeſſionibus, armis, caſtríſque conatus eſt: qui cum architectis & decempedis uillas multorũ, hortóſque peragrabat: qui Ianiculo, & Alpibus ſpem poſſeſſionum terminabat ſuarũ, qui cùm ab Equite Romano ſplendidiſſimo, & forti uiro, T. Pacauio non impetraſſet, ut inſulam in lacu Pretio uenderet, repente lin-

a Cenſorum intelligit qui Clodium notauerãt.

b Non prætextu ſaltem iuris vtebatur, ſed vi & armis. Calũnia eſt cum quis falſam petitionem comparat vel intẽdit. Vindiciæ actio poſſeſſionis eſt, Sacramentum actionis genus, qđ & ſponſio vocabatur.

tribus

tribus in eam insulam materiam, calcem, cæmenta, atq; arma conuexit: dominóq; trans ripã inspectante, non dubitauit ædificiũ extruere in alieno: qui huic T. Furfanio, cui uiro dij immortales? (quid enim de muliercula Sãctia? quid de adolescente Apronio dico? quorum utriquẽ mortẽ est minitatus, nisi sibi hortorũ possessione cessisset) sed ausus est Furfanio dicere, si sibi pecuniam quantam popposcerat non dedisset, mortuum se in domũ eius illaturum. Qua inuidia huic esset tali uiro conflagrandũ? qui Appium fratrem hominẽ mihi coniunctum fidelissima gratia, absentem de possessione fundi deiecit, qui parietẽ sic per uestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamẽta, ut sororẽ non modò uestibulo priuaret, sed omni aditu & lumine. [a] *Quanquam hæc quidem iam tolerabilia uidebantur: etsi æquabiliter in Remp. in priuatos, in lõginquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat: sed nescio quomodo iam usu obduruerat, & percalluerat ciuitatis incredibilis patientia.* [b] *quæ uerò aderant iam, & impendebant, quónam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre imperium, si id ille nactus esset? Omitto socios, exteras nationes, Reges, Tetrarchas (uota enim feceratis, ut in eos se potius mitteret, quàm in uestras possessiones, uestra tecta, uestras pecunias) à liberis dico. à liberis mediusfidius, & coniugibus uestris nunquam ille effrænatas suas libidines cohibuisset. Fingi hæc putatis, quæ patent, quæ nota omnibus, quæ tenentur: seruorum exercitus illum in urbe conscipturum fuisse, per quos totam Remp. réſq; priuatas omnium possideret?* [c] *Quamobrem si cruentum gladium tenẽs clamaret T. Annius, Adeste quæso, atque audite ciues: P. Clodium interfeci, eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudiciis frænare poteramus, hoc ferro, & hac dextera à ceruicibus uestris*

a Correctio quæ deprimit quæ prædicta sunt vt sequentia attollantur.

b Ostendit quæ impẽderint reip. viuo Clodio & credibiliter ante oculos cõstituit.

c Concludit inducta Milonis persona.

neſtris repuli: per me unũ effectum eſt, ut ius, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in ciuitate manerẽt: enim uerò timendũ quónam modo id factũ ferret ciuitas. nunc enim quis eſt, qui nõ probet? qui non laudet? qui non unũ poſt hominum memoriã T. Annium plurimùm Reip. profuiſſe, maxima lætitia populum Romanum, cũctam Italiam, nationes omnes affeciſſe, & dicat; & ſentiat?

a Cõfirmat lætitiã populi Rõ. & futurã ciuitatis proſperitatẽ Clodio ſublato.

a Nequeo uetera illa populi Romani, quãta fuerint gaudia iudicare: multas tamen iam ſummorum Imperatorum clariſſimas uictorias ætas noſtra uidit, quarũ nulla neq; tam diuturnam attulit lætitiam, nec tantam. Mãdate hoc memoriæ Iudices. ſpero multa uos, liberóſq; neſtros in Repub. bona eſſe uiſuros. in his ſingulis ita ſemper exiſtimabitis, uiuo P. Clodio nihil horum uos uiſuros fuiſſe. in ſpem maximam, &, quemadmodũ confido, ueriſſimam adducti ſumus, hunc ipſum annũ, hoc ſummo uiro Conſule, concuſſa hominum licentia, cupiditatibus fractis legibus & iudiciis conſtitutis, ſalutarem ciuitati fore. Num quis igitur eſt tã demens, qui hoc P. Clodio uiuo contingere potuiſſe arbitretur?

b Auget amplificationem, & remouet inſectandi cupiditatem.

b Quid? ea quæ tenetis priuata atque neſtra, dominante homine furioſo, quod ius perpetuæ poſſeſſionis habere potuiſſent? Non timeo Iudices, ne odio inimicitiarum mearũ inflammatus libẽtius hæc in illũ euomere uidear, quàm uerius. etenim etſi præcipuũ eſſe debebat, tamen ita communis erat omnium ille hoſtis, ut in cõmuni odio penè æqualiter uerſaretur odiũ meum. Nõ poteſt dici ſatis, ne cogitari quidẽ, quantum in illo ſceleris, quãtum exitij fuerit. c Quin ſic attendite Iudices. nẽpe hæc eſt quæſtio de interitu P. Clodij. fingite animis: liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ: & quæ uolunt, ſic intuentur, ut ea cernimus, quæ uidemus: fingite igitur cogitatione imaginẽ huius cõditionis

c κατ' ὑπόθεσιν ineludit argumẽtationem à perſona Pompeii.

nis meæ, si possim efficere ut Milonẽ absoluatis: sed ita, si P. Clodius reuixerit. Quid nultu extimuistis? quonam modo ille uos uiuus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percussit? quid? si ipse Cn. Pompeius, qui ea uirtute, *ac sapientia est, ut ea potuerit semper, quæ nemo præter illum: si is, inquã, potuisset, ut quæstionẽ de morte P. Clodij ferre, sic ipsum ab inferis excitare: utrũ putatis factu rũ fuisse? etiam si propter amicitiam uellet illum ab inferis reuocare, propter Remp. non fecisset. [a] Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius uitã si putetis per uos restitui posse, nolitis: & de eius nece lata quæstio est, qui si eadem lege reuiniscere posset, lata lex nunquã esset. Huius ergo interfector non esset etiam confitendo ab iis impetraturus, ne pœnã timeret, quos liberauisset? [b] Græci homines deorũ honores tribuunt iis uiris, qui Tyrãnos necauerũt. quæ ego uidi Athenis? quæ aliis in urbibus Græciæ? quas res diuinas talibus institutas uiris? quos cãtus? quæ carmina? propè ad immortalitatem & religionem & memoriam consecrantur. uos tanti conseruatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modò honoribus nullis afficietis, sed ad supplicium rapi etiam patiemini? [c] Confiteretur, confiteretur, inquam, si fecisset, & magno animo, & libenter, se fecisse libertatis omnium causa: quòd certe ei non confitẽdum modò fuisset, uerùm etiam prædicandum. Etenim si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam præmia laudis essent petenda? nisi uerò gratius putat esse uobis, sui se capitis, quàm uestri ordinis defensorẽ fuisse: [d] cùm præsertim in ea confessione, si grati esse uelletis, honores assequeretur amplissimos. Si factum uobis non probaretur (quanquam quî poterat salus sua cuique non probari?) sed tamen si minus fortissimi uiri uirtus ciuibus grata ce-

*ac fortuna est

a Infert quod efficitur, torquens enthymemata ex contrariis.

b Profert exẽplum contrariũ.

c Prorumpit in defensionem insidiarum, in quã impetu excurrit. Redit enim ad causam, & cõsiliũ criminis remouet à Milone, dũ in vitam Clodii inuehitur.

d Dicit reũ causam mentiendi non habere, siue erga confitentem grati esse uellẽt, siue ingrati.

cidisset, magno animo, constantiq3 cederet ex ingrata ciuitate. nã quid esset ingratius, quàm lætari cæteros, lugere eum solũ propter quem cæteri lætarentur? [a] Quanquã hoc animo semper omnes fuimus in patriæ proditoribus opprimendis, ut quoniã nostra futura esset gloria, periculum quoq3 & inuidiam nostram putaremus. nã quæ mihi contribuenda laus esset ipsi, cùm tantũ in Consulatu meo pro uobis, ac liberis uestris ausus essem, si id quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? quæ mulier sceleratũ ac pernicioſum ciuem occidere non auderet, si periculũ non timeret? Proposita inuidia, morte, pœna, qui nihilo segnius Remp. defendit, is uir uerè putandus est. Populi grati est, præmiis afficere bene meritos de Repub. ciues: uiri fortis: ne supplicijs quidẽ moueri, ut fortiter fecisse pœniteat. [b] Quamobrẽ uteretur eadem cõfessione T. Annius, qua Hala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmetipsi: & si grata Respublica esset, lætaretur: si ingrata, tamen in graui fortuna conscientia sua niteretur. [c] Sed huius beneficij gratiam Iudices fortuna populi Romani & uestra felicitas, & dij immortales sibi deberi putant. nec uerò quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam uim cœlestem existimat, numénue diuinum: quem neque imperij uestri magnitudo, neque sol ille, nec cœli, & signorum motus, nec uicissitudines rerum atq3 ordines mouent, neq3 id quod maximũ est, maiorum sapientia: qui sacra, qui cærimonias, qui auspicia & ipsi sanctissimè coluerũt, & nobis suis posteris prodiderunt. Est, est profectò illa uis: neq3 in his corporibus, atq3 in hac imbecillitate nostra ineſt quiddam quod uigeat, & sentiat, & non ineſt in hoc tanto naturæ, tam præclaro motu. nisi fortè idcirco esse non putant, quia non apparet, nec cernit

a Corrigit rursus, & dicit Milonem etiam periculo proposito, tamen fortiter confessurum esse si insidiator esset: probat à viri fortis animo.

b Cõcludit exẽplis.

c Ostendit diuino consilio Clodium interfectũ esse, quod credibile facit à diuina natura: ab impietate Clodii transit, qui religiosa loca uiolauerat, in quorum cõspectu fuit occisus: itaque hoc signi Cic. facit.

nitur: perinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua prouidemus, qua hæc ipsa agimus ac dicimus, uidere, aut planè qualis, aut ubi sit, sentire possimus. Ea uis, ea est igitur, quæ sæpe incredibiles huic urbi felicitates, atque opes attulit: quæ illam perniciem extinxit, ac sustulit: cui primùm mentem iniecit, ut ui irritare, ferróq; lacessere fortissimum uirũ auderet, uinceretúrq; ab eo, quem si uicisset, habiturus esset impunitatem, & licentiam sempiternam. Non est humano consilio, ne mediocri quidẽ Iudices deorum immortaliũ cura res illa perfecta: religiones mehercule ipsæ, aræq;, cùm illã belluam cadere uiderunt, commouisse se uidentur, & ius in illo suum retinuisse. uos enim Albani tumuli, atque luci, uos inquã imploro atq; obtestor, uósq; Albanorũ obrutæ aræ sacrorum populi Romani sociæ & æquales, quas ille præceps amentia, cæsis prostratísq; sanctissimis lucis, substructionũ insanis molibus oppressérat: uestræ tum aræ, uestræ religiones uiguerunt, uestra uis ualuit, quam ille omni scelere polluerat: túq; ex tuo edito monte Latialis sancte Iupiter, cuius ille lacus, nemora, finésq; sæpe omni nefario stupro & scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti: uobis illæ, uobis uestro in conspectu seræ, sed iustæ tamen, & debitæ pœnæ solutæ sunt. [a] nisi fortè hoc etiam casu factum esse dicimus, ut ante ipsum sacrarium Bonæ deæ, quod est in fundo T. Sestij Galli in primis honesti & ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam deam, cùm prælium commisisset, primum illud uulnus acceperit, quo teterrimã mortem obiret: ut nõ absolutus iudicio illo nefario uideretur, sed ad hãc insignẽ pœnam reseruatus. Nec uerò non eadem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amentiã, ut [b] sine imaginibus, sine cantu, sine ludis, sine exequijs, sine

a Aliud signum à loco cædis, quæ Clodius sacra Bonæ deæ violauerat, cúmque ea de re causam diceret, corrupto iudicio fuit absolutus.

b Orator lẽ hæc etiam in argumẽtum trahit.

lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore, & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambureretur etiam abiectus: non fuisse credo fas clarissimorũ uirorũ formas illi teterrimo parricidæ aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem eius lacerari, quàm in quo uita esset damnata.[a] *Dura mihi mediusfidius iam fortuna populi Romani, & crudelis uidebatur, quæ tot annos illũ in hanc Remp. insultare uideret, & pateretur, polluerat stupro sanctissimas religiones: Senatus grauissima decreta perfregerat: pecunia se palàm à iudicibus redemerat: uexarat in Tribunatu Senatum, omniũ ordinũ consensu pro salute Reip. gesta rescinderat: me patria expulerat: bona diripuerat: domũ incenderat: liberos, coniugẽ meam uexauerat: Cn. Pompeio nefarium bellũ indixerat: magistratuũ, priuatorũq; cædes effecerat: domũ mei fratris incenderat: uastarat Hetruriã: multos sedibus ac fortunis eiecerat, instabat, urgebat: capere eius amentiã ciuitas, Italia, prouinciæ, regna nõ poterant: incidebãtur iam domi leges, quæ nos nostris seruis addicerent: nihil erat cuiusquã, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret: obstabat eius cogitationibus nemo, præter illum Milonẽ ipsum, qui poterat obstare: Cn. Pompeium nouo reditu in gratiam quasi deuinctum arbitrabatur: Cæsaris potentiã, suã potẽtiam esse dicebat: bonorũ animos etiã in meo casu cõtempserat: Milo unus urgebat.*[b] *Hîc dij immortales, ut suprà dixi, mentem dederunt illi perdito ac furioso, ut huic faceret insidias: aliter perire pestis illa non potuit. nunquam illum Respub. suo iure esset ulta.*[c] *Senatus, credo, Prætorẽ eum circunscripsisset, ne cùm solebat quidẽ id facere, in priuato eodem hoc, aliquid profecerat. An Cõsules in Prætore coercẽdo fortes*

a Profert vitam sceleratam Clodii quæ diis inuisa fuerit.

b Conficit argumentatione, quã lõge traxit exaggerandi causa.

c Addit cõfirmationẽ coniecturalem, aliter hominem nefarium ac violentum perire non potuisse.

fortes fuissent? primũ Milone occiso habuisset suos Consules. deinde quis in eo Prætore Consul fortis esset, per quem Tribunum uirum Consularẽ crudelissimè necatum esse meminisset? omnia possideret, teneret: lege noua, quæ est inuenta apud eum cum reliquis legibus Clodianis, seruos nostros libertos suos fecisset. postremò, nisi eũ dij immortales in eam mentẽ impulissent, ut homo effœminatus fortissimum uirum conaretur occidere, hodie Remp. nullam haberetis. An ille Prætor, ille uerò Cõsul, si modò hæc templa, atq; ipsa mœnia stare eo uiuo tãdiu, & Consulatũ eius expectare potuissent, ille deniq; uiuus, mali nihil fecisset, qui mortuus uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? a Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius uidimus? tẽplũ sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab uniuerso populo Rom. concessam uni ordini, inflammari, excindi, funestari. neque id fieri à multitudine imperita, quanquam esset miserum idipsum, sed ab uno: qui cùm tantum ausus sit ultor pro mortuo, quid signifer pro uiuo non esset ausus? In curiam potissimũ abiecit, ut eam mortuus incenderet, quã uiuus euerterat. & sunt qui de uia Appia querãtur, taceãt de curia? Ecquãdo ab eo spirãte forũ potuisset defendi, cuius non restiterit cadaueri curia? Excitate, excitate eum si potestis ab inferis: frãgetis impetũ uiui, cuius uix sustinetis furias insepulti? nisi uerò sustinuistis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt. cum falcibus ad Castoris, cum gladijs toto foro uolitarunt. Cædi uidistis populũ Romanũ, concionẽ gladiis disturbari, cùm audiretur silẽtio M. Cælius Tribunus plebis uir fortissimus, & in suscepta causa firmissimus, & bonorũ uoluntati, & autoritati Senatus deditus,

a Mouet indignationem, quã auget à re & persona.

& in hac Milonis siue inuidia, siue fortuna, singulari, diuina, & incredibili fide. Sed iam satis multa de causa, extra causam etiã nimis fortasse multa. [a] *Quid restat? nisi ut orem, obtestérq; uos Iudices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo uiro, quam ipse non implorat, ego autem repugnante hoc & imploro, & exposco. Nolite, si in nostro omniũ fletu nullam lacrymam aspexistis Milonis, si uultum semper eundẽ, si uocem, si orationem stabilem ac non mutatam uidetis, hoc minus ei parcere, atq; haud scio, an multo etiã sit adiuuãdus magis. Etenĩ si in gladiatorijs pugnis, & in infimi generis hominum conditione atq; fortuna timidos & supplices, & ut uiuere liceat obsecrãtes, etiã odisse solemus: fortes & animosos, & se acriter ipsi morti offerẽtes seruare cupimus: eorumq; nos magis miseret, qui nostrã misericordiam non requirũt, quàm qui illam efflagitant: quantò hoc magis in fortissimis ciuibus facere debemus?* [b] *Me quidem Iudices exanimãt & interimunt hæ uoces Milonis, quas audio assiduè, & quibus interfum quotidie. Valeant, inquit, ualeant ciues mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet hæc urbs præclara, mihiq; patria charissima, quoquo modo merita de me erit: trãquilla Republica ciues mei (quoniã mihi cum illis non licet) sine meipsi, sed per me tamen perfruantur: ego cedam, atq; abibo. si mihi Republica bona frui non licuerit, at carebo mala: & quã primum tetigero* [c] *bene moratam & liberam ciuitatẽ, in ea conquiescam. O frustra, inquit, suscepti mei labores: ô spes fallaces: ô cogitationes inanes meæ. ego cum Tribunus pleb. Repub. oppressa me Senatui dedissem, quem extinctum acceperam: Equitibus Romanis, quorũ uires erant debiles: bonis uiris, qui omnem autoritatẽ Clodianis armis abiecerant: mihi unquam bonorum præsidium defut*

a Inducit deprecationem in qua magno cum affectu perorat. Mouet enim cõmiserationem à Milonis & sua persona, & indignitatẽ casus illius exaggerat.

b Ostendit inuictum animum Milonis, & interim merita illius erga remp. profert in quo ipsũ loquentem induxit.

c Massiliam significat: Nam ibi exulauit.

defuturum putarem? Ego cùm te (mecum enim ſæpiſſimè loquitur) patriæ reddidiſſem, mihi non futurum in patria putarem locum? Vbi nunc Senatus eſt, quẽ ſecuti ſumus? ubi Equites Rom. illi, illi, inquit, tui? ubi ſtudia municipiorum? ubi Italiæ uoces? ubi denique tua M. Tulli: quæ plurimis fuit auxilio, uox, & defenſio? mihíne ea ſoli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil poteſt opitulari? [c] *Nec uerò hæc Iudices, ut ego nunc, flens, ſed hoc eodẽ loquitur uultu, quo uidetis. negat enim ſe, negat ingratis ciuibus feciſſe, quæ fecit: timidis & omnia circunſpicientibus pericula, non negat. plebẽ & infimã multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis ueſtris immi nebat, eam, quò tutior eſſet uita ueſtra, ſe feciſſe commemorat, ut nõ modò uirtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret: nec timet, ne cùm plebem muneribus placarit, uos non conciliarit meritis in Rempub. ſingularibus. Senatus erga ſe beneuolentiam temporibus his ipſis ſæpe eſſe perſpectam: ueſtras uerò & ueſtrorum ordinum occurſationes, ſtudia, ſermones, quencunque* * *curſum fortuna dederit, ſecum ſe ablaturũ eſſe dicit. Meminit etiam ſibi uocem præconis modò defuiſſe, quam minimè deſiderarit: populi uerò cunctis ſuffragiis, quod unum cupierit, ſe Conſulem declaratum. nunc deniq; ſi hæc arma contra ſe ſint futura, ſibi facinoris ſuſpicionẽ, non facti crimen obſtare.* [b] *Addit hæc, quæ certè uera ſunt, fortes & ſapientes uiros non tam præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta: ſe nihil in uita, niſi præclariſſimè, feciſſe, ſi quidem nihil ſit præſtabilius uiro, quàm periculis patriam liberare: beatos eſſe, quibus ea res honori fuerit à ſuis ciuibus, nec tamen eos miſeros, qui beneficio ciues ſuos uicerint: ſed tamen ex omnibus præmiis uirtutis, ſi eſſet ha-*

a Interpretatur ſententiã Milonis, ne hæc ferre impotentius & ingratitudinẽ exprobrare videantur.

b Oſtendit ſapientiam Milonis in rectè factis æſtimandis.

benda ratio præmiorum, amplissimum esse præmiũ gloriam: esse hanc unam, quæ breuitatem uitæ posteritatis memoria consolaretur: quæ efficeret, ut absentes adesse-mus, mortui uiueremus: hanc denique esse, cuius gradibus etiam homines in cœlum uideãtur ascendere. [a] *De me, inquit, semper populus Roma. semper omnes gentes loquentur, nulla unquã obmutescet uetustas. quin hoc tempore ipso, cũ omnes suis inimicis faces inuidiæ meæ subiiciantur, tamen omni in hominum cœtu gratys agẽdis, & gratulationibus habendis, & omni sermone celebramur. Omitto Hetruriæ festos & actos institutos dies. centesima lux est hæc ab interitu P. Clodij: &, opinor, ultrà, quã fines Imperij populi Romani sunt, non solùm fama iam de illo, sed etiam lætitia peragrauit. Quãobrem ubi corpus hoc sit, non, inquit, laboro, quoniã omnibus in terris & iam uersatur, & semper habitabit nominis mei gloria.* [b] *Hæc tu mecum sæpe his absentibus: sed ijsdem audientibus, hæc ego tecum Milo: Te quidem quòd isto animo es, satis laudare nõ possum: sed quò est ista magis diuina uirtus, eò maiore à te dolore diuellor. Nec uerò si mihi eripueris, reliqua est illa tamen ad consolandũ querela, ut his irasci possim, à quibus tantum uulnus accepero, non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi: non malè aliquãdo de me meriti, sed semper optimè. Nullum unquam Iudices mihi tantũ dolorem inuretis (etsi quis potest esse tantus?) sed ne hunc quidẽ ipsum, ut obliuiscar, quãti me semper feceritis. quæ si uos cepit obliuio, aut si in me aliquid offendistis: cur nõ id meo capite potius luitur, quàm Milonis? Præclarè enim uixero, si quid mihi acciderit prius, quàm hoc tãtũ mali uidero. Nũc me una cõsolatio sustẽtat, quòd tibi ô T. Anni nullum à me amoris, nullũ studij, nullum pietatis officium*

a Iterum facit ipsum loquentẽ, vt imaginẽ eius qualẽ descripsit exprimat.

b Inducit & suã personam ad cõmiserationẽ, ostẽdens quãtum doloris sibi accidat ex casu Milonis, suo erga illũ studio & charitate.

defu

defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetiui: ego meum ſæpe corpus, & uitam obieci armis inimicorum tuorum: ego me plurimis pro te ſupplicem abieci: bona, fortunas meas, ac liberorum meorum in communionem tuorum temporum contuli: hoc denique ipſo die, ſi qua uis eſt parata, ſi qua dimicatio capitis futura, depoſco. [a] Quid iam reſtat? quid habeo, quod dicam? quod faciam pro tuis in me meritis? niſi ut eam fortunam, quæcunque erit tua, ducam meam? Non recuſo, non abnuo: uóſque obſecro Iudices, ut ueſtra beneficia, quæ in me contuliſtis, aut in huius ſalute augeatis, aut in eiuſdem exitio occaſura eſſe iubeatis. [b] His lacrymis non mouetur Milo: eſt quodam incredibili robore animi ſeptus: exilium ibi eſſe putat, ubi uirtuti non ſit locus: mortem naturæ finem eſſe, non pœnam. * Sit hic ea mente, qua natus eſt. quid uos Iudices? quo tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis, ipſum eiicietis? & erit dignior locus in terris ullus, qui hanc uirtutem excipiat, quàm hic, qui procreauit? [c] Vos, uos appello fortiſſimi uiri, qui multum pro Republica ſanguinem effudiſtis: uos in uiri, & in ciuis inuicti appello periculo Centuriones, uóſque milites: uobis non modò inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic iudicio præſidentibus, hæc tanta uirtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? eiicietur? [d] O me miſerum, ô infelicem: reuocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? quid reſpõdebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi Q. frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet? at in qua cauſa non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus, à quibus non potuiſſe? ab iis qui maximè

a Dubitatio deficientis, & quaſi deſtituti præſidiis.

b Occurrit admirationi, & hanc ipſam ad miſericordiam conuertit.

*Sed hic ea mente ornatus eſt

c Appellat circunſtantem coronam & indignitatem oſtendit.

d Redit ad ſuam perſonam & ad merita Miloni.

P. Clodij morte acquierũt. quo deprecante? me.[a] Quodnam cõcepi tantum scelus? aut quod in me tantum facinus admisi Iudices, cùm illa indicia cõmunis exitij indagaui, patefeci, protuli, extinxi? omnes in me, meósq; redundant ex illo fonte dolores. Quid me reducem esse noluistis? an ut inspectante me expellerentur ij, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro uos, pati, mihi acerbiorem reditum esse, quàm fuerit ille ipse discessus. Nam quî possum putare me restitutum esse, si distrahor ab iis, per quos restitutus sum?[b] Vtinam dij immortales fecissem (pace tua patria dixerim: metuo enim ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam piè) ut P. Clodius non modò uiueret, sed etiam Prætor, Consul, Dictator esse, antequàm hoc spectaculum uiderem.[c] O dij immortales fortem, & à uobis Iudices conseruandum uirum. minimè inquit, imò uerò pœnas ille debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse est, non debitas. Hiccine uir patriæ natus, usquam nisi in patria morietur? aut si fortè pro patria, huius uos animi monimenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini? hũc sua quisquam sententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulsum à uobis ad se uocabunt? O terram illam beatam, quæ hunc uirum exceperit: hanc ingratam, si eiecerit: miseram, si amiserit.[d] Sed finis sit: neq; enim præ lacrymis iam loqui possum, & hic se lacrymis defendi uetat. uos oro obtestóq; Iudices, ut in sententiis ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram uirtutem, iustitiam, fidem, mihi credite, is maximè probabit, qui in iudicibus legẽdis optimum & sapientissimum quenque legit.

a Accusat se quasi autor sit periculi Milonis. Ergo hoc magno cum motu pronuntiandum est, vt omnia ferè in hac parte orationis.

b Euadit lõgius etiam quàm probet ex impotentia doloris.

c Redit ad constantiam Milonis in qua desinit.

d Abrumpit orationem quasi amplius non possit, id quod rectè & oratoriè facit, ne languescat affectus.

PRO

PRO C. RABIRIO POSTHVMO.

ORATIO XL.

SI QVIS *est Iudices, qui C. Rabirium, quòd suæ fortunæ, fũdatas præsertim atq; optimè constitutas, opes potestati regiæ, libidiníque commiserit, reprehendẽdum putet, ascribat ad iudicium suum nõ modò meam, sed huius etiam ipsius qui cõmisit, sententiam. neq; enim cuiquam eius consilium uehementius, quàm ipsi displicet.* [b] *quanquam hoc plerunq; facimus, ut consilia euentis ponderemus:* [c] *& cui bene quid processerit, multum illũ prouidisse: cui secus, nihil sensisse dicamus. Si extitisset in Rege fides, nihil sapiẽtius Posthumo: quia fefellit Rex, nihil hoc amentius dicitur: ut iam nihil esse uideatur, nisi diuinare, sapientis. Sed tamen si quis est Iud. qui illam Posthumi siue inanem spem, siue inconsultam rationem, siue (ut grauissimo uerbo utar) temeritatem uituperandam putet, ego eius opinioni non repugno: illud tamen deprecor, ut cùm ab ipsa fortuna crudelissimè uideat huius consilia esse mulctata, nequid ad eas ruinas quibus hic oppressus est, addẽdum acerbitatis putet. Satis est homines imprudentia lapsos non erigere: urgere uerò iacentes, aut præcipitanteis impellere, certè est inhumanum: præsertim Iudices cùm sit hoc generi hominum propè natura datum, uti qua in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè qui sunt eius stirpis, quòd sermo hominum ad memoriam patrum uirtute celebretur, cupidissimè persequantur. siquidem nõ modò in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximũ filius, sed etiam in deuotione uitæ, & in ipso genere mortis imitatus est*

a Exordium est breue. Habet autem solùm ἀντιπαραγωγήν, i. concessionem, quã Hermogenes ἀντίθετον vocat. Cõstat enĩ ex duabus oppositis sententiis: Qui reprehendẽdum putat Rabiriũ, illi cõsentio: qui iugulandum, illi non consentio. Atq; hæc ferè totius est sũma, quod totum leuitati est cõparatum.

b Correctio est concessionis superioris. Nihil solitariũ oratores ponunt sicuti nec natura in homine aliquod solitarium membrum fecit. Ergo πρόσληψιν hîc Cicero facit. c Explicatio eius quod dixit, euentus ponderari cõsilia. Est autẽ cõparatio generalis cõtrariorum per ἀντιστροφήν, duo in duobus comparantur.

tus est P. Deciũ filius. Sint igitur similia Iudices parua magnis. [a] fuit enim pueris nobis huius pater C. Curius princeps ordinis Equestris, fortissimus & maximus publicanus: cuius in negotiis gerendis magnitudinem animi nontam homines probassent, nisi in eodẽ benignitas incredibilis fuisset, ut in augenda re non auaritiæ praedam. sed instrumentũ bonitati quærere uideretur. [b] Hoc ille natus, quãuis patrem suum nunquam uiderat, tamẽ & natura ipsa duce, quæ plurimum ualet, & assiduis domesticorum sermonibus, in paternæ culpæ similitudinem deductus est. [c] multa gessit: multa cõtraxit: magnas parteis habuit publicanorum: credidit populis: in pluribus prouinciis eius uersata res est: dedit se etiã Regibus, huic ipsi Alexandrino grandem iam antea pecuniã credidit. nec interea locupletare amicos unquã suos destitit, mittere in negotiũ, dare parteis, augere, fide sustentare. quid multa? cùm magnitudine animi, tum liberalitate, uitam patris & cõsuetudinem expresserat. pulsus interea regno Ptolemæus dolosis consiliis (ut dixit Sibylla, sensit Posthumus) Romam uenit. huic egenti, & rogãti hic infelix pecuniam credidit: nec tum primum nam regnanti crediderat absens: nec temere se credere putabat, quòd erat nemini dubium, quin is in regnũ restitueretur à Senatu populóq; Ro. In dando autem & credendo processit longius: nec suam solùm pecuniã credidit, sed etiam amicorum stultè quis negat? aut quis iam non admonet? quod malè cecidit, bene consultũ putares. Id est difficile, quod cum spe magna sis ingressus, id nõ exequi usq; ad extremũ. Supplex erat Rex, multa rogabat, omnia pollicebatur: ut iã metuere Posthumus cogeretur, ne quod crediderat, perderet, si credendi constituisset modũ. nihil autẽ erat illo blandius, nihil hoc benignius: ut magis pœniteret

a Narratio est quæ accommodationem explorum habet.

b Accommodatio est corsi quæ dixit ad ostendendam rei similitudinem: à patris enim mentione hãc narrationem instituit, vt peccatũ ejus in Posthumi peccato cõiungat. Est autem περίοδος ἀκόλουθος, non vera periodus. vera enim periodus illustris est, & vt Aristoteles ait εὐφραστος, nec interposita habet ὑπέρβατα.

c Amplificatio per cõgeriem & ἐπιμονὴν, quæ fit, cùm vnã hæremus per συνανατροπὰς & spiritus productionem. id quod in rebus grauibus facere solemus. Vel enim in commoratione vtimur productione spiritus, qđ per periodũ fieri non potest: vel in rebus diuersis vbi etiam membris vtimur. Sic quod ante dixit, exponit.

ret cœpisse, quàm liceret desistere.[a] Hinc primũ exoritur crimen illud: Senatũ corruptũ esse dicunt.[b] O dij immortales hæc est illa exoptata iudiciorum seueritas? corruptores nostri causam dicunt: nos qui corrupti sumus, non dicimus. Quid ego Senatũ defendam hoc loco Iudices? omni equidem loco debeo: ita de me est meritus ille ordo: sed id nec agitur hoc tempore,[c] nec cum Posthumi causa res ista coniuncta est. Quanquam ad sumptũ itineris, ad illam magnificentiã apparatus, comitatúmq; regium suppeditata pecunia à Posthumo est, factæq; syngraphæ sunt in Albano Cn. Põpeij, cùm ille Roma profectus esset:[d] tamen non debuit is qui dabat, quò ille qui accipiebat, consumeret, quærere. nõ enim latroni, sed Regi credidit: nec Regi inimico Pop. Ro. sed ei cuius reditũ Cõsuli datum à Senatu uidebat: nec ei Regi qui alienus ab hoc imperio esset, sed ei quicum fœdus ferirj in Capitolio uiderat. Quòd si creditor in culpa sit, non qui improbè credita pecunia usus: damnetur is, qui fabricatus gladium est, & uendidit, non is qui illo gladio ciuem aliquem interemit. Quamobrem neq; tu C. Memmi hoc facere debes, ut Senatũ, cuius autoritati te ab adolescentia dedisti, in tãta infamia uersari uelis, neq; ego id, quod non agitur, defendere. Posthumi enim causa, quæcunq; est, seiuncta à Senatu est. Quòd si item à Gabinio seiũctam ostendero, certè quod dicas, nihil habebis. est enim hæc causa, quo ea pecunia peruenerit, quasi quædam appendicula causæ iudicatæ atq; damnatæ. sunt lites æstimatæ A. Gabinio, nec prædes dati, nec ex eius bonis quãta summa litium fuisset, à populo recipi, lex æqua est. Iubet lex Iulia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quã is ceperit qui damnatus sit, peruenerit. Si est hoc nouũ in lege Iulia, sicuti multa sunt seuerius scripta, quàm in an

a Absoluta est ita narratio quã totam diximus esse διηγηματικὴν, i. ad cõfirmationem accommodatam adiunctis rationibus breuibus.

b Defensio παραγραφικὴ, & criminis remotio. non enim cũ corruptore, sed cum corrupto agendum contendit. Illam autem παραγραφὴν in lege esse necesse est, quã tamen explicare non est opus, cùm leges iudici semper debent esse notissimæ: Pro explicatione ergo exclamatione utitur. Est autẽ μέθοδος ἐγχειρηματική.

c Complexio. hac enim παραγραφὴ ista tractatur. Nã duo cõplectitur, & illa remouet.

d Defensionis absolutæ initium τῆς ἀντιλήψεως: dicit enim reddè se credidisse Regi pecuniam.

in antiquis legibus, & ſanctius iudicata: ſanè etiam conſuetudo huius generis iudiciorum noua: ſin hoc totidem uerbis tranſlatum caput eſt, quot fuit non modò in Cornelia, ſed etiam antè in lege Seruilia: per deos immortales quid agimus Iudices? aut quem hunc morem nouorum iudiciorum in Remp. inducimus? Erat enim hæc conſuetudo nota uobis quidem omnibus: ſed ſi uſus magiſter eſt optimus, mihi debet eſſe[a] notiſſima.[b] Accuſaui de pecuniis repetundis, Iudex ſedi, Prætor quæſiui, defendi plurimos: nulla pars, quæ aliquam facultatem dicendi afferre poſſet, non mea fuit. ita contendo, neminem unquam, quo ea pecunia peruenisſet, cauſam dixiſſe, qui in æſtimandis litibus appellatus non eſſet: in litibus autẽ nemo appellabatur, niſi ex teſtium dictis, aut tabulis priuatorum, aut rationibus ciuitatum. Itaq; in ferendis litibus adeſſe ſolebãt, qui aliquid de ſe uerebãtur: & cùm erant appellati, ſi uidebatur ſtatim contradicere ſolebãt: ſin eius temporis recentem inuidiam pertimuerant, reſpondebant poſtea. quod cùm feciſſent, permulti ſæpe uicerunt. hoc uerò nouum eſt, ante hoc tempus omnino inauditum: in litibus Poſthumi nomen eſt nunquam. in litibus dico? modò uos iidem in A. Gabinium iudices ſediſtis.[c] num quis teſtis Poſthumum appellauit? teſtis autem? num accuſator? num denique toto illo iudicio Poſthumi nomen audiſtis?[d] Non igitur reus ex ea cauſa, quæ iudicata eſt, redundat Poſthumus, ſed eſt arreptus unus Eques Ro. de pecuniis repetũdis reus. quib. tabulis? quæ in iudicio à Gabinio recitatæ non ſunt. quo teſte? à quo tum appellatus nuſquã eſt. qua appellatione litiũ? in qua Poſthumi mẽtio facta nulla eſt. qua lege? qua nõ tenetur. Hîc iam Iud. neſtri conſilij res eſt, neſtræ ſapientiæ: quid deceat nos, non quantum liceat nobis, ſpectare debetis, ſi enim

a Eſt hîc quædã ἀνακολουθεία: debebat enĩ reſpõdere cõſuetudini, vt diceret notiſſima.

b Diſtributio eius quod dixit. Si vſus magiſter, &c. Vſus iudiciorũ in quatuor cõſtitit: in accuſando, in defendẽdo, iudicando, præſidẽdo. Ea quatuor hîc enumerat, & oſtendit ſe maximũ habere vſũ. Debet autẽ enumeratio mẽbris breuib⁹ fieri, nõ periodis: ideo περιοδικὸν hîc eſt.

c Hîc incipit remotio.

d Concluſio remotionis.

enim quid liceat quæritis, poteſtis tollere è ciuitate quem uultis. tabella eſt, quæ dat poteſtatẽ, occultat eadem libidinem. cuius conſcientia nihil eſt quod quiſquam timeat, ſi non pertimeſcat ſuam. [a] *Vbi eſt igitur ſapientia Iudicis? in hoc, ut non ſolùm quid poſſit, ſed etiam quid debeat,* [b] *ponderet: nec quantum ſibi permiſſum, meminerit ſolùm, ſed etiam quatenus commiſſum ſit. Datur tibi tabella iudicij. qua lege? Iulia de pecuniis repetundis. quo de reo? de Equite Ro. at iſte ordo lege ea nõ tenetur. illo, inquit, capite, quod erat in Poſthumum, quòd in Gabinium iudex eſſes. nihil Gabinio datum, cùm in eum lites æſtimarentur. at nunc audio. reus igitur Poſthumus eſt ea lege, qua non modò ipſe, ſed totus etiam ordo ſolutus ac liber eſt. Hîc ego nunc non uos prius implorabo Equites Rom. quorum ius iudicio tentatur, quàm uos Senatores,* [c] *quorum agitur fides in hunc ordinem: quæ quidem cùm ſæpe antè, tum in hac ipſa cauſa nuper eſt cognita. nam cùm optimo & præſtantiſſimo Conſule Cn. Pompeio de hac ipſa quæſtione referente, exiſterent nonnullæ, ſed perpaucæ tamen acerbæ ſententiæ, quæ cenſerent, ut Tribuni, ut Præfecti, ut Scribæ, ut comites omnes magiſtratuum lege hac tenerentur: uos, uos, inquam, ipſi & Senatus frequens reſtitit: & quanquam tum propter multorum delicta etiam ad innocentium periculum tempus illud exarſerat, tamen cùm odium non reſtingueretis, huic ordini ignem nouum ſubiici non ſiuiſtis. Hoc animo igitur Senatus,* [d] *quid uos Equites Romani, quid tandem eſtis acturi? Glaucia ſolebat homo impurus, ſed tamen acutus populum monere, ut cùm lex aliqua recitaretur, primùm uerſum attenderet: ſi eſſet, Dictator, Conſul, Prætor, Magiſter Equitũ, ne laboraret, ſciret nihil ad ſe pertinere: ſi nautem, Quicunque: poſt hanc*

a Commonitio.

b Id eſt, diligenter conſideret. Menſurarum proprie eſt, nec eſt graue vocabulũ, ſed trãſlatum eſt grauiſſimum, vt hîc. Eſtque ἐπεξεργασία cõmoratio: quã Hermogenes ἐπιμονὴν vocat.

c Id eſt, periclitetur. Vtimur hoc verbo in reb. periculoſis. Vide adagium ἄγεσθαι καὶ φέρεσθαι.

d Iam ad equites venit: nec tã argumentationi inſeruit, quàm animorum exoreſtationi.

hanc legem: uideret nequa noua quæstione alligaretur. Nunc uos Equites Rom. uidete. scitis me ortum è uobis: omnia semper sensisse pro uobis: nihil horum sine magna cura, & summa charitate uestri ordinis loquor: alius alios homines & ordines, ego uos semper cõplexus sum. moneo & prædico, integra re causáque denuntio, omnes homines deóq; testor, dum potestis, dum licet, prouidete, ne duriorem uobis conditionem statuatis, ordiniq; uestro, quàm ferre possit. serpet hoc malum (mihi credite) longius, quàm putatis. Potentissimo & nobilissimo Tribuno pleb. M. Druso unam in equestrem ordinem quæstionem ferẽti, Si quis ob rem iudicatam pecuniã cepisset: apertè Equites Ro. restiterunt. quid? hoc licere uolebãt? minimè: neq; solùm hoc genus pecuniæ capiendæ turpe, sed etiam nefarium arbitrabantur. attamen ita disputabãt, eos teneri legibus oportere, qui suo iudicio essent illã conditionẽ iuitæ secuti.[a] delectat amplissimus ciuitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, prouinciæ, sacerdotia, triumphi, deniq; imago ipsa ad posteritatis memoriam posita est: simul etiam solicitudo aliqua, & legum & iudiciorum maior quidam metus. nos ista nunquam contempsimus (ita enim disputabant) sed hanc uitã quietã, atq; otiosam secuti sumus. quæ quoniam honore caret, careat etiã molestia.[b] Tam es tu Iudex, quàm ego Senator. ita est: sed tu istud petiisti, ego hoc cogor. quare aut iudici mihi non esse liceat, aut legem lege Senatoria non timere.[d] Hoc uos Equites Ro. ius à patribus acceptũ amittetis? moneo ne faciatis. rapientur homines in hæc iudicia ex omni nõ modò inuidia, sed sermone maleuolorum, nisi cauetis. Si iam uobis nũtiaretur in Senatu sententias dici, ut his legibus teneremini, concurrendum ad curiam putaretis: si lex ferretur, conuolaretis ad rostra. uos Senatus liberos hac

a Comparatio iam sequitur: Cõfert enim ordinis senatorium cum equestri.

b Altercatio est & occupatio. Est enim aduersariorum cõtra exceptionẽ obiectio.

c Redit ad cohortationem.

hac lege esse noluit, populus nunquã alligauit: soluti huc conueniſtis: ne cõstricti diſcedatis, cauete. [a] nam si Posthumo fraudi fuerit, qui nec Tribunus, nec præfectus, nec ex Italia comes, nec familiaris Gabinij fuit: quonam se modo defendẽt posthac, qui uestri ordinis cum magistratibus nostris fuerint his causis implicati? Tu, inquit, Gabiniũ, ut Regem reduceret, impuliſti. [b] Non patitur mea etiam fides de Gabinio grauius agere. [c] quem enim ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderim, hunc afflictum uiolare non debeo. quocum ſtante ſi me Cn. Põpeij autoritas in gratiã nõ reduxiſſet, nunc iam ipſius fortuna reduceret. [d] ſed tamen, cùm ita dicis, Posthumi impulsũ Gabinium profectum Alexandriam: ſi defenſioni Gabinij fidem non habes, obliuiſcériſne etiam accuſationis tuæ? Gabinius ſe id feciſſe dicebat Reipub. cauſa, quòd claſſem Archelai timeret, quod mare refertum fore prædonum putaret. lege etiam id ſibi licuiſſe dicebat. tu inimicus negas: ignoſco, & eò magis, quòd eſt contra illud iudicatum. Redeo igitur ad crimen & accuſationem tuã. Quid uociferabare decem millia talentûm Gabinio eſſe promiſſa? huic uidelicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, ut tu uis, auariſſimum exoraret, [e] ſeſtertiûm bis millies & quadringenties ne magnopere contemneret. Gabinius illud quoquo conſilio fecit, fecit certè ſuo: quacunque mens illa fuit, Gabinij fuit. ſiue ille, ut ipſe dicebat, gloriã ſiue, ut tu uis, pecuniam quæſiuit, quæſiuit ſibi. [f] Num Gabinij comes uel ſectator? negat: non ad Gabinij, cuius id negotium nõ erat, ſed ad P. Lentuli clariſſimi uiri autoritatẽ, à Senatu profectam, & conſilio certo, & ſpe non dubia, Romã contenderat. At Dicæcetes fuit regius, & quidem in cuſtodia etiam fuit regia: & uita eius oblata pœna eſt.

a A minori ad maius argumentatur. omnia ſingularia ſunt ἀσυλλόγιστα.

b μετάληψις, ſuſpicionis obiectæ inficiatio & ἀπόδειξις. Teſtimonio enim Rabirii probat Rabiriũ eſſe extra cauſam.

c πιθανὴ ἀπολογία, probabilis ratio.

d Partitio eſt huius refutationis κατασκευή.

e Remotio ſigni, argumenti probabilis.

f Locus eſt vitioſus, nec ſententia ſatis explicata. Ego legendũ puto. Nam Gabinii, &c.

multa præterea, quæ libido Regis, quæ necessitas coegit ferre, pertulit. quarum omnium rerum una reprehensio est, quòd regnum intrarit, quòd potestati se Regis commiserit. uerum si quærimus: stultè. quid enim stultius, quàm Equitem Ro. ex hac urbe, huius, inquam, Reip. ciuem, quæ est una maximè, & fuit semper libera, uenire in eum locum, ubi parendum alteri & seruiendum sit? Sed ego in hoc tandẽ Posthumo non ignoscã homini mediocriter docto, qui uideam sapientissimos homines esse lapsos? uirum unũ totius Græciæ facilè doctissimum Platonem, iniquitate Dionysii Siciliæ Tyranni, cui se ille commiserat, in maximis periculis insidiisque esse uersatum accepimus: Callisthenem doctum hominem, comitem Magni Alexandri, ab Alexandro necatũ: Demetrium & ex Rep. Athenis quam optimè digesserat, & ex doctrina nobilẽ & clarum, qui Phalereus uocitatus est, in eodem isto Aegypti regno aspide ad corpus admota uita esse priuatum. Planè confiteor fieri nihil posse dementius, quàm sciẽtem in eum locum uenire, ubi libertatem sis perditurus: sed huius istius facti stultitiam maior iam superior stultitia defendit: quæ facit, ut hoc stultissimum facinus, quòd in regnũ uenerit, quòd Regi se commiserit, sapienter factum esse uideatur. siquidem tã semper stulti, quàm serò sapientis est, cùm stultitia sua impeditus sit, quoquo modo possit, se expedire. [a] *Quamobrem illud maneat, & fixum sit, quod neq; moueri neq; mutari potest: in quo æqui speraſſe Posthumum dicunt. peccasse iniqui, ipse etiã insanisse se cõfitetur, & suã, quòd amicorum pecuniam Regi crediderit cum tãto fortunarũ suarum periculo. Hoc quidẽ semel suscepto atque cõtracto, perpetiẽda illa fuerũt, ut se aliquãdo ad suos uindicaret. Itaq; obiicias licet quàm uoles sæpe, palliatum fuisse, aliqua*

a Conclusio una periodo comprehensa.

qua habuisse non Rom. hominis insignia: quoties eorum quippiam dices, toties unum dices, atque illud, temere hunc pecuniam Regi credidisse, suas fortunas, atq; famã libidini regiæ commisisse. Fecerat temere: [a] *fateor: mutari factum iam nullo modo poterat: aut pallium sumendum Alexandriæ, ut & Romæ togato esse liceret: aut omnes fortunæ abiiciendæ, si togam retinuisset. Deliciarũ causa & uoluptatis, non modò ciueis Rom. sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam Senatores summo loco natos, non in hortis aut suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpe uidemus. chlamydatum illum L. Syllam Imperatorẽ, L. uerò Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochúmq; deuicit, non solùm cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuã uidetis. quorũ impunitas fuit nõ modò à iudicio, sed etiã à sermone. Facilius certè P. Rutiliũ Rufum necessitatis excusatio defendet: qui cùm à Mithridate Mytilenis oppressus esset, crudelitatem Regis in togatos uestitus mutatione uitauit. Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris uirtutis, antiquitatis, prudentiæ, Consularis homo soccos habuit, & pallium: nec uerò ideo id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putauit.* [b] *Posthumo crimen uestitus afferet is in quo spes fuit, posse sese aliquando ad fortunas suas peruenire? Nam ut uentum est Alexandriam ad Auletem Iudices, hæc una ratio à Rege proposita Posthumo est seruandæ pecuniæ, si curationem & quasi dispensationẽ regiam susciepisset. id autem facere nõ poterat, nisi Diœcetes: hoc enim nomine utitur, qui à Rege esset constitutus. Odiosum negotiũ Posthumo uidebatur: sed erat* [c] *nulla omnino recusatio. molestiũ etiam nomẽ ipsum: sed res habebat nomẽ hoc apud illos, nõ hic imposuerat. oderat uestitum*

a Reiectio causæ in necessitatem.

b Assumptio cõparationis: Si maiori licet, qđ minus licet, etiam licet minori qđ magis licet.

c Id est, fecit necessario. ἀντιπαράλλαξις est (sic enim Aristoteles vocat libro 3. Rhet.) dispensatio.

ſtitum etiam illum, ſed ſine eo nec nomen illud poterat, nec munus tueri. [a] *Ergo aderat uis (ut ait Poeta ille noſter) quæ ſummas frangit infirmátq; opes.* [b] *Moreretur, inquies. nam id ſequitur: feciſſet certè, ſi ſine maximo dedecore tam impeditis ſuis rebus potuiſſet emori.* [c] *Nolite igitur fortunam conuertere in culpam: neq; Regis iniuriam, huius crimen putare: nec conſilium ex neceſſitate, nec uolũtatem ex ui interpretari, niſi forte eos etiam, qui in hoſtes, ut in prædones inciderint, ſi aliter quippiam coacti faciant, quàm liberè, uituperandos putes. Nemo noſtrum ignorat, etiam ſi experti non ſumus, conſuetudinem Regiam. Regum autem ſunt hæc imperia, Animaduerte, & dicto pare. &, præter rogitatum ſi querare: & illæ minæ, Si te ſecundo lumine hîc offendero, moriere. quæ non ut delectemur ſolũ legere & ſpectare debemus, ſed ut cauere etiam & effugere diſcamus. At ex hoc ipſo crimen exoritur. ait enim, dum Gabinio pecuniam Poſthumus cogeret ex decumis Imperatorum, pecuniã ſibi coegiſſe.* [d] *non intelligo, hoc quale ſit: utrum acceſſionem decumæ, ut noſtri facere coactores ſolent, centeſima, an deceſſionem de ſumma fecerit. ſi acceſſionem undecim millia talẽtûm ad Gabinium peruenerunt. at non modò abs te decem millia obiecta ſunt, ſed etiam ab his æſtimata. Addo illud etiam: quî tandẽ conuenit, aut tã graui onere tributorum ad tãtam pecuniam cogendã mille talentûm acceſſionẽ eſſe factam: aut in tãta mercede hominis, ut uis, auariſſimi, mille talẽtûm deceſſionẽ eſſe cõceſſam? neq; enim fuit Gabinij, remittere tãtũ de ſuo: nec Regis, imponere tantũ pati ſuis. Aderũt teſtes Legati Alexãdrini. hi nihil in Gabiniũ dixerũt. imò hi Gabiniũ laudauerũt. ubi ergo ille mos? ubi cõſuetudo iudiciorum? ubi exempla? ſolétne is dicere in eũ, qui pecuniã redegit, qui*

a Concluſio ſententioſa & μεταληπτική, quæ vim habet propter autoritatẽ teſtimonii.

b Defenſio oratoria, nulla enim alia ratione vis euitari poteſt.

c ἐπιχειρασία concluſionis illi⁹ paruæ, ornata ἀντιθέσει, oppoſitione rerum differentiũ, quæ apud oratores, ſæpe vt contraria tractãtur.

d Dilemma eſt, quod non ſolum remotionem habet, ſed etiã conſequentis refutationẽ: vel ex acceſsione habet vel deceſsione. Sed neq; ex acceſsione, neq; ex deceſsione habet: ergo non habet.

qui in illum cuius nomine ea pecunia redigeretur, nõ dixerit? Agè si is, qui non dixit, solet: etiámne is solet, qui laudauit? iisdem testibus, & quidem non productis, sed dictis testium recitatis, quasi præiudicata res ad has causas deferri solet? [a] *Et ait etiam meus familiaris & necessarius, eandem causam Alexandrinis fuisse, cur laudarent Gabinium, quæ mihi fuerat, cur eundẽ defenderẽ.* [b] *Mihi C. Memmi causa defendendi Gabinij fuit reconciliatio gratiæ. neq; me uerò pœnitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. nam si me inuitum putas, ne Cn. Pompeij animum offenderem,* [c] *defendisse: causam, & illum, & me uehementer ignoras. neq; enim Pompeius me sua causa quicquam facere uoluisset inuitum: neq; ego, cui omnium ciuium libertas charissima fuisset, meam proiecissem, quandiu inimicissimus Gabinio fui, nõ amicissimus mihi non Põpeius fuit: nec, postea quàm illius autoritate eã dedi uenia quã debui, quicquã simulaui: ne cum mea perfidia illi etiam ipsi facerem, cui beneficium dedissem, iniuriam.* [d] *nam non redeundo in gratiã cum inimico, non uiolabã Pompeiũ. si per eum reductus insidiosè redissem, me scilicet maximè, sed proximè illum quoq; fefellissem.* [e] *At de me omittamus: ad Alexandrinos istos reuertamur. quod habent os? quam audaciam? modò uobis inspectantibus in iudicio Gabinij tertio quoq; uerbo excitabantur. negabãt pecuniam Gabinio datam: recitabatur idẽtidem Põpeij testimonium: Regem ad se scripsisse, nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem militarẽ datam. non est, inquit, tum Alexandrinis testibus creditum. quid? postea creditum? nõ. quamobrẽ? quia nunc aiũt, quod tum negabant.* [f] *quid ergo? ista conditio est testium? ut quibus creditum non sit negantibus, iisdẽ credatur dicentibus?* [g] *At si uerũ tũ cùm ueriſſima*

a Alia occupatio aduersarii.

b ἀπόστασις ad defensionẽ sui officii, quæ est ἀντιληπτική.

c Silicet Gabinium.

παρήχησις, in offendendo & defendendo. Est autem παρήχησις, cùm vel verbum nõnihil mutatur vel res & significatũ, vel vtrunq; vt in hoc loco.

d Expositio pulcherrima.

e Fecit declinationem Cicero à refutatione testium ad tractationem sui officii. Nunc ad refutationem redit, idque per ἀποδιάξιν.

f Indignatio oratoria quæ tractatur per contraria in quibus etiã aliquãdo similitudines locum habent.

g Cõplexio cujus aliquãdo tres sunt partes, Propositio, Remotio, Conclusio. Hic propositionem non habet, sed remotionem & conclusionem solum.

fronte dixerunt, nunc mentiuntur: si tunc mẽtiti sunt, doceant nos uerum. quid uultis? si leãt. dicere audiebamus, Alexandriam nunc cognoscimus: illinc omnes præstigiæ, illinc, inquam, omnes [a] *fallaciæ, omnia denique ab his numerorum argumenta nata sunt. nec mihi longius quicquam est Iudices, quàm uidere hominum uultus. dixerunt hîc modò nobiscum ad hæc subsellia, quibus supercilijs renuentes huic decem millium crimini? iam nostis insulsitatem Græcorum. humeris gestum agebant. tum temporis* [b] *credo causa, nunc scilicet tempus nullum est. ubi semel quis peierauerit, ei credi posteà, etiam si per plureis deos iuret, non oportet:* [c] *præsertim Iudices, cùm in his iudiciis, ne locus quidem nouo testi soleat esse: ob eamque causam iidem iudices retineantur, qui fuerint de reo: ut his nota sint omnia, neq; quid fingi noui possit. lites, quò ea pecunia peruenerit, non suis propriis iudiciis, sed in reum factis condemnari solent. Itaque si aut prædes dedisset Gabinius, aut tãtum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, populus recepisset: quanuis magna ad Posthumum ab eo pecunia peruenisset, non redigeretur: ut intelligi facile possit, quod ex ea pecunia ad quem eorum, qui damnatus est, peruenisse in illo primo iudicio planum factum sit, id hoc genere iudicij redigi solere.* [d] *nunc uerò quid agitur? ubi terrarum sumus? quid tam insolens, tam peruersum præposterúmue dici, aut excogitari potest? Accusatur is, qui non abstulit à Rege, sicut Gabinius iudicatus est, sed qui maximam Regi pecuniam credidit. ergo is Gabinio dedit, qui non huic reddidit. iã cedò, cùm is, qui pecuniã Posthumo debuit, non huic, sed Gabinio dederit: condẽnato Gabinio, utrum illi eam pecuniam reddidit, an etiam nunc debet? At habet, & celat: sunt enim qui ita loquãtur.* [e] *quod genus*

[a] Quia hypallage usus est, ideo addit proprium.

[b] Ironia.

[c] Comprehensio generis & speciei.

[d] Exclamat & ostendit hoc iudicium omnino nõ pertinere ad Rabirium.

[e] Indignatio loco inficiationis posita.

nus tandem est istud ostentationis, & gloriæ? si nihil habuisset unquam, tamen si quæsisset, cur is dissimularet habere, causa non esset. qui uerò duo lauta, & copiosa patrimonia accepisset, rémq; præterea bonis & honestis rationibus auxisset: quid esset tãdẽ causæ, cur existimari uellet nihil habere? [a] *An cùm credebat inductus usuris, id agebat, ut haberet quãplurimum? posteaquam exegit, quod crediderat, ut existimaretur egere, nouum genus hoc gloriæ concupiscit? Dominatus est enim, inquit, Alexandriæ. imò uerò in superbissimo dominatu fuit: pertulit ipse custodiã: uidit in uinculis familiareis suos: mors ob oculos sæpe uersata est: nudus atque egens ad extremum fugit è regno.* [b] *At permutata* aliunde pecunia est: ductæ naues Posthumi Puteolis sunt: auditæ uisæq; merces fallaces quidem, & fucosæ, chartis, & linteis, & uitro delatæ: quibus cùm multæ naues refertæ fuissent, una non patuit parua, & arctata.* Quid amplius? ille Puteolanus sermo illius temporis, nectorúmq; cursus, atq; ostentatio, tum subinuisum apud maleuolos Posthumi nomen propter opinionem pecuniæ nescio quam, æstatem unam complures aures refersit istis sermonibus.* [c] *Verum autem Iud. si scire uultis, nisi C. Cæsaris summa in omneis, incredibilis in hunc eadem liberalitas extitisset, nos hunc Posthumum iampridem in foro non haberemus. ille onera multorum huius amicorum excepit unus: quæq; multi homines necessarij secundis Posthumi rebus descripta sustinuerunt, nunc eius afflictis fortunis uniuersa sustinet. Vmbram Equitis Ro. & imaginẽ uidetis Iudices unius amici conseruatã auxilio, & fide. nihil huic eripi potest præter hoc simulacrum pristinæ dignitatis, quod Cæsar solus tuetur, & sustinet: quæ quidem in miserrimis rebus huic tamẽ tribuẽda est maxima. nisi uerò*

a Alia obiectio quæ tamen ad priorẽ pertinet.

b Nona obiectio quæ etiam ad octauam referẽda est de pecunia permutata, atq; occultata.

* *aliquando*

* *Plus ille Puteol.*

c Declinatio est à refutatione ad epilogũ, quæ captata est à persona C. Iulii Cæsaris.

uerò hoc mediocri uirtute effici potest, ut tantus ille uir tanti ducat hunc, & afflictum præsertim, & absentẽ, & in tanta fortuna sua, ut aliena respicere magnũ sit: tanta oppugnatione maximarum rerum quas gerit, atq; gessit, ut uel obliuiscì aliorum non sit mirum, uel si meminerit, oblitum esse facilè possit probare. Multas equidem C. Cæsaris uirtutes, magnas, incredibileisq; cognoui. sed sunt cæteræ maioribus quasi theatris propositæ, & penè populares. castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes, a aciem hostium profligare, hanc uim frigorum hyemémq;, quam nos uix huius urbis tectis sustinemus, excipere, his ipsis diebus hostem persequi, tum, cùm etiam feræ latibulis se tegant, atq; omnia bella iure gentium conquiescant. sunt ea quidem magna: quis negat? sed magnis excitata sunt præmiis ad memoriã hominum sempiternam. quò minus admirandum est, eum facere illa, qui immortalitatem cõcupiuerit. Hæc mira laus est, quæ non poëtarum carminibus, non annalium monimẽtis celebratur, sed prudentiũ iudicio expenditur. Equitem Romanũ ueterem amicum suum, studiosum, amantẽ, obseruantem sui, non libidine, non turpibus impensis cupiditatũ, atq; iacturis, sed experientia patrimonij amplificandi, labentẽ excepit, corruere non siuit, fulsit & sustinuit, re, fortuna, fide, hodiéq; sustinet, nec amicum pendẽtem corruere patitur, nec illius animi aciem perstringit splendor sui nominis, nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunæ, & gloriæ. b Sint sanè illa magna, quæ reuera magna sunt: de iudicio animi mei, ut uolet, quisq; sentiat, ego enim hãc in tantis opibus, tãta fortuna, liberalitatem in suos, memoriam amicitiæ, reliquis uirtutibus omnibus antepono. c Quã quidẽ nos Iud. in nouo genere bonitatẽ inusitatam claris ac præpotentibus

a id est hostes: Synecdoche.

b Hic desinit eõ paratio.

c Locus de Cæsare, vt dixi ad extremũ reseruatus est, quia maximè ad cõmouẽdũ & territandũ valebat. Hic commonefacit Iudices, & nonnihil etiam territat.

tibus uiris non modò non aſpernari ac refutare, ſed complecti etiam, & augere debetis, & eò magis quòd uidetis hos quaſi ſumptos dies ad labefactandum illius dignitatem ex qua illi nihil detrahi poteſt, quod non aut fortiter ferat, aut facilè reſtituat. amiciſſimum hominẽ ſi honeſtate ſpoliatum audierit, nec ſine magno dolore feret, nec id amiſerit. quod poſſe ſperet recuperari. [a] *Satis multa hominibus non iniquis hæc eſſe debent, nimis etiã multa uobis, quos æquiſſimos eſſe confidimus.* [b] *Sed ut omnium uel ſuſpicioni, uel maleuolentiæ, uel crudelitati ſatisfiat, occultat pecuniam Poſthumus, latent regiæ diuitiæ. ecquis eſt ex tãto populo, qui bona C. Rabirij Poſthumi numo ſeſtertio ſibi addici uelit?* [c] *Sed miſerum me, quanto hæc dixi cum dolore. hem Poſthume, túne es Curij filius, C. Rabirij iudicio, & uoluntate filius, natura ſororis filius? túne ille in omneis tuos liberalis? cuius multos bonitas locupletauit, qui nihil profudiſti, nihil ullam in libidinem contuliſti? tua Poſthume numo ſeſtertio à me addicuntur? O meum miſerum, acerbúmque præconium. At hoc etiã optat miſer, ut condemnetur à uobis: ita bona ueneãt, ut ſolidum ſuũ cuiq; ſoluatur: nihil iam aliud niſi fidẽ curat: nec uos huic, ſi iam obliuiſci ueſtræ manſuetudinis uolueritis, quicquam præterea poteſtis eripere. quod Iud. ne faciatis, oro obteſtórq; uos, atq; eò magis, ſi aduẽtitia pecunia petitur ab eo cui ſua nõ redditur. nam in eum, cui miſericordia opitulari debeat, inuidia quæſita eſt. Sed iam quoniam, ut ſpero, fidẽ, quam potui, tibi præſtiti Poſthume, reddam etiam lacrymas, quas debeo. quas quidem ego tuas in meo caſu plurimas uidi, uerſatur ante oculos luctuoſa nox meis omnibus, cùm tu totum te cum tuis copiis ad me detuliſti. tu comitibus, tu præſidio, tu etiam tanto pondere auri, quan-*

a Accõmodatio ad laudẽ iudicũ accõmodata, quã ideo poſt territationem interponit, ne ſtatim ad miſericordiã veniat.

b Hoc loco venit ad miſericordiã. Hæc nec nimis bonos nec nimis malos perſequitur, ſed medios inter hos qualis eſt Poſthumus. Ergo etiã mediã materiam inuenire oportet.

c Epilogus ſiue peroratio παθητική, in qua præcipuè quatuor agit. Primum enim ὀδυρμός eſt, querela de Poſthumi infortunio κατ' ἔπαινον, à commendatione Poſthumi, qua indignitatem rei oſtendit: Deinde oſtendit dolorem ſuum atque fletum & cauſas huius fletus indicat, beneficia Rabirii: Tertio metum ſuum atque ſolicitudinẽ indicat: Poſtremo iudices orat vt Rabirium abſoluant.

tum tempus illud postulabat, discessum illũ sustentasti: tu nunquam meis me absente liberis, nunquã coniugi meæ defuisti. Possum excitare multos reductos testes liberalitatis tuæ: quod sæpe audiui patri tuo, qui id fecisset, magno adiumẽto in iudicio capitis fuisse. sed iam omnia timeo: bonitatis ipsius inuidiã reformido. iã indicat tot hominũ fletus, quam sis charus tuis: & me dolor debilitat, includitq; uocẽ. a Vos obsecro Iudices, ut huic optimo uiro, quo nemo melior unquã fuit, nomen Equitis Rom. & curam huius lucis, & uestrum conspectum ne eripiatis. hic uos aliud nihil orat, nisi ut rectis oculis hãc urbẽ sibi intueri, atq; in hoc foro uestigiũ facere liceat: quod ipsum fortuna eripuerat, nisi unius amici opes subuenissent.

a Pars postrema perorationis ἀξίωσις, quæ habet σύνοψιν τῶν προειρημένων.

PRO M. MARCELLO

ORATIO XLI.

b Ordítur ab officio suo, debere se, Cæsaris clemẽtiã laudare. Ereſt prolepsis, cur eã hactenus tacuerit, nunc dicere incipiat.

DIVTVRNI b *silentij P. C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim uerecundia, finẽ hodiernus dies attulit: idémq; initium quæ uellem, quæq; sentirem, meo pristino more dicendi.* c *Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditámque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac penè diuinam tacitus nullo modo præterire possum. M. enim Marcello uobis P. C. Reiq; pub. reddito, non solùm illius, sed meã etiam uocem, & autoritatem, & uobis, & Reip. conseruatam ac restitutam puto. Dolebam enim P. C. ac uehementer angebar, cùm uiderẽ uirum talem, qui in eadem causa, in qua ego fuisset, nõ in eadẽ esse fortuna: nec mihi*

c Primò proponit, deinde subiũgit rationem, postremò explanat.

persua-

perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam, uerſari me in ueſtro [a] ueteri curriculo, illo æmulo atq; imitatore ſtudiorũ ac laborum meorum, quaſi quodam ſocio à me, & comite diſtracto. Ergo & mihi meæ priſtinæ uitæ conſuetudinem C. Cæſar intercluſam aperuiſti, & his omnibus ad bene de omni Rep. ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti. Intellectum eſt enim mihi quidem in multis, & maximè in me ipſo, ſed paulò antè in omnibus, cùm M. Marcellum Senatui Populóq; Rom. & Reip. conceſſiſti, commemoratis præſertim etiã offenſionibus, te auctoritatem huius ordinis dignitatémq; Reip. tuis uel doloribus uel ſuſpicionibus anteferre. Ille quidẽ fructũ omnis anteactæ uitæ hodierno die maximum cepit, cùm ſummo conſenſu Senatus: tum præterea iudicio tuo grauiſſimo & maximo. ex quo profectò intelligis, quãta in dato beneficio ſit laus, cùm in accepto tanta ſit gloria. [b] Eſt uerè fortunatus ille, cuius ex ſalute non minor penè ad omnes, quàm ad illũ uẽtura ſit, lætitia peruenerit. Quod ei quidem merito, atq; optimo iure contigit. quis enim eſt illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, aut innocẽtia, aut ullo genere laudis præſtantior? [c] Nullius tantũ eſt flumen ingenij, nulla dicendi aut ſcribendi tãta uis, tantáq; copia, quæ non dicã exornare, ſed enarrare C. Cæſar res tuas geſtas poſſit: tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his eſſe laudẽ ampliorem, quàm eam, quam hodierno die conſecutus es. [d] Soleo ſæpe ante oculos ponere, idq; libenter crebris uſurpare ſermonibus: omnes noſtrorum Imperatorũ, omnes exterarũ gentium, potentiſſimorúmq; populorũ, omnes clariſſimorum Regum res geſtas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero præliorũ, nec uarietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bello

a Metaphora à ludorum certaminibus.

b Epiphonema, quo prædicat felicitatẽ Marcelli, & perſonam extollit.

c Propoſitio.

d Confirmatio, quæ tota ampliſicatione conſtat.

bellorum posse conferri. nec uerò disiũctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quàm tuis non dicam cursibus, sed uictoriis illustratæ sunt. Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea uix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim: [a] sed tamen sunt alia maiora. nam bellicas laudes solent quidam extenuare uerbis, eásq; detrahere ducibus, cõmunicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorũ. & certè in armis militum uirtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multũ iuuant. maximam uerò partẽ quasi suo iure fortuna sibi uendicat, & quicquid est prosperè gestum, id penè omne ducit suum. At uerò huius gloriæ C. Cæsar. quã es paulò antè adeptus, socium habes neminem: totum hoc quantumcunque est, quod certè maximum est, totum est, inquam, tuum. nihil sibi exista laude Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius se societatem gloriæ non offert: tibi cedit: tuam esse totam, & propriam fatetur. [b] nũquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamẽ ea uicisti, quæ & naturam, & cõditionem ut uinci possent, habebãt. nulla est enim tãta uis, tanta copia, quæ non ferro ac uiribus debilitari, frangiq; possit: uerùm animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, aduersarium nobilitare, ingenio, uirtute præstantẽ non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum cum summis uiris cõparo, sed simillimũ deo iudico. [c] Itaq; C. Cæsar bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solùm

a Subiungit clementiæ laudem.

b Comparatio materiæ fortitudinis & clementiæ.

c Comparatio belliçæ gloriæ cũ laude moderationis.

lùm nostris, sed penè omnium gentiũ literis, atq; linguis, neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticesçet. Sed tamẽ eiusmodi res, nescio quomodo, etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, [a] obstrepi clamore militum uidentur, & tubarũ sono: at uerò cùm aliquid clementer, mansuetè, iustè, moderatè, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in uictoria, quæ natura insolens, & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur, non modò in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos sæpe quos nunquã uidimus, diligamus? [b] Te uerò, quẽ præsentem intuemur, cuius mentem, sensũs q; & os cernimus, ut quidquid belli fortuna reliquum Reip. fecerit, id esse saluũ uelis, [c] quibus laudibus efferemus? quibus studijs prosequemur? qua beneuolentia complectemur? [d] parietes mediusfidus C. Cæsar, ut mihi uidetur, huius curiæ tibi gratias agere gestiunt, quòd breui tempore futura sit illa autoritas in his maiorum suorum, & suis sedibus. Equidẽ cùm C. Marcelli, uiri optimi, & cõmemorabili pietate ac uirtute prædi ti lacrymas modò uobiscum uiderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conseruato, dignitatẽ suã reddidisti, nobilissimámq; familiã, iã ad paucos redactã, penè ab interitu uindicasti. Hũc tu igitur diẽ tuis maximis, & innumerabilibus gratulationib. iure antepones. [e] hæc enim res unius est propria Cæsaris: cætera duce te gesta, magna illa quidem, sed tamen multo magnóq; comitatu: huius autẽ rei tu idẽ es & dux, & comes: q̃ quidẽ tãta est, ut trophæis, monimentisq; tuis nulla unquã allatura sit finem ætas. nihil enim est opere aut manu factũ, quod aliquando non conficiat, & consumat uetustas. at uerò hæc tua iustitia, & lenitas animi floresçet quotidie magis,

a i. obscurari.

b Infert sententiam ex minori.

c Epiphonema hyperbolicum, quo sententiã cõcludit.

d Aetiologia.

e Conclusio huius loci, cum capitum repetitione.

magis, ita, ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et cæteros quidem omnes victores bellorũ ciuilium iam antè æquitate, & misericordia uiceras, hodierno uerò die te ipsum uicisti. [a] Vereor, ut hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atq; ego ipse cogitans sentio. ipsam uictoriã uicisse uidêris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. nam cùm ipsius victoriæ conditione iure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conseruati sumus. rectè igitur unus inuictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio uísq; deuicta est. [b] Atque hoc C. Cæsaris iudicium P. C. quàm latè pateat, attendite. omnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo Reipub. misero funestóq; compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, à scelere certè liberati sumus. nam cùm M. Marcellum deprecantibus nobis, Reip. conseruauit, memet mihi, & item Reip. [c] nullo deprecãte, reliquos amplissimos uiros, & sibi ipsis, & patriæ reddidit: quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipso in conspectu uidetis. Non ille hostes induxit in Curiã, sed iudicauit, à plerisq; ignoratione potius, & falso atq; inani metu, quàm cupiditate, aut crudelitate ciuile bellum esse susceptum. quo quidem in bello semper de pace agendum, audiẽdúmq; esse putaui, sempérq; dolui non modò pacem, sed orationem etiam ciuium pacem efflagitantium repudiari. neq; enim ego illa nec ulla unquã secutus sum arma ciuilia: sempérq; mea consilia pacis, & togæ socia, non belli, atq; armorum fuerunt. hominem sum secutus priuato officio, non publico: tantũq; apud me grati animi fidelis memoria ualuit, ut nulla nõ modò cupiditate, sed ne spe quidem, prudens & sciens tãquam ad interitũ ruerẽ uoluntariũ. Quod quidem meũ consilium minimè obscurũ fuit. [d] nã & in hoc ordine

a Vide amplificationem, qua semel occupat, quo maius dici non potest: itaq; præponit præparatiunculam.

b Alter locus amplificationis ex beneficii magnitudine.

c Locus ad amplificationem beneficii pertinet ab animo autoris.

d A suo testimonio.

ordine, integra re, multa de pace dixi, & in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi.[a] Ex quo nemo erit tam iniustus rerum æstimator, qui dubitet, quæ Cæsaris uoluntas de bello fuerit, cùm pacis autores conseruandos statim cẽ fuerit, cæteris fuerit iratior.[b] Atque id minus mirũ uideretur fortasse tum, cùm esset incertus exitus, & anceps fortuna belli:[c] qui uerò uictor, pacis autores diligit, is profectò declarat, maluisse se non dimicare, quàm uincere. Atq; huius quidem rei M. Marcello sum testis. nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tũ etiam in bello congruebant. quoties[d] ergo eum & quanto cum dolore uidi, cùm insolentiã certorum hominum, tum etiã ipsius uictoriæ ferocitatem extimescentẽ? Quò gratior tua liberalitas C. Cæsar nobis, qui illa uidimus, debet esse. non enim iam causæ sunt inter se, sed uictoriæ comparandæ. Vidimus tuam uictoriã præliorum exitu terminatam, gladium uagina uacuũ in urbe non uidimus. quos amisimus ciues eos Martis uis perculit, non ira uictoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret, quoniã ex eadem acie cõseruat, quos potest. Alterius uerò partis, nihil amplius eò dicã, quàm id quod omnes uerebamur, nimis iracundam futurã fuisse uictoriam. quidam enim nõ modò armatis, sed interdũ etiam otiosis minabantur: nec quid quisq; sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebãt: ut mihi quidem uideãtur dij immortales, etiam si pœnas à populo Ro. ob aliquod delictum expetiuerunt, qui ciuile bellum tantũ & tam luctuosum excitauerunt, uel placati iam, uel etiã satiati aliquando omnem spem salutis, ad clementiã uictoris & sapientiam contulisse.[e] Quare gaude tuo isto tam excellenti bono, & fruere cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis: ex quo

a Conclusio à signo, siue à cõsequentibus.

b Confirmatio ex tempore.

c Inducit assumptionem.

d Concludit ex amplificatione victoriarum.

e Iterata cõclusio, quam mox vertit in hortationem.

quo quidem maximus est fructus, iucunditásq; sapienti. cætera cùm tua recordabere, etsi persæpe uirtuti: tamen plerunq; felicitati tuæ congratulabere: de nobis, quos in Rep. tecum simul saluos esse uoluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapiẽtia tua cogitabis: quæ non modò summa bona, sed nimirum audebo uel sola dicere. tantus est enim splendor in laude uera, tanta in magnitudine animi & consilij dignitas, ut hæc à uirtute donata, cætera à fortuna commodata esse uideantur. Noli igitur in conseruandis bonis uiris defatigari, non cupiditate præsertim aut prauitate aliqua lapsis, sed opinio- officij, stulta fortasse certè non improba, & specie quadam Reipub. non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: contráque summa laus, quòd plerique minimè timendum fuisse senserunt. Nunc uerò uenio ad grauissimam querelam, & atrocissimam suspicionẽ tuam: quæ non tibi ipsi magis, quàm cùm omnibus ciuibus, tum maximè nobis, qui à te conseruati sumus, prouidẽda est. quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen uerbis extenuabo. [a] *tua enim cautio, nostra cautio est. ut si in alterutro peccandũ sit, malim uideri nimis timidus quàm parũ prudens.* [b] *Sed quisnã est iste tam demens, qui scilicet tibi insidiaretur? de tuí sne? tametsi qui magis sunt tui, quàm quibus tu salutẽ insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui unà tecum fuerunt? non est credibilis tantus in ullo furor, ut quo duce omnia summa sit adeptus huius uitam non anteponat suæ. At si tui nihil cogitant sceleris, cauendum est ne quid inimici.* [c] *qui? omnes enim qui fuerunt, aut sua pertinacia uitã amiserũt, aut tua misericordia retinuerũt: ut aut nulli supersint de inimicis, aut qui superfuerũt, amicissimi sint.* [d] *Sed tamẽ cũ in am*

a Concludit fibi fidem in hac parte orationis.

b Incipit argumentationem à diuisione, & ad remouẽdam criminis voluntatẽ, ex personarum qualitate.

c Alterum membrum diuisionis quod colligitur enumeratione.

d Concessione trãsit ad firmius argumentũ quod ducitur ex metu incõmodi si Cæsaris vita periclitetur.

in animis hominum tantæ latebræ sint, & tanti recessus, augeamus sanè suspicionem tuã: simul enim augebimus & diligentiam. nam quis est omniũ tam ignarus rerum, tam rudis in Republica, tam nihil unquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat tua salute contineri suam? & ex unius tui uitam pendere omnium? [a] *Equidem de te dies noctesq3, ut debeo, cogitans, casus dũtaxat humanos, & incertos euẽtus ualetudinis, & naturæ communis fragilitatẽ extimesco: doleóq3 cùm Resp. immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima cõsistere. si uerò ad humanos casus incertosq3 euẽtus ualetudinis, sceleris etiã accedat insidiarúmq3 cõsensio, quem deũ, etiã si cupiat, poitulari posse Reip. credamus?* [b] *Omnia sunt excitanda tibi C. Cæsar uni, quæ iacere sentis belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa atq3 prostrata: constituẽda iudicia, reuocãda fides, cõprimendæ libidines, propaganda soboles: omnia quæ dilapsa iam fluxerunt, seueris legibus uincienda sunt.* [c] *Non fuit recusandum in tanto ciuili bello, tantoq3 animorum ardore & armorum, quin quassata Resp. quicunq3 belli euentus fuisset, multa perderet & ornamenta dignitatis & præsidia stabilitatis suæ: multaq3 uterq3 dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuisset. quæ quidẽ nunc tibi omnia belli uulnera curanda sunt, quibus præter te mederi nemo potest. Itaq3 illã tuã præclarissimã & sapiẽtissimã uocẽ inuitus audiui: satis te diu uel naturæ uixisse, uel gloriæ: satis, si ita uis, naturæ fortasse: addo etiã, si placet, gloriæ: at, quod maximum est, patriæ certè parũ.* [d] *Quare omitte, quæso, istã doctorũ hominũ in contẽnenda morte prudentiã: noli nostro periculo sapiẽs esse. sæpe enim uenit ad aures meas, te idẽ istud nimis crebrò dicere, satis te tibi uixisse. credo: sed tum id audirẽ, si tibi soli*

a Amplificatio periculi ex præsenti statu Reip.

b Declarat quæ præstãda sint Cæsari, & est ratio præcedentis sententiæ.

c Redit ad intẽtionem, & ad reprehensionẽ delabitur.

d Concludit & reprehẽdit querelam Cæsaris.

a In salute Reip. amplificanda gloria Cæsaris.

uiueres, aut si tibi etiã soli natus esses: [a] *nũc cùm omnium salutem ciuium, cunctamq; Rempub. res tuæ gestæ complexæ sint, tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris. Hic tu modum tuæ uitæ, non salute Reip. sed æquitate animi definies? quid? si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est: cuius te esse auidissimum, quanuis sis sapiens, non negabis.*

b Occupatio, qua gloriã amplificãdam esse docet à persona Cæsaris.

Parúmne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? imò uerò aliis, quãuis multis satis: tibi uni parum. quicquid enim est, quamuis amplum sit, id certè parum est tum, cùm est aliquid amplius. Quòd si rerũ tuarum immortalium C. Cæsar hic exitus futurus fuit, ut deuictis aduersariis Rẽp. in eo statu relinqueres, in quo nunc est: uide quæso, ne tua diuina uirtus admirationis plus sit habitura, quàm gloriæ: siquidẽ gloria est illustris ac peruagata multorum & magnorum uel in suos ciues, uel in patriam, uel in omne genus hominum fama meritorum.

c Metaphora sumpta à fabulis scenicis, quæ in actus diuiduntur.

Hæc igitur tibi reliqua pars est: [c] *hic restat actus: in hoc elaborandum est ut Remp. constituas, eaq; tu in primis composita summa tranquillitate, & otio perfruare. tum te, si uoles, cùm & patriæ, quod debes, solueris, & naturam ipsam expleueris satietate uiuendi satis diu uixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cùm uenerit, omnis uoluptas præterita pro nihilo est, quia posteà nulla futura sit?*

d Corrigit reprehensione suam, & dicit Cæsarẽ sua sponte ad gloriã propensum esse.

quanquam iste tuus animus nunquã his angustiis, quas natura nobis ad uiuendum dedit, cõtentus fuit, semperq; immortalitatis amore flagrauit. Nec uerò hæc tua uita dicẽda est, quæ corpore & spiritu cõtinetur: illa, inquam, illa uita est tua Cæsar, quæ uigebit memoria seculorum omnium: quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. huic tu inseruias, huic te ostentes oportet:

quæ

quæ quidem, quæ miretur iampridem multa habet, nunc etiam, quæ laudet, expectat. obstupescent posteri certè imperia, prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monimenta, munera, triumphos audiẽtes & legentes tuos. sed nisi hæc urbs stabilita tuis consiliis & institutis erit, uagabitur modò nomen tuum longè, atq; latè, sedem quidem stabilem, & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio, cùm alij laudibus ad cœlum res tuas gestas efferent, alij fortasse aliquid requirent, idq; uel maximum, nisi belli ciuilis incendium salute patriæ restinxeris: ut illud fati fuisse uideatur, hoc cõsilij. [a] Serui igitur ijs etiã iudicibus, qui multis pòst seculis de te iudicabũt, & quidẽ haud scio, an incorruptius, quàm nos. nã & sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine inuidia iudicabunt. id autem, etiam si tunc ad te, ut quidam falsò putant, non pertinebit, nunc certè pertinet esse talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquã sit obliuio. [b] Diuersæ uolũtates ciuium fuerunt, distractæq; sententiæ, non enim consiliis solùm & studiis, sed armis etiã & castris dissidebamus. erat autem obscuritas quædam. erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset: multi, quid sibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret. perfuncta Respub. est hoc misero fatalíque bello: uicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret: neq; omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exilio, aut morte dignos iudicaret. arma ab aliis posita, ab aliis erepta sunt. ingratus est, iniustusq; ciuis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, quàm qui in causa animã profudit. quæ enim pertinacia

a Concludit hortando.

b Redit ad excusationem culpæ belli ciuilis.

tinacia est quibusdam, eadem aliis constantia uideri potest. Sed quia iam omnis fracta dissensio est armis, & extincta æquitate uictoris: restat, ut omnes unum uelint, qui modò habent aliquid non solùm sapientiæ, sed etiam sanitatis: quia, nisi te C. Cæsar saluo, & in ista sententia, qua cùm antea, tum hodie uel maximè usus es, manẽte, salui esse non possumus. Quare omnes te, qui hæc salua esse uolumus, & hortamur, & obsecramus, ut uitæ, ut saluti tuæ consulas: omnesq; tibi, ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio, quoniam subesse aliquid putas quod cauendum sit, non modò excubias, & custodias sed etiam laterum nostrorum oppositus, & corporum pollicemur. [a] Sed ut unde est orsa, in eodem terminetur oratio mea: maximas tibi omnes gratias agimus C. Cæsar, maiores etiam habemus. [b] nam omnes idem sentiũt, quod ex omnium precibus, & lacrymis sentire potuisti. sed quia non est astantibus omnibus necesse dicere, à me certe dici uolunt: cui necesse est quodammodo, & quòd uolunt, & quòd, M. Marcello à te huic ordini, populoq; Rom. & Reipu. reddito, præcipuè id à me fieri debere intelligo. nam lætari omnes, non ut de unius solùm, sed ut de communi omnium salute, sentio. quod autem summæ beneuolentiæ est, quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut uix C. Marcello optimo & amantissimo fratri, præter eum quidem cederem nemini: cùm id solicitudine, cura, labore tandiu præstiterim, quandiu est de illius salute dubitatum, certè hoc tempore magnis curis, molestiis, doloribus liberatus præstare debeo. Itaque C. Cæsar sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus à te non conseruato solùm, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri iam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

a Peroratio qua redit ad institutum.

b Causam reddit cur ipse pro omnib⁹ loquatur.

Pro

PRO Q. LIGARIO AD C. CAESAREM.

ORATIO XLII.

selecta.

NOVVM crimen[a] C. Cæsar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuisse: idq; C. Pansa præstanti ingenio, fretus fortasse ea familiaritate, quæ est ei tecum, ausus est confiteri. Itaque quò me vertam nescio. paratus enim veneram, cùm tu id neque per te scires, neq; audire aliunde potuisses, ut ignoratione tua ad hominis miseri salutẽ abuterer: sed quoniã diligẽtia inimici inuestigatum est, quod latebat, confitendum est, [b] ut opinor: præsertim cùm meus necessarius C. Pansa fecerit, ut id iam integrum non esset: omissaq; controuersia omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda est, qua plurimi sunt conseruati, cùm à te non solùm liberationem culpæ, sed errati veniam impetrauissent. [c] Habes igitur Tubero, quod est accusatori maximè optandum, confitentem reum, sed tamen ita confitentẽ, se in ea parte fuisse, qua te Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum. [d] Itaq; prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quàm Ligarij ullam culpam reprehendatis. [e] Q. igitur Ligarius, cùm esset adhuc nulla belli suspicio, Legatus in Africam cum Proconsule C. Considio profectus est: qua in Legatione, & ciuibus & sociis ita se probauit, ut decedẽs Considius prouincia satisfacere hominibus non posset, si quenquam aliũ prouinciæ præfecisset. Itaq; Q. Ligarius cùm diu recusans nihil profecisset, prouinciã accipit inuitus: cui sic præfuit in pace, ut & ciuibus, & sociis gratissima esset eius integritas, & fides.

a Incipit ab ironia ad eleuãdam criminis delationem. Et queritur autoritate testimonii Pansæ defendendi facultatem sibi ereptam esse. Locus totus ironicus est.

b Ironica dubitatio.

c Concessio, nihil nocitura.

d Clausula epiphonematica.

e Narratio.

Bellũ subitò exarsit: quod qui erant in Africa, antè audierunt geri, quàm parari. quo audito, partim cupiditate inconsiderata, partim cæco quodã timore, primò salutis causa, post etiam studij sui, quærebant aliquem ducem. tum Ligarius domum spectans, & ad suos redire cupiẽs, nullo se implicari negotio passus est. Interim P. Actius Varus, qui Prætor Africam obtinuerat, Vticam uenit. ad eum statim concursum est. atq; ille non mediocri cupiditate arripuit Imperiũ, si illud Imperium esse potuit, quod ad priuatum, clamore multitudinis imperitæ, nullo publico consilio deferebatur. Itaq; Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paulùm aduentu Vari conquieuit.[a] *Adhuc C. Cæsar Q. Ligarius omni culpa uacat, domo est egressus non modò nullum ad bellum, sed ne ad minimã quidem suspicionẽ belli: Legatus in pace profectus, in prouincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Profectio certè animum tuũ non debet offendere.*[b] *num igitur remansio? multò minus. nam profectio uoluntatem habuit non turpẽ, remansio etiam necessitatem honestam. Ergo hæc duo tempora carent crimine: unum, cùm est Legatus profectus: alterũ, cùm efflagitatus à prouincia, præpositus Africæ est.*[c] *tertium est tempus, quo post aduentum Vari in Africa restitit. quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non uoluntatis.*[d] *An ille si potuisset illinc ullo modo euadere, Vticæ potius, quàm Romæ: cùm P. Actio, quàm cum concordissimis fratribus: cum alienis esse, quàm cum suis maluisset? cùm ipsa Legatio plena desiderij, ac solicitudinis fuisset propter incredibilem quendã fratrum amorem, hic æquo animo esse potuit, belli dissidio distractus à fratribus?*[e] *Nullũ igitur habes Cæsar adhuc in Q. Ligario signũ alienæ à te uoluntatis. cuius ego causã animaderte quæso*

a Mouet & distinguit narrationẽ, ut intelligatur in quo sit crimen.

b Breuis argumẽtatio.

c Profert tẽpus criminosum, sed cum defensione.

d Confirmatio à loco & tempore, admixto affectu.

e Concludit narrationem.

quæso qua fide defendã, cùm prodo meã. O clementiam admirabilem, atq; omni laude, prædicatione, literis, monimentis q; decorandam: M. Cicero apud te defendit alium in ea uoluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse: nec tuas tacitas cogitationes extimescit: nec quid tibi de alio audienti de se ipso occurrat, reformidat. [a] Vide, quàm non reformidem: uide, quanta lux liberalitatis, & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur: quantum potero uoce contendam, ut hoc populus Ro. exaudiat. Suscepto bello Cæsar, gesto etiam ex magna parte, nulla ui coactus, iudicio meo ac uoluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te. apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cùm hoc sciret, tamen me, antequàm uidit, Reipub. reddidit: qui ad me ex Aegypto literas misit, ut essem idem, qui fuissem: qui cùm ipse Imperator in toto imperio populi Rom. unus esset, esse me alterum passus est à quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putaui: qui mihi tum deniq; se salutem putauit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis redderet. [b] Vide quæso Tubero, ut qui de meo facto non dubitem dicere, [c] de Ligarij non audeam confiteri. Atque hæc propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cùm de se eadem diceret, ignosceret. cuius ego industriæ, gloriæq; faueo, uel propter propinquam cognationem, uel quòd eius ingenio studijsq; delector, uel quòd laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc quæro, quis putet fuisse crimen, esse in Africa Ligarium? nempe is, qui & ipse in eadem Africa esse uoluit, & prohibitum se à Ligario queritur, & certè contra ipsum Cæsarem est congressus armatus. [d] Quid enim, Tubero, tuus ille districtus

a ἀπροσδόκητον quæ explanat quæ dixit.

b Epiphonema cum quadam insultatione in aduersarium.

c Ex maiori.

d Explanatio dicti acris & vehemẽtis per interrogationem.

in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorũ tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

a Corrigit quod vehementius dixit in aduerſarium.

a Nimis urgeo: cõmoueri uidetur adoleſcens: ad me reuertar. iſdẽ in armis fui. quid autẽ aliud egimus Tubero, niſi ut quod hic poteſt, nos poſſemus? b *Quorum igitur impunitas, Cæſar tuæ clementiæ laus eſt, eorũ ipſorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atq; in hac cauſa nõnihil equidẽ Tubero etiam tuam, ſed multò magis patris tui prudentiam deſidero: quòd homo cùm ingenio, tum etiã doctrina excellens, genus hoc cauſæ quod eſſet, non uiderit. nam ſi uidiſſet, quouis profectò, quàm iſto modo à te agi maluiſſet. arguis fatentẽ: non eſt ſatis. accuſas eũ, qui cauſam habet, aut, ut ego dico, meliorem quàm tu: aut, ut tu uis, parem.* c *Hæc nõ modò mirabilia ſunt, ſed prodigiis ſimilia, quæ dicam. Non habet eam uim iſta accuſatio,* d *ut Q. Ligarius condẽnetur, ſed ut necetur. hoc egit ciuis Romanus ante te nemo. externi iſti mores uſq; ad ſanguinem incitare ſolent odium aut leuium Græcorum, aut immanium Barbarorum. nã quid aliud agis? ut Romæ ne ſis? ut domo careat? ne cũ optimis fratribus, ne cum hoc T. Brocho auunculo ſuo, ne cũ eius filio conſobrino ſuo, ne nobiſcũ uiuat? ne ſit in patria? num in patria eſt? num poteſt magis carere his omnibus, quàm caret? Italia prohibetur, exulat. Non tu ergo hunc patria priuare, qua caret, ſed uita uis.* e *At iſtud ne apud eum quidem Dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte mulctabat, quiſquam egit iſto modo. ipſe iubebat occidi, nullo poſtulante: præmiis etiam inuitabat. quæ tamẽ crudelitas ab hoc eodem aliquot annis pòſt, quem tu nunc crudelẽ eſſe uis, uindicata eſt. Ego uerò iſtud non poſtulo inquies. ita mehercle exiſtimo Tubero.* f *noui enim te, noui pa*

b Epiphonema, quo claudit hanc ſententiã. Enthymema ex repugnantibus.

c Extollit epiphonemate.

d Amplificat à nouitate, quod ad locum temporis refertur.

e Claudit ſentẽtiam, & amplificat ex contrario, ex maiori.

f Occupatio. qua remouet malitiam, & imprudentiam arguit. Confirmat à perſona, familia, fama, ſtudio.

ui patrẽ tuum, noui domũ, noménq; uestrum: studia demiq; generis ac familiæ uestræ, uirtutis, humanitatis, doctrinæ, plurimarũ artium atq; optimarũ nota sunt mihi omnia. itaq; certò scio, uos non petere sanguinẽ: sed parũ attenditis. res enim eò spectat, ut ea pœna sit in qua adhuc Q. Ligarius sit, non uideamini esse cõtenti. [a] quæ est igitur alia præter mortẽ? si enim in exilio est, sicuti est, quid amplius postulatis? an, ne ignoscatur? [b] hoc uerò multò acerbius, multóq; est grauius. quod nos domi petimus precibus, & lacrymis prostrati ad pedes, non tã nostræ causæ fidentes, quã huius humanitati: id ne impetremus, pugnabis? & in nostrũ fletum irrumpes? & nos iacentes ad pedes supplicũ uoce prohibebis? [c] Si cùm hoc domi faceremus, quod & fecimus, & ut spero, nõ frustra fecimus, tu de repẽte irrupisses, & clamare cœpisses, C. Cæsar, caue credas, caue ignoscas, caue te fratrũ pro fratris salute obsecrantiũ misereat: nónne omnem humanitatẽ exuisses? quãtò hoc durius, quod nos domi petimus, id à te in foro oppugnari? & in tali miseria multorũ, perfugiũ misericordiæ tollere? Dicã planè C. Cæsar, quod sentio. si in hac tãta tua fortuna lenitas tanta non esset quantã tu per te, per te, inquã, obtines ([d] intelligo quid loquar) acerbissimo luctu redundaret ista uictoria. [e] quàm multi enim essent de uictoribus, qui te crudelem esse uellent, cùm etiam de uictis reperiantur? quàm multi, qui cũ à te nemini ignoſci uellent, impedirent clementiam tuam, cùm etiam ij, quibus ipse ignouisti, nolint te in alios esse misericordẽ? Quòd si probare Cæsari possemus in Africa Ligarium omnino non fuisse: si honesto & misericordi mẽdacio, saluti ciuis calamitosi consultũ esse uellemus: tamẽ hominis nõ esset, in tãto discrimine & periculo ciuis refellere, & coarguere nostrum mendaciũ: & si esset alicuius, eius

a Repetit interpretationem actionis.

b Confirmat cõtrario exemplo.

c Confirmat prosopopœia.

d Præcisio orationis.

e Exminori.

a Amplificatio p comparationem.

certè nõ esset, qui in eadẽ causa & fortuna fuisset. a Sed tamẽ aliud est errare Cæsarẽ nolle, aliud nolle misereri. tũ diceres, Caue Cæsar credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te. nunc quid dicis? b Caue ignoscas. Hæc nec hominis, nec ad hominẽ uox est: qua qui apud te C. Cæsar utetur, suã citius abiiciet humanitatẽ, quàm extorquebit tuã. Ac primus aditus, & postulatio Tuberonis hæc, ut opinor, fuit, uelle se de Q. Ligarij scelere dicere. c non dubito, quin admiratus sis, uel qp de nullo alio quisquã, uel qp is, qui in eadẽ causa fuisset, uel quidnam nomi facinoris afferret. d Scelus tu illud uocas Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit: alij errorẽ appellant, alij timorẽ: qui durius, spem, cupiditatẽ, odiũ, pertinaciã: qui grauissimè, temeritatẽ: scelus, præter te, adhuc nemo. Ac mihi quidẽ, si propriũ & uerum nomẽ nostri mali quæratur, fatalis quædã calamitas incidisse uidetur, & improuidas hominũ mentes occupauisse: ut nemo mirari debeat humana consilia diuina necessitate esse superata. e Liceat esse miseros, quanquã hoc uictore esse non possumus. sed non loquor de nobis: de illis loquor, qui occiderunt: fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: sceleris uerò crimine, furoris, parricidij liceat Cn. Põpeio mortuo, liceat multis aliis carere. f Quando hoc quisquã ex te Cæsar audiuit, aut tua quid aliud arma uoluerũt, nisi à te cõtumeliã propulsare? quid egit tuus ille inuictus exercitus, nisi ut suũ ius tueretur, & dignitatẽ tuã? quid? tu cùm pacẽ esse cupiebas, ídne agebas, ut tibi cũ sceleratis, an ut cũ bonis ciuibus cõueniret? g Mihi uerò Cæsar tua in me maxima merita, tanta certè nõ uiderẽtur, si me ut sceleratũ à te conseruatũ putarẽ. Quomodo autẽ tu de Rep. bene meritus esses, si tot sceleratos incolumi dignitate esse uoluisses? Secessionẽ tu illam existimauisti

b Epiphonema. nec extollit sententiam, cum laude Cæsaris.

c Alloquitur Cæsarem.

d Inuadit acrius aduersariũ & amplificat cõtrarijs exemplis.

e Mouet affectũ à fortuna & ex schema permissionis.

f Exaggerat contrario exemplo Cæsaris.

g Epiphonema.

manifesti Cæsar initio, non bellũ: non hostile odiũ, sed ciuile dissidium, utrisq; cupientibus Remp. saluam, sed partim consiliis, partim studiis à cõmuni utilitate aberrantibus. [a] *Principũ dignitas erat penè par, non par fortasse eorũ, qui sequebãtur: causa tũ dubia, q; erat aliquid in utraq; parte, quod probari posset: nunc melior certè ea iudicanda est, quã etiam dij adiuuerunt.* [b] *cognita uerò clemẽtia tua, quis non eam uictoriã probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus?* [c] *Sed ut omittã communẽ causam, ueniamus ad nostrã. utrum tandem existimas facilius fuisse Tubero Ligarium ex Africa exire, an uos in Africam non uenire? poteramne, inquies, cùm Senatus censuisset? si me consulis, nullo modo. sed tamen Ligarium Senatus idem legauerat. atq; ille eo tẽpore paruit, cùm parêre Senatui necesse erat: uos tunc paruistis, cùm paruit nemo, qui noluit.* [d] *reprehendo igitur? minimè uerò.* [e] *neq; enim licuit aliter uestro generi, nomini, familiæ, disciplinæ. sed hoc non cõcedo, ut quibus rebus gloriemini in uobis, eas easdem in aliis reprehendatis. Tuberonis sors cõiecta est ex S.C. cùm ipse non adesset, morbo etiam impediretur: statuerat se excusare.* [f] *Hæc ego noui propter communes necessitudines, quæ mihi sunt cum L. Tuberone: domi unà eruditi, militiæ cõtubernales, pòst affines, in omni denique uita familiares. magnum etiam uinculum, q; iisdem semper studiis usi sumus.* [g] *Scio igitur Tuberonem domi manere uoluisse. sed ita quidam agebant, ita Reip. sanctissimum nomen opponebant, ut etiam si aliter sentiret, uerborum tamen ipsorum pondus sustinere non posset. cessit autoritati amplissimi uiri, uel potius paruit: unà est profectus cum iis, quorum erat una causa: tardius iter fecit.* [h] *itaq; in Africam uenit iam occupatam. Hinc in Ligarium crimen oritur, uel ira potius.* [i] *nam si crimen*

a Exponit rem.

b Antithesis per exclamationem.

c Redit ad institutum.

d Occupatio.

e Ratio.

f Confirmat suo testimonio.

g Concludit & causam profectionis repetit.

h Concludit totum hûc locum.

i Aetiologia ad defensionem ex pari.

men est prohibere illũ noluisse, non minus magnũ est, uos Africam, omnium prouinciarum arcem, natam ad bellum cõtra hanc urbem gerendũ obtinere noluisse, quàm aliquem se Imperatorẽ esse maluisse, atq; is tamen aliquis Ligarius nõ fuit. Varus imperiũ se habere dicebat: fasces certè habebat.[a] Sed quoquo modo sese illud habet, hæc querela uestra Tubero quid ualet? recepti in prouinciam non sumus. quid, si essetis? Cæsarine eam traditurí fuissetis, an cõtra eum retẽturi? [b] Vide quid licẽtiæ Cæsar nobis tua liberalitas det, uel potius audaciæ. si resp̃onderit Tubero, Africã quo Senatus eum sórsq; miserat, tibi patrẽ suum traditurũ fuisse: nõ dubitabo apud ipsum te, cuius id eĩ facere interfuit, grauissimis uerbis eius cõsilium reprehẽdere. [c] nõ enim si tibi ea res grata fuisset, esset etiã probata. [d] Sed iam hoc totũ omitto, non tam ut ne offendã tuas patiẽtissimas aures, quã ne Tubero, quod nunquã cogitauit, facturus fuisse uideatur. [e] Veniebatis igitur in Africã prouinciã unã ex omnibus huic uictoriæ maximè infestã, in qua erat Rex potẽtissimus, inimicus huic causæ, aliena uolũtas, cõuentus firmi atq; magni. quæro, quid facturi fuissetis? [f] quãquã quid facturi fueritis nõ dubitẽ, cũ uideã, quid feceritis. prohibiti estis in prouincia uestra pedẽ ponere, & prohibiti ut perhibetis summa cũ iniuria. quomodo id tulistis? acceptæ iniuriæ querelã ad quẽ detulistis? nẽpe ad eũ, cuius autoritatem secuti in societatẽ belli ueneratis. [g] Quòd si Cæsaris causa in prouinciã ueniebatis, ad eũ profectò excluſi prouincia uenissetis. uenistis ad Põpeiũ. Quæ est ergo apud Cæsarẽ querela, cùm eum accusetis, à quo queramini uos prohibitos cõtra Cæsarẽ bellum gerere? Atq; in hoc quidẽ uel cũ mẽdacio, si uultis, gloriari per me licet, uos prouinciã fuisse Cæsari tradituros, etiam si à Varo & quibusdam

aliis

a Secundà pars quæ tractatur per coniecturam.

b πρόφασις ad laudẽ clementiæ & sapientiæ Cæsaris.

c Aetiologia.

d Locum hunc abrumpit ne offendat Cæsarem.

e Trãsit ad aliud argumentum.

f Correctione uitat offensionem.

g Enthymema ex repugnantibus.

alijs prohibiti essetis. ego autẽ confitebor culpam esse Ligarij, qui uos tantæ laudis occasione priuauerit. [a] Sed uide quæso C. Cæsar cõstantiã ornatissimi uiri L. Tuberonis: quã ego, quãuis ipse probarẽ, ut probo, tamẽ nõ commemorarẽ, nisi à te cognouissem in primis eam uirtutẽ solere laudari. Quæ fuit igitur unquã in ullo homine tãta constantia? constantiã dico? [b] nescio an melius patientiam possem dicere. [c] quotus enim istud quisq; fecisset, ut à quibus partibus in dissensione ciuili non esset receptus, essétq; etiã cum crudelitate eiectus, ad eas ipsas rediret? magni cuiusdã animi, atq; eius uiri est, quẽ de suscepta causa propositáq; sententia nulla contumelia, nulla uis, nullum periculum possit depellere. [d] Vt enim cætera paria Tuberoni cum Varo fuissent, honos, nobilitas, splendor, ingeniũ, quæ nequaquã fuerũt: hoc certè præcipuũ Tuberonis fuit, q; iusto cũ Imperio ex S. C. in prouinciã suã uenerat. hinc prohibitus nõ ad Cæsarẽ, ne iratus: [e] nõ domũ, ne iners: nõ aliquã in regionẽ, ne cõdemnare causam illã, quã secutus esset, uideretur: in Macedoniã, in Cn. Põpeii castra uenit, in eã ipsã causam, à qua erat reiectus cũ iniuria. [f] Quid? cùm ista res nihil cõmouisset eius animũ, ad quẽ ueneratis: lãguidiore, credo studio in causa fuistis. tantũmodo in præsidijs eratis, animi uerò à causa adhorrebãt: an, ut fit in ciuilibus bellis, nec in uobis magis, quã in reliquis, omnes uincendi studio tenebamur? Pacis equidẽ semper autor fui, sed tum serò: erat enim amentis cũ aciẽ uideres, pacẽ cogitare. Omnes, inquã, uincere uolebamus, tu certè præcipuè, qui in eũ locũ ueniisses, ubi tibi esset pereũdũ, nisi uicisses: quãquam, ut nunc se res habet, nõ dubito, quin hãc salutẽ anteponas illi uictoriæ. [g] Hæc ego nõ dicerẽ Tubero, si aut uos constantiæ uestræ, aut Cæsarẽ beneficij sui pœniteret. Nec

quæro

a Subiungit amplificationem à signo.

b Correctio.

c Locus communis per exclamationem.

d Auget à persona.

e Distributio.

f Argumentũ tertium per coniecturã. Particula quid, uehemẽtiã adfert.

g Colligit rem complexione, & concludit.

quæro, utrum uestras iniurias an Reipub. persequamini? si Reip. quid de uestra in ea causa perseuerantia respondebitis? si uestras, uidete ne erretis, qui Cæsarem uestris inimicis iratum fore putetis, cùm ignouerit suis. Itaque num tibi uideor Cæsar in causa Ligarij occupatus esse? num de eius facto dicere? quicquid dixi, ad unã summã referriuolo, uel humanitatis, uel clemẽtiæ, uel misericordiæ tuæ. [a] *Causas Cæsar egi multas & quidem tecũ, dum te in foro tenuit ratio honorũ tuorũ: certè nunquam hoc modo,* [b] *Ignoscite Iudices, errauit, lapsus est, nõ putauit, si unquã posthac. ad parentem sic agi solet. ad Iudices, Non fecit, non cogitauit, falsi testes; fictum crimen. Dic te Cæsar de facto Ligarij Iudicẽ esse: quibus in præsidijs fuerit, quære. taceo. ne hæc quidẽ colligo, quæ fortasse ualerent etiã apud iudicẽ: Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppressus, in eo non acerbus, tum etiam fuit totus animo & studio tuus. Ad iudicẽ sic agi solet. sed ego ad parentem loquor, Erraui, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti ueniã peto, ut ignoscas oro. si nemo impetrauit, arroganter: si plurimi, tu idem fer opem, qui spem dedisti.* [c] *An sperandi Ligario causa non sit, cùm mihi apud te sit locus etiam pro altero deprecandi?* [d] *Quanquam neque in hac oratione spes est posita causæ, nec in eorũ studijs qui à te pro Ligario petunt tui necessarij.* [e] *Vidi enim & cognoui, quid maximè spectares, cùm pro alicuius salute multi laborarent: causas apud te rogantiũ gratiores esse, quàm preces: neq; spectare, quàm tuus esset necessarius is qui te oraret: sed quàm illius, pro quo laboraret. Itaq; tribuis tu quidẽ tuis ita multa, ut mihi beatiores illi esse uideantur interdũ, qui tua liberalitate fruuntur, quàm tu ipse, qui illis tam multa cõcedis. sed uideo tamẽ apud te causas, ut dixi*

a Concludit & transit ad deprecationem.

b Verba sunt deprecãtium apud Iudices.

c Ab exemplo, ex maiori.

d Correctio.

e A causa rogantium.

dixi, rogantium ualere plus, quàm preces: ab iisq; te moueri maximè, quorum iustissimum dolorem uideas in petendo. [a] In Q. Ligario conseruando multis tu quidē gratum facies necessarijs tuis: sed hoc quæso considera, quod soles. possū fortissimos uiros Sabinos, tibi probatissimos, totúmque agrum Sabinum florem Italiæ, robur Reipu. proponere. nosti optimè homines. animaduerte horum omnium mœstitiam, & dolorē huius T. Brochi, de quo nō dubito quid existimes, lacrymas, squalorémq; ipsius, & filii uides. Quid de fratribus dicam? noli Cæsar putare de unius capite nos agere. aut tres Ligarii in ciuitate retinēdi sunt, aut tres ex ciuitate exterminādi. quod uis exilium his est optatius, quàm patria, quàm domus, quàm dii penates, uno illo exulante. [b] si fraternè, si piè, si cum dolore faciunt, moueant te horum lacrymæ, moueat pietas, moueat germanitas, ualeat tua uox illa, quæ uicit. te enim dicere audiebamus, Nos, omnes aduersarios putare, nisi qui nobiscum essent: te, omnes qui contra te non essent, tuos. Vidésne igitur hunc splendorem, omnem hanc Brochorum domum, hunc L. Martium, C. Cestium, L. Cornificium, hosce omnes Equites Rom. qui adsunt ueste mutata, non solùm notos tibi, uerùm etiam probatos uiros, qui tecum fuerunt? Atque his maximè irascebamur, & hos requirebamus, & his nonnulli etiā minabantur. Cōserua igitur tuis suos: ut quēadmodum cætera, quæ dicta sunt à te, sic hoc uerissimū reperiatur. [c] Quòd si penitus perspicere posses cōcordiam Ligariorum, omnes fratres tecū iudicares fuisse. An potest quisquā dubitare, quin si Q. Ligarius in Italia esse potuisset, in eadem sententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? quis est, qui horum consensum conspirantem & penè conflatum, in hac propè æqualitate fraterna non nouerit,

a Accommodat quod dixit de causis rogātium, & ex personis amplificat.

b Concludit & confirmat, dicto Cæsaris de aduersariis.

c A concordia Ligariorum.

nouerit, qui hoc non sentiat, quiduis prius futurum fuisse, quàm ut hi fratres diuersas sententias, fortunásq; sequerentur? [a] *Voluntate igitur omnes tecũ fuerunt: tempestate abreptus est unus: qui si consilio id feciſſet, esſet eorũ similis, quos tu tamẽ saluos esse uoluisti.* [b] *Sed ierit ad bellum, dissenserit non à te solùm, uerùm etiam à fratribus: hi te orant tui. Equidem cùm tuis omnibus negotijs interessem, memoria teneo, qualis tum T. Ligarius Quæstor urbanus fuerit erga te & dignitatẽ tuam. sed parum est me hoc meminisse: spero etiam te, qui obliuisci nihil soles, nisi iniurias, quoniam hoc est animi, quoniam etiã ingenij tui, te aliquid de huius Quæstoris officio cogitantem, etiam de alijs quibusdam Quæstoribus reminiscẽtem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud (neq; enim hæc diuinabat) nisi ut tu eum studiosum & bonum uirũ iudicares, nunc à te supplex fratris salutem petit. quam huius admonitus officio cùm utrisq; his dederis, tres fratres optimos & integerrimos, non solùm sibi ipsos, neque his tot ac talibus uiris, neque nobis necessarijs suis, sed etiam Reip. cõdonaueris.* [c] *Fac igitur, quod de homine nobilissimo, & clarissimo M. Marcello restituto feciſti nuper in curia, nunc quidem in foro de optimis, & huic omni frequentiæ probatissimis fratribus. ut concessisti illum Senatui, sic da hunc populo, cuius uoluntatẽ charissimã semper habuisti. & si ille dies tibi glorioſissimus, populo Rom. gratissimus fuit, noli obsecro dubitare C. Cæsar similem illi gloriæ laudem quàm sæpissimè quærere.* [d] *nihil est enim tam populare, quã bonitas: nulla de uirtutib. tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior misericordia est. homines enim ad deos nulla re propius accedũt, quàm salute hominibus dãda.* [e] *nihil habet nec fortuna tua maius, quàm ut possis: nec natura*

a Concludit.

b Concessio ex fiducia causæ, vbi profert merita Ligarij.

c Ab exẽplo Marcelli restituti.

d Aetiologia per locum communem.

e Singularis amplificatio.

natura tua melius, quàm ut uelis conseruare quamplurimos.[a] *Longiorem orationem causa forsitan postulat, tua certè natura breuiorẽ. Quare cùm utilius esse arbitrer te ipsum, quàm aut me, aut quẽquam loqui tecum, finem iam faciam: tantum te ipsum admonebo, si illi absenti salutẽ dederis, præsentibus his omnibus te daturum.*

a Abrumpit orationem & cõcludit.

PRO REGE DEIOTARO AD C. CAESAREM.

ORATIO XLIII.

VM[b] IN *omnibus causis grauioribus C. Cæsar initio dicendi commoueri soleam uehementius, quàm uidetur uel usus, uel ætas mea postulare: tum in hac causa ita me multa perturbant, ut quantum mea fides studij mihi afferat ad salutem Regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat.*[c] *Primùm dico pro capite fortunísque Regis: quod ipsum etsi non iniquum est, in tuo duntaxat periculo: tamen est ita inusitatum, Regem capitis reum esse, ut ante hoc tempus non sit auditum. Deinde eum Regẽ quem ornare anteà cuncto cum Senatu solebamus pro perpetuis eius in nostram Remp. meritis, nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere.*[d] *Accedit, ut accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate perturber. Crudelis Castor, ne dicam sceleratum, & impium, qui nepos auum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiæq; suæ terrorem intulerit ei, cuius senectutem tueri, & tegere debebat: commendationem ineuntis ætatis ab impietate, & scelere*

b Orditur à perturbatione sua, cuius causas enumerat, ad fauorẽ conciliandum.

c A persona Regis.

d A persona accusatorum.

lere duxerit: aut seruum corruptum præmiis ad accusandum dominum impulerit, & à Legatorum pedibus abduxerit. Fugitiui autem dominum accusantis, & dominum absentem, & dominum amicissimũ nostræ Reip. cùm os uidebam, cùm uerba audiebã, non tam afflictam regiam conditionẽ dolebam, quàm de fortunis communibus extimescebam. Nã cùm more maiorũ de seruo in dominum, ne tormentis quidem quæri liceat: in qua quæstione dolor ueram uocem elicere possit, etiam ab inuito exortus est seruus, qui quẽ in eculeo appellare nõ posset, eum accuset solutus. [a] Perturbat me C. Cæsar etiã illud interdum: quod tamen, cùm te penitus recognoui, timere desino. re enim iniquũ est, sed tua sapiẽtia sit æquissimũ. nam dicere apud eum de facinore, contra cuius uitam consilium facinoris iisse arguare, si per se ipsum consideres, graue est. nemo enim ferè est, qui sui periculi iudex, non sibi se æquiorem, quàm reo præbeat. sed tua C. Cæsar præstans singularísq; natura hunc mihi metum minuit. non enim tam timeo, quid tu de Rege Deiotaro, quàm intelligo quid de te cæteros uelis iudicare. [b] Moueor etiã loci ipsius insolentia, quòd tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione uersata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conuentum, & eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent: in tuis oculis, in tuo ore, uultúq; acquiesco: te unum intueor: ad te unũ omnis mea spectat oratio: quæ mihi ad spem obtinendæ ueritatis grauissima sunt, ad motum animi, & omnem impetum dicendi, contentionémque leuiora. Hanc enim C. Cæsar causam si in foro dicerem eodem audiente, & disceptãte te, quantam mihi alacritatem Po. Ro. cõcursus afferret? quis enim ciuis ei Regi non faueret, cuius omnẽ ætatẽ in Po. Ro. bellis consumptam esse meminisset? spectarẽ Curiam,

a A persona Cæsaris.

b A loco.

riam,intuerer forum, cœlũ deniq; teſtarer ipſum. ſic,cùm & deorum immortalium, & Po.Ro.& Senatus beneficia in Regem Deiotarum recordarer, nullo modo mihi deeſſe poſſet oratio. Quæ quoniam anguſtiora parietes faciunt,actióq; cauſa maximè debilitatur loco: tuum eſt Cæſar,qui pro multis ſæpe dixiſti,quid nunc mihi animi ſit,ad te ipſum referre,quò facilius tum æquitas tua,tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meã. [a] Sed antequàm de accuſatione ipſa dico, de accuſatorũ ſpe pauca dicam.qui cùm uideantur neq; ingenio, neque uſu atque exercitatione rerum ualere, tamen ad hanc cauſam non ſine aliqua ſpe,& cogitatione uenerunt. Iratum te Regi Deiotaro fuiſſe non erant neſcij:affectum illum quibuſdam incommodis,& detrimentis propter offenſionem animi tui meminerant:téq; cùm huic iratum, tum ſibi amicum cognouerant:cúmque apud ipſum te de tuo periculo dicerent,fore putabant, ut in exulcerato animo facilè fictum crimẽ inſideret. Quam ob rem hoc nos primùm metu C.Cæſar per fidem,& conſtantiã,& clemẽtiam tuam libera,ne reſidere in te ullam partem iracundiæ ſuſpicemur. Per dexteram te iſtam oro,quam Regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti:iſtam,inquam,dexteram,non tam in bellis,& in prælijs,quàm in promiſſis, & fide firmiorẽ. Tu illius domum inire, tu uctus hoſpitium renouare uoluiſti: te eius Dij penates acceperunt: te amicum,& placatum Deiotari Regis aræ focíque uiderunt. Cùm facilè exorari Cæſar,tum ſemel exorari ſoles. nemo unquam te placauit inimicus, qui ullas reſediſſe in te ſimultatis reliquias ſenſerit. Quanquam cui ſunt inauditæ cum Deiotaro querelæ tuæ?nunquã tu illũ accuſauiſti ut hoſtem,ſed ut amici officio parũ functum, quòd propenſior in Cn. Põpeii amicitiam fuiſſet, quàm

a Remouet offenſionem Pompeianarũ partiũ priuſquã ad cauſam accedat.

in tuam. cui tamen ipſi Regi ueniam te daturum fuiſſe dicebas, ſi tum auxilia Pompeio, uel ſi etiam filium miſiſſet, ipſe tamen excuſatione ætatis uſus eſſet. Itaq; cùm maximis eum rebus liberares, perparuam amicitiæ culpam relinquebas. Itaq; non ſolùm in eũ non animaduertiſti, ſed omni metu liberauiſti, hoſpitẽ agnouiſti, Regem reliquiſti. neq; enim ille odio tui progreſſus, ſed errore communi lapſus eſt. [a] *Is Rex quem Senatus hoc nomine ſæpe honorificentiſſimis decretis appellauiſſet, quíq; illum ordinem ab adoleſcentia grauiſſimum ſanctiſſimúmque duxiſſet, iiſdem rebus eſt perturbatus, homo longinquus, & alienigena, quibus nos in media Repu. nati, ſempérq; uerſati. cùm audiſſet Senatus cõſentientis autoritate arma ſumpta: Conſulibus, Prætoribus, Trib. ple. nouis Imperatoribus Remp. defendendam datam: mouebatur animo, & uir huic imperio amiciſſimus de ſalute Po. Ro. extimeſcebat, in qua etiam ſuam incluſam eſſe uidebat. ſummo tamen timore quieſcẽdum ſibi eſſe arbitrabatur. maximè uerò perturbatus eſt, ut audiuit Cõſules ex Italia profugiſſe: omnéſq; Conſulares (ſic enim nũtiabatur) cunctum Senatum, totam Italiam eſſe effuſam. talibus enim nuntiis, & rumoribus patebat ad Orientem uia, nec ulli ueri ſubſequebantur. nihil ille de conditionibus tuis, nihil de ſtudio concordiæ, & pacis, nihil de conſpiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam. quæ cùm ita eſſent, tamẽ uſq; eò ſe tenuit,* [b] *quoad à Cn. Põpeio ad eum legati, literæq; uenerũt. Ignoſce, ignoſce Cæſar, ſi eius uiri autoritati Rex Deiotarus ceſſit, quẽ nos omnes ſecuti ſumus: in quẽ cùm dij, atq; homines omnia ornamenta congeſſiſſent, tum tu ipſe plurima, & maxima. neq; enim ſi tuæ res geſtæ cæterorũ laudibus obſcuritatem attulerũt, idcirco Cn. Pompeij memoriam amiſimus.*

a Purgat errorẽ & imprudentiam Deiotari.

b A Pompeii autoritate.

mus. quantum nomen eius fuerit, quantæ opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores Po. Ro. quanti Senatus, quanti tui, quis ignorat? tantò ille superiores uicerat gloria, quantò tu omnibus præstitisti. itaq; Cn. Pompeij bella, uictorias, triumphos, Consulatus, admirantes numerabamus: tuos enumerare non possumus. Ad eum igitur Rex Deiotarus uenit hoc misero fataliq; bello, quem antè iustis hostilibúsq; bellis adiuuerat, quócum erat non hospitio solùm, uerùm etiam familiaritate coniunctus: & uenit uel rogatus ut amicus, uel accersitus ut socius, uel euocatus ut is, qui Senatui parêre didicisset: postremò uenit ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est, ad periculi, non ad uictoriæ societatẽ. [a] *Itaq; Pharsalico prælio facto, à Pompeio discessit: spem infinitam persequi noluit: uel officio, si quid debuerat, uel errori, si quid nescierat, satisfactum esse duxit: domũ se contulit: téq; Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit. ille exercitum Cn. Domitij amplissimi uiri, suis tectis, & copiis sustentauit: ille Ephesum ad eum, quem tu ex tuis fidelissimum, & probatissimum omnibus delegisti, pecuniam misit: ille iterum, ille tertiò auctionibus factis pecuniam dedit, qua ad bellum uteretur: ille corpus suum periculo obiecit, tecúmq; in acie contra Pharnacem fuit, tuúmq; hostem esse duxit suum.* [b] *Quæ quidem à te in eam partem accepta sunt C. Cæsar, ut eum amplissimo Regis honore, & nomine affeceris. Is igitur non modò à te periculo liberatus, sed etiã honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suæ interficere uoluisse. quod tu, nisi eum furiosissimum iudicas, suspicari profectò non potes. Vt enim omittam, cuius tanti sceleris fuerit, in conspectu deorum Penatium necare hospitem: cuius tantæ importunitatis, omnium gentiũ, atq; omnis memoriæ clarissimum*

a A meritis erga Cæsarẽ post Pharsalicam pugnam.

b Venit ad crimen insidiarum & uolũtatẽ eius remouet à Deiotaro pluribus argumẽtis quæ primo cõgregat: deinde quæda particulatim persequitur.

rissimum lumen extinguere: cuius tantæ ferocitatis, uictorem orbis terrarum non extimescere: cuius tam inhumani, & ingrati animi, à quo Rex appellatus esset, in eum Tyrannum inueniri: ut hæc omittam, cuius tanti furoris fuit, omnes Reges, quorum multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes prouincias, omnia denique omnium arma contra se unum excitare? quónam ille modo cum regno, cum domo, cum coniuge, cum charissimo filio distractus esset, tãto scelere non modò perfecto, sed etiam cogitato?[a] *At credo hæc homo inconsultus, & temerarius non uidebat. quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quanquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio, & prudentia, quàm fide, & religione uitæ defendendũ puto. Nota tibi est C. Cæsar hominis probitas, noti mores, nota constantia. cui porrò, qui modò Po. Ro. nomẽ audiuit, Deiotari probitas, integritas, grauitas, uirtus, fides nõ sit audita? Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere posset propter metum præsentis exitij, nec in facinorosum, nisi esset idẽ amentissimus: id uos & à uiro optimo, & ab homine minimè stulto cogitatum esse confingitis: at quàm non modò non credibiliter, sed ne suspicios è quidem.*[b] *Cùm, inquit, in castellum Luceium ueniisses, & domum Regis hospitis tui diuertisses, locus erat quidam in quo erant ea composita, quibus Rex te munerare cõstituerat. huc te è balneo, prius quàm accumberes, ducere uolebat. ibi enim erant armati, qui te interficerẽt, in eo ipso loco collocati. En crimen, en causa, cur Regem fugitiuus, dominũ seruus accuset. Ego mehercule C. Cæsar initio, cùm est ad me ista causa delata, Philippum medicum seruum regium, qui cum Legatis missus esset, ab ipso adolescente existimaui esse corruptum, hac suspicione sum perculsus: medicum*

a A persona Deiotari.

b Infirmat crimi nationem aduersarii, quam vt fictã verbis ipsius ponit. Fictam autẽ ostendit quod id quo arguitur, tutius alio modo fieri potuerit. Itaque cum reus spem celandi & impunitatis sequutus nõ fit, nõ esse credibiles, insidias ab eo esse factas.

dicum indicem ſubornabit: finget uidelicet aliquod crimen ueneni. etſi à ueritate longè, tamen à conſuetudine criminandi non multum res abhorrebat. Quid ait medicus? nihil de ueneno. at id fieri potuit, primò occultius in potione, uel in cibo: deinde etiam impunius ſit, quod cùm eſt factum, negari poteſt. ſi palàm te interemiſſet, omnium in ſe gentium non ſolùm odia, ſed etiam arma conuertiſſet: ſi ueneno, Iouis illius quidẽ Hoſpitalis numen nunquam celare potuiſſet, homines uerò fortaſſe celauiſſet: Quod igitur & occultius conari, & efficere cautius potuit, id tibi, & medico callido, & ſeruo, ut putabat, fideli non credidit: de armis, de ferro, de inſidiis celare te noluit? At quàm feſtiuè crimen contexitur? [a] Tua te, inquit, eadem, quæ ſemper, fortuna ſeruauit. negauiſti tum te inſpicere uelle. quid poſtea? an Deiotarus re illo tẽpore non perfecta, continuò dimiſit exercitũ? nullus erat alius inſidiandi locus? At eôdem te, cùm cœnauiſſes, redituru dixeras: itáq; feciſti. horam unam aut duas eodem loco armatos, ut collocati fuerãt, retinere magnum fuit? cùm in conuiuio comiter, & iucundè fuiſſes, tum illuc iuiſti, ut dixeras. Quo in loco Deiotarum talem erga te cognouiſti, qualis Rex Attalus in P. Africanum fuit: cui magnificentiſſima dona, ut ſcriptum legimus, uſq; ad Numantiã miſit ex Aſia: quæ Africanus inſpectante exercitu accepit. Quod cùm præſens Deiotarus regio & animo, & more feciſſet, tu in cubiculum diſceſſiſti. Obſecro C. Cæſar repete temporis illius memoriã: pone illum ante oculos diem: uultus hominum te intuentiũm, atq; admirantiũ recordare. num quæ trepidatio? num qui tumultus? num quid, niſi moderatè, niſi quietè, niſi ex hominis grauiſſimi, & ſanctiſſimi diſciplina? [b] Quid igitur cauſæ excogitari poteſt, cur te lautum uoluerit, cœnatum

a Alla reprehenſio calumniæ ex euentu rei: Nam ſi inſidiæ paratæ erant, quomodo euaſit Cæſar? euaſit autem: falſum igitur crimẽ: quæ eſt argumentum ex euentis. Nam hisceſſantibus & cauſæ deſuiſſe intelliguntur. Inſerit locum beneuolentiæ, quem exemplo amplificat: & ex eodem profert ſigna innocentiæ.

b Perſequitur reliquum ordinem criminationis, quem ſicut antè reprehendit, negans euadere potuiſſe Cæſarem, ſi fuiſſent inſidiæ collocatæ.

noluerit occidere? In posterum, inquit, diem distulit, ut cũ in castellum Luceium uentum esset, ibi cogitata perficeret. Non uideo causam loci mutandi, sed tamen acta res criminosè est. Cùm, inquit, uomere post cœnam uelle te dixisses, in balneum te ducere cœperunt: ibi enim erant insidiæ. atte eadẽ tua fortuna seruauit: in cubiculum te ire malle dixisti. Dij te perdãt fugitiue: ita non modò nequam, & improbus, sed & fatuus, & amens es. Quid? ille [a] signa ænea in insidiis posuerat, quæ è balneo in cubiculum transferri non possent? Habes crimina insidiarũ: nihil enim dixit amplius. [b] Horum, inquit, erã conscius. quid tum? ita demens ille erat, ut eum, quem conscium tanti sceleris habebat, à se dimitteret? Romam etiã mitteret, ubi & inimicissimum sciret esse nepotem suum, & C. Cæsarem, cui fecisset insidias: præsertim cùm is unus esset, qui posset de absente se uindicare? Et fratres meos, inquit, quòd erant conscij, in uincula cõiecit. Cùm igitur eos uinciret, quos secum habebat, te solutum Romã mittebat, qui eadẽ scires, quæ illos scire dicis? Reliqua pars accusationis duplex fuit: una Regem semper in speculis fuisse, cùm à te animo esset alieno: altera, exercitum eum contra te magnum comparasse. De exercitu dicam breuiter, ut cætera. nunquam eas copias Rex Deiotarus habuit, quibus inferre bellum Populo Romano posset: sed quibus fines suos ab excursionibus hostium & latrociniis tueretur, & Imperatoribus nostris auxilia mitteret. atque anteà quidem maiores copias alere poterat, nunc exiguas uix tueri potest. [d] At misit ad Cælium nescio quem: sed eos, quos misit, quòd ire noluerunt, in uincula coniecit. Non quæro, quàm uerisimile sit, aut non habuisse Regem, quos mitteret: aut eos, quos misisset, non paruisse: aut qui dicto audientes in tanta re non fuissent,

a Id est homines armatos sinẽ sensu.

b Et hoc refellit & facit incredibile ex persona Deiotari.

c Respondet ad alteram partem accusationis, de animo Deiotari erga Cæsarem, & de exercitu quẽ negat cõparatum fuisse contra Cæsarem.

d Refellit obiectionem: Cælium autem intelligit Pompeianũ quẽdam inimicũ Cæsaris, quem contemnit, vt rem parum verisimilem faciat.

eos

eos uinctos potius, quàm necatos fuisse. Sed tamen cùm ad Cælium mittebat, utrum causam illã uictam esse nesciebat, an Cælium istum magnum hominẽ putabat? quem profectò is, qui optimè nostros homines nouit, uel quia non nosset, uel si nosset, contemneret. Addidit etiam illud, Equites non optimos misisse tibi. ueteres, credo, Cæsar nihil ad tuum equitatũ: sed misit ex iis, quos habuit, electos. Ait nescio quem ex eo numero seruum iudicatum. non arbitror: non audiui. sed in eo, etiam si accidisset, culpam Regis nullam fuisse arbitrarer. [a] *Alieno autem à te animo fuit. quomodo? sperauit, credo, difficiles tibi Alexandriæ fore exitus propter Regionis naturã & fluminis. At eo ipso tempore pecuniam dedit, exercitũ aluit: quem Asiæ præfeceras, ei nulla in re defuit: tibi uictori non solùm ad hospitium, sed ad periculum etiam, atq; ad aciem præstò fuit. Secutum est bellum Africanum. graues de te rumores sparsi: qui etiam furiosum illũ Cælium excitauerunt. quo tum erga te Rex animo fuit, qui auctionatus sit, se séq; & filium suum expoliare maluerit, quàm tibi pecuniam nõ subministrare? At eo, inquit, tempore ipso Niceam, Ephesúmq; mittebat, qui rumores Africanos exciperent, & celeriter ad se referrent. Itaq; cùm esset ei nuntiatum, Domitiũ naufragio periisse, te in castello circumsederi: de Domitio dixit uersum Græcum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinũ:* [b] *Pereant amici, dum unà inimici intercidãt. quod ille, si esset tibi inimicissimus, nunquam tamen dixisset. ipse enim mansuetus, uersus immanis. Qui autem Domitio poterat esse amicus, qui tibi esset inimicus? tibi porrò inimicus cur esset, à quo cùm uel interfici belli lege potuisset,* [c] *Regem & se, & filium suum constitutos esse meminisset? Quid deinde furcifer? quò progreditur?*

a Negat animo alieno fuisse à Cæsare, Idq; probat ex meritis Deiotari.

b Vide Eras. in Chiliad.

c Refellit aliam calumniam à moribus Deiotari, quos modestos & frugales commemorat.

erit hac lætitia Deiotarum elatum, uino se obruisse, in cõuiuióque nudum saltauisse. Quæ crux huic fugitiuo potest satis supplicij afferre? Deiotarũ saltantem quisquã, aut ebrium uidit unquam? omnes sunt in illo regiæ uirtutes, quod te Cæsar ignorare non arbitror, sed præcipuè singularis & admiranda frugalitas: etsi hoc uerbo scio laudari Reges non solere. Frugi hominem dici nõ multum habet laudis in Rege: fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ laudes: illa priuata est. Vt uolet quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est, modestiam & temperantiam, uirtutem esse maximam iudico. hæc in illo est ab ineunte ætate, tum à cuncta Asia, tũ à magistratibus Legatísq; nostris, tũ ab Equitibus Romanis, qui in Asia negotiati sunt, perspecta & cognita. Multis ille quidem, gradibus officiorum erga Rempublicam nostram ad hæc regium nomen ascendit: sed tamen quicquid à bellis populi Romani uacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res, rationésq; iungebat: ut non solũ Tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamiliâs, & diligentissimus agricola, & pecuarius haberetur. Qui igitur adolescens nondum tanta gloria præditus nihil unquam nisi seuerissimè & grauissimè fecerit, is ea existimatione, eáq; ætate saltauit? Imitari potius Castor aui tui mores disciplinámque debebas, quàm optimo & clarissimo uiro fugitiui ore maledicere.[a] *Quòd si saltatorem aũ habuisses, neque eum uirum, unde pudoris, pudicitiæq; exempla peterentur: tamen hoc maledictum minimè in illam ætatem conueniret. quibus ille studiis ab ineunte ætate se imbuerat, non saltandi, sed bene ut armis, optimè ut equis uteretur: ea tamen illum cuncta iam ætate exacta defecerant.*[b] *Itaq; Deiotarum cùm plures in equum sus-*

[a] Inuehitur in Castorem, quòd hãc contumeliã obiiciat auo.

[b] Facit inuidiam & in eũdẽ causa, qua arguitur Deiotarus: Castorẽ quoque offensioni Cæsaris obiicit.

stul-

ſtuliſſent, quòd hærere in eo ſenex poſſet, admirari ſoleba mus. hic uerò adoleſcens, qui meus in Cilicia miles, in Græcia commilito fuit, cùm in illo noſtro exercitu equita ret cum ſuis delectis equitibus, quos unà cũ eo ad Pompeium pater miſerat, quos cõcurſus facere ſolebat? quã ſe iactare? quàm ſe oſtentare? quàm nemini in illa cauſa ſtudio & cupiditate concedere? cùm uerò exercitu amiſſo, ego, qui pacis autor ſemper fui, poſt Pharſalicum autem prælium ſuaſor fuiſſem armorum non deponendorum, ſed abiciendorũ, hunc ad meã autoritatẽ nõ potui adducere, quòd & ipſe ardebat ſtudio ipſius belli, & patri ſatisfaciendum eſſe arbitrabatur. Felix iſta domus, quæ non impunitatem ſolũ adepta ſit, ſed habet etiã accuſandi licentiã, calamitoſus Deiotarus, qui ab eo, qui in iiſdem caſtris fuerit, non modò apud te, ſed etiã à ſuis accuſetur. uos ueſtra ſecunda fortuna Caſtor non poteſtis ſine propinquorũ calamitate eſſe cõtẽti. Sint ſanè inimicitiæ, quæ eſſe nõ debebãt. [a] Rex enim Deiotarus ueſtram familiã abiectã, & obſcurã è tenebris in lucem uocauit. quis tuum patrem antea qui eſſet quàm cuius gener eſſet, audiuit? Sed quanuis ingratè & impiè neceſſitudinis nomẽ repudiaretis, tamẽ inimicitias hominũ more gerere poteratis, nõ ficto crimine inſectari, non expetere uitã, non capitis arceſſere. Eſto, cõcedatur hæc quoq; acerbitatis, & odij magnitudo. adeóne, ut etiã omnia uitæ, ſalutíſq; communis, atq; etiã humanitatis iura uiolentur? ſeruũ ſolicitare uerbis, ſpe, *promiſsísq; corrũpere, * adducere domũ, cõtra dominũ armare, hoc eſt non uni propinquo, ſed omnibus familiis bellũ nefariũ indicere. [b] nã iſta corruptela ſerui, ſi nõ modò impunita fuerit, ſed etiã à tanta autoritate approbata, nulli parietes noſtrã ſalutem, nullæ leges, nulla iura cuſtodient. ubi enim id, quod

a Inſectatur ingratitudinis vitium, & amplificat accuſationis indignitatem à propinquitate.

*præmiiſq;
*abducere domo

b A cõmuni periculo, quod res exẽplo malo futura ſit.

intus

intus est, atq; nostrum, impunè euolare potest, cõtráq; nos pugnare: fit in dominatu seruitus, in seruitute dominatus. [a] *O tẽpora, ô mores: Cn. Domitius ille, quẽ nos pueri Consulem, Censorẽ, Põtificem maximum uidimus, cùm Tribunũ plebis M. Scaurum principem ciuitatis in iudicium populi uocauisset, Scauriq; seruus ad eum clàm domum uenisset, & crimina in dominũ delaturũ se esse dixisset, comprehendi hominem iussit, ad Scaurúmque deduci.* [b] *Vide quid interfit: etsi iniquè Castorẽ cum Domitio comparo: sed tamen ille inimico seruum remisit, tu ab auo abduxisti, ille incorruptum audire noluit, tu corrupisti: ille adiutorem seruum contra dominum repudiauit, tu etiam accusatorem adhibuisti.* [c] *At semel iste est corruptus à uobis? nónne cùm esset productus testis, & cùm tecum fuisset, refugit ad Legatos? nónne etiam ad hunc Cn. Domitium uenit? nónne audiente hoc Ser. Sulpitio clarissimo uiro, qui tum casu apud Domitium cœnabat, & hoc T. Torquato optimo adolescente, se à te corruptum, tuis promissis in fraudem impulsum esse confessus est?* [d] *Quæ est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? Idcirco in hanc urbem ueneisti ut huius urbis iura, & exempla corrumperes, domesticáque tua inhumanitate nostræ ciuitatis humanitatem inquinares?* [e] *At quàm acutè collecta crimina? Blesamius, inquit (eius enim nomine optimi hominis, nec tibi ignoti, maledicebat tibi) ad Regem, inquit, scribere solebat, te inuidiosè Tyrannum existimari statua inter Reges posita animos hominum uehementer offensos: plaudi tibi non solere. Nonne intelligis Cæsar, ex urbanis maleuolorum sermũculis hæc ab istis esse collecta? Blesamius Tyrannũ Cæsarẽ scriberet? multorũ enim ciuiũ capita uiderat: multos iussu Cæsaris uexatos, uerbe-*

a Adiſimilitudine exẽplo.

b Auget exẽplũ vim cõtentione.

c Auget inuidiã corrupti ſerui à corruptoris pertinacia.

d Aſpera obiurgatio.

e Inuertit inuidiam criminationis in delatores, & vt augeat offenſionem, clementiam Cæſaris commemorat.

ratos, necatos: multas afflictas & euersas domos, armatis militibus refertum forum. quæ semper in ciuili uictoria sensimus, ea te uictore non uidimus. solus, inquam, es C. Cæsar, cuius in uictoria ceciderit nemo, nisi armatus. & quem nos liberi in summa Reipublicæ libertate nati non modò non Tyrannum, sed etiam clemẽtissimũ in uictoria uidemus ducem: is [a] *Blesamio, qui uiuit in regno, Tyrãnus uideri potest? Nam de statua quis queritur, una præsertim, cùm tam multas uideat? ualde enim inuidendum est eius statuæ, cuius trophæis non inuidemus. Nã si locus affert inuidiã, nullus locus est ad statuã quidẽ rostris clarior. De plausu autem quid respondeam? qui nec desideratus unquã à te est, & nõnunquã* [b] *obstupefactis hominibus ipsa admiratione cõpressus est: & fortasse eò prætermissus, quia nihil uulgare te dignum uideri potest.* [c] *Nihil à me arbitror prætermissum, sed aliquid ad extremam causæ partẽ reseruatũ. id autem aliquid est, te ut planè Deiotaro recõciliet oratio mea. non enim iam metuo, ne tu illi succẽseas: illud uereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. quod abest longissimè, mihi crede Cæsar. quid enim retineat per te, meminit, nõ quid amiserit: neq; se à te multatũ arbitratur: sed, cùm existimaret multis tibi multa esse tribuenda,* * *quæ minus assequi in altera parte potuisset, ea sumeres ab illo, non recusauit. Etenim si Antiochus magnus ille Rex Asiæ, cũ postea quã à Scipione deuictus Tauro tenus regnare iussus esset, omnémq; hanc Asiã, quæ est nunc nostra prouincia, amisisset: dicere est solitus, Benigne sibi à populo Romano esse factum, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur, potest multò facilius se Deiotarus consolari. Ille enim furoris multam sustinuerat, hic erroris. Omnia tu Deiotaro Cæsar tribuisti,*

a Facit incredibilem ducem in Blesamio.

b Vide miram interpretationẽ eius quod dissolui non potest.

c Extrema pars defensionis qua ne quid metuat Cæsar, confirmat ab eo Deiotarum propter hanc mi nationem minime alienatum esse, sed cum beneficiorum magnitudine, tũ ipsius propria uirtute aut moderatione perpetuo esse deuinctum.

* *Restitue sic: quò minus à se, qui in altera parte fuisset, ea sumeres, non recusauit.*

buisti, cùm & ipsi & filio nomen regium concessisti. Hoc nomine retento atq; cõseruato, nullum beneficium populi Roma. nullum iudicium de se Senatus imminutũ putat: magno animo & erecto est, nec unquam succumbet inimicis, ne fortunæ quidem. Multa se arbitratur & peperisse antea factis, & habere in animo atque uirtute, quæ nullo modo possit amittere. quæ enim fortuna, aut quis casus, aut quæ tanta possit iniuria omnium Imperatorũ de Deiotaro decreta delere? ab omnibus enim est ornatus: qui, postquam in castris esse potuit per ætatem, in Asia, Capadocia, Ponto, Cilicia, Syria, bella gesserũt. Senatus uerò iudicia de illo tam multa, tamq; honorifica, quæ publica populi Rom. literis monimentisq; consignata sunt, quæ unquam uetustas obruet, aut quæ tanta delebit oblivio? Quid de uirtute eius dicam? quid de magnitudine animi, grauitate, constantia? quæ omnes docti atq; sapientes summa, quidam etiã sola bona esse dixerunt: hisque non modò ad bene, sed etiam ad beatè uiuendum contentam uirtutẽ esse. Hæc ille reputans, & dies & noctes cogitans, non modò tibi non succenset, (esset enim non solùm ingratus, sed etiã amens) uerùm omnẽ trãquillitatem, & quietem senectutis acceptã refert clementiæ tuæ. Quo quidem animo cùm antea fuerit, tum non dubito quin tuis literis, quarũ exẽplum legi, quas ad eũ Tarracone huic Blesamio dedisti, se magis etiã erexerit, ab omnique solicitudine abstraxerit. Iubes enim eũ bene sperare, & bono esse animo: quod scio te nõ frustra scribere solere. memini enim iisdem ferè uerbis ad me te scribere, méq; tuis literis bene sperare nõ frustra esse iussũ.[a] *Laboro equidẽ Regis Deiotari causa, quòcũ mihi amicitiam Resp. cõciliauit, hospitiũ uoluntas utriusq; cõiunxit, familiaritatẽ cõsuetudo attulit, summã uerò necessitudinem magna*

[a] Profert officium suũ in hac defensione, & sic eam absoluit.

magna eius officia in me, & in exercitũ meũ effecerunt: sed cũ de illo laboro, tũ de multis amplissimis uiris, quib. semel esse ignotũ à te oportet, nec beneficiũ tuũ in dubiũ uocari, nec hærere in animis hominũ solicitudinẽ sempiternã, nec accidere, ut quisquã te timere incipiat eorum, qui semel à te sint liberati timore.[a] Nõ debeo C. Cæsar, quod fieri solet in tãtis periculis, tẽtare, quonãmodo dicendo misericordiã tuã cõmouere possim. nihil opus est. occurrere ipsa solet supplicibus, & calamitosis nullius oratione euocata. Propone tibi duos Reges: & id animo contẽplare, quod oculis non potes: dabis profectò misericordiæ, quod iracũdiæ negauisti. Multa sunt tuæ clementiæ monimẽta: sed maximè eorum incolumitates, quibus salutem dedisti. Quæ si in priuatis glorioſa sunt, multò magis cõmemorabuntur in Regibus. Semper regiũ nomen in hac ciuitate sanctũ fuit: sociorũ uerò Regum & amicorum, sanctissimũ. Quod nomẽ [b]hi Reges ne amitterent, te uictore timuerũt: retentũ uerò, & à te cõfirmatum posteris etiã suis tradituros esse cõfido. Corpora uerò sua, pro salute Regũ suorum hi Legati tibi regij tradũt, Hieras, & Blesamius, & Antigonus, tibi nobisq; omnibus iamdiu noti, eadémque fide & uirtute præditus Dorylaus, qui nuper cum Hiera Legatus est ad te missus: tum Regum amicissimi, tum tibi etiam, ut spero, probati. [c] Exquire de Blesamio, nunquid ad Regem contra dignitatem tuam scripserit. Hieras quidẽ causam omnem suscipit, & criminibus illis pro Rege se supponit reũ, memoriã tuã implorat: qua uales plurimùm: negat unquã se à te in Deiotari Tetrarchia pedẽ discessisse: in primis finibus tibi se præstò fuisse dicit, usque ad ultimos prosecutum: cùm è balneo exisses, tecũ se fuisse, cùm illa munera inspexisses cœnatus, cùm in cubiculo recubuisses: eand

a Peroratio, in qua breuiter postulat misericordiam pro Rege, & legationem eius commendat.

b Patres & filium scilicet.

c Respicit ad eam & obiter testimonium conficit.

eandémq; assiduitatẽ tibi se præbuisse postridie. Quamobrem, si quid eorum, quæ obiecta sunt, cogitatum sit, non recusat, quin id facinus suũ iudices. [a] *Quocirca C. Cæsar uelim existimes, hodierno die sententiam tuam, aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse Regibus, aut incolumem famam cum salute, quorum alterum optare, illorum crudelitatis est: alterum conseruare, clementiæ tuæ.*

a Concludit à clementia Cæsaris, quã tribuendam esse regibus monet, &c.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA PRIMA.

ORATIO XLIIII.

b Orditur à præpositione eorum quæ ordine dicturus. Captat docilitatẽ & attẽtionem. Primo narrat quare Romã profectus sit.

ANTE QVAM [b] *de Rep. Patres conscripti dicã ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam uobis breuiter consilium & profectionis & reuersionis meæ. Ego cùm sperarem aliquando ad uestrum consilium autoritatémque Rempub. esse reuocatam, manendum mihi statuebam, quasi in uigilia quadã Consulari ac Senatoria. nec uerò usquam discedebam, nec à Rep. deiiciebam oculos ex eo die quo in eadem Telluris conuocati sumus. in quo tẽplo quantũ in me fuit, ieci fundamẽta pacis: Atheniẽsiúmq; reuocaui uetus exẽplum:* ἀμνηστία *Græcum etiã uerbum usurpaui, quo tum in sedandis discordiis erat usa ciuitas illa: atq; omnẽ memoriam discordiarũ obliuione sempiterna delẽdam censui.* [c] *Præclara tũ oratio M. Antonij, egregia etiã uoluntas: pax denique per eũ, & per liberos eius cum præstantissi-*

c Instituit antithesin & primo commemorat facta rectè Antonii, vt cum his postea mutatam sententiam conferat.

tissimis ciuibus confirmata est. Atq; his principiis reliqua consentiebant. ad deliberationes eas, quas habebat domi de Repub. principes ciuitatis adhibebat: ad hunc ordinem res optimas deferebat: summa cum dignitate & constantia ad ea, quæ quæsita erant, respõdebat: nihil tũ, nisi quod erat notũ omnibus, in C. Cæsaris commẽtarijs reperiebatur. Num qui exules restituti? unũ aiebat, præterea neminem. Num immunitates datæ? nullæ, respondebat. Assentiri etiam nos Ser. Sulpitio clarissimo uiro uoluit, ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Cæsaris aut beneficij figeretur.[a] Multa prætereo, eaq; præclara: ad singulare enim M. Antonij factũ festinat oratio. Dictaturã, quæ uim iam regiæ potestatis obsederat, funditus ex Rep. sustulit. de qua ne sentẽtias quidem diximus. scriptũ Senatusconsultũ, quod fieri uellet, attulit. quo recitato, autoritatẽ eius summo studio secuti sumus, eiq; amplissimis uerbis per Senatusconsultũ gratias egimus. Lux quædam uidebatur oblata, non modò regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato: magnumq; pignus ab eo Reip. datum, se liberam ciuitatem esse uelle, cùm Dictatoris nomẽ, quod sæpe iustum fuisset, propter perpetuæ Dictaturæ recẽtem memoriam funditus ex Repub. sustulisset. Liberatus cædis periculo paucis pòst diebus Senatus: uncus impactus est[b] fugitiuo illi, qui in C. Marij nomẽ inuaserat. Atq; hæc omnia cõmuniter cum collega: alia porrò propria Dolabellæ: quæ, nisi collega abfuisset, credo eis fuisse futura cõmunia.[c] Nã cùm serperet in urbe infinitũ malum, idq; manaret in dies latius, ijdemq; bustum in foro facerent, qui illam insepultã sepulturam effecerãt, & quotidie magis magisq; perditi homines, cum sui similibus seruis, tectis ac templis urbis minarẽtur: talis animaduersio fuit Dolabellæ, cùm in au-

a Hæc verba reddunt attentũ auditorem.

b C. Amatiũ intelligit & designat.

c Declarat id qđ proposuerat oratorie.

daces sceleratósq; seruos, tum in impuros & nefarios liberos talisq; euersio illius execratæ columnæ, ut mirum mihi uideatur, tam ualde reliquum tẽpus ab illo uno die dissensisse. [a] Ecce enim Cal. Iunij, quibus ut adessemus edixerat: mutata omnia: nihil per Senatum, multa & magna per seipsum & absente populo & inuito. Consules designati se audere negabãt in Senatum uenire: [b] patriæ liberatores urbe carebãt ea, cuius à cerui cibus iugũ seruile deiecerant: quos tamen ipsi Cõsules & in concionibus & in omni sermone laudabant. Veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissimè cauerat, non ad conseruationẽ earũ rerum, quas habebãt, sed ad spem nouarũ prædarũ incitabãtur. Quæ cùm audire mallem, quàm uidere, haberemq; ius Legationis liberũ, ea mente discessi, ut adessem Calend. Ianuarij, quod initiũ Senatus cogendi fore uidebatur. Exposui P. C. profectionis consilium: nunc reuersionis, quæ plus admirationis habet, breuiter exponam. Cùm Brundusium, iterq; illud, quod tritum in Græciam est, [c] non sine causa uitauissem, Cal. Sextilibus ueni Syracusas, quòd ab urbe ea transmissio in Græciã laudabatur. quæ tamen urbs mihi cõiunctissima plus una me nocte cupiens retinere nõ potuit: ueritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios aduentus suspicionis aliquid afferret, si essem cõmoratus. Cùm autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, uenti detulissent, ab eo loco cõscendi, ut transmitterẽ: nec ita multũ prouectus, reiectus austro sum in eũ ipsum locũ, unde conscenderã. [d] cumq; intempesta nox esset, mãsissemq; in uilla P. Valerij comitis & familiaris mei, postridieq; apud eundẽ uentũ expectãs manerem, [e] municipes Rhegini complures ad me uenerunt: ex his quidã Roma recẽtes: à quibus primũ accipio

a De mutata Antonii voluntate in Rep. narrat.

b πάθος mouet ab indignitate.

c A locis narrationem uerisimilem facit.

d A tempore.

e A persona.

M. An

M. Antonij concionem: quæ ita mihi placuit, ut ea lecta de reuersione primùm cœperim cogitare. nec multo pòst edictum Bruti affertur & Cassij. quod quidem mihi, for taſſe quòd eos etiam plus Reip. quàm familiaritatis gratia diligo, plenum æquitatis uidebatur. Addebant præterea (fit enim plerunque, ut ii qui boni quid uolunt afferre, affingant aliquid, quò faciant id quod nuntiãt, lætius) rem conuenturam: Calend. Sextilibus Senatum frequẽtem fore: Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis Gallijs prouinciis ad autoritatem Senatus esse rediturum. Tum uerò tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neq; uenti satisfacerẽt: non quò me ad tẽpus occursurum putarẽ, sed ne tardius, quàm cuperem, Reip. gratularer.[a] Atq; ego celeriter Veliam deuectus Brutum uidi, quanto meo dolore, non dico: turpe mihi ipsi uidebatur, in eam urbẽ me audere reuerti, ex qua Brutus excederet: & ibi uelle tutò esse, ubi ille non posset.[b] Neq; uerò illum similiter atq; ipse eram, commotum esse uidi. erectus enim maximi ac pulcherrimi facti conscientia, nihil de suo casu, multa de nostro querebatur. ex quo primùm cognoui, quæ Calen. Sextilibus in Senatu fuisset L. Pisonis oratio: qui quanquam parum erat (id enim ipsum à Bruto audierã) à quibus debuerat, adiutus: tamen & Bruti testimonio (quo quid potest esse grauius) & omnium prædicatione, quos postea uidi, magnam mihi uidebatur gloriã consecutus. Hunc igitur ut sequerer, properaui, quem præsentes non sunt secuti: non ut proficerem aliquid (neq; enim sperabam id, neq; præstare poterã) sed ut, si quid mihi humanitus accidisset[c] (multa autem impendêre uidebantur præterna turam etiam, præterq; fatum) huius diei uocem testem Reipub. relinquerem meæ perpetuæ erga se uoluntatis.

nec ita mul.

a Continuando narrationem obiter de fortuna Bruti queritur.

b πτῶσις ab occupatione.

c Violentam & inopinatã mortem intelligit.

Quoniam utriusq; consilij causam P.C. probatam uobis esse cõfido, prius quàm de Rep. dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonij iniuria, cui fum amicus: idq; nonnullo eius officio* debere esse, præ me semper tuli. a Quid tandem erat causæ, cur in Senatum hesterno die tam acerbè cogerer? solúsne aberam? an non sæpe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, ut etiã ægrotos deferri oporteret? b Annibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam causam etiã Appium illum & cæcum & senem delatũ esse memoriæ proditum est. De supplicationibus referebatur: quo in genere Senatores deesse non solent. Coguntur enim nõ pignoribus, sed eorum, quorũ de honore agitur, gratia: quod idem fit, cũ de triumpho refertur. ita sine cura c Consules sunt, ut penè liberum sit Senatori non adesse. qui cùm mihi mos notus esset, cumq; de uia languerẽ, & mihimet displicerem, misi pro amicitia, qui hoc ediceret. At ille uobis audiẽtibus, cum fabris se domum meam uenturum esse dixit. nimis iracundè hoc quidem, & ualde intẽperanter. cuius enim maleficij ista pœna est, ut dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturũ publicè ex Senatus sententia ædificatã domũ? quis autem unquã tãto damno Senatorem coegit? aut quid est ultra pignus, aut mulctã? qui si scisset quã sententiã dicturus essem, remisisset aliquid profectò de seueritate cogendi. d An me cẽsetis P.C. quod uos inuiti secuti estis, decreturũ fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerẽtur? ut inexpiabiles religiones in Remp. inducerentur? ut decernerentur supplicationes mortuorum? e Nihil dico quis fuerit ille L. Brutus, qui & ipse regio dominatu Remp. liberauit, & ad similẽ uirtutẽ & simile factum stirpẽ in propè quingentesimũ annum propagauit: adduci tamẽ nõ possem, ut quẽquam mortuum

* debere etiam præ me, &c.

a Propositio querelæ de iniuria Antonii.

b Exaggerat iniuriam à circunstantiis.

c Exaggeratio iniuriæ à iusta causa absentiæ.

d Status coniecturalis.

e Occupatio.

mortuum cõiungerem cum eorum immortaliũ religione: ut cuius sepulcrum nusquam extet, ubi parentetur, ei publicè supplicetur. Ego uerò eam sententiam dixissem Patres conscripti, ut me aduersus populum Romanũ si quis accidisset grauior Reipub. casus, si bellum, si morbus, si fames, facilè possem defendere: quæ partim iam sunt, partim timeo ne impẽdeant. [a] *Sed hoc ignoscant dij immortales uelim & populo Romano, quod nõ probat, & huic ordini, qui decreuit inuitus.* [b] *Quid de reliquis Reip. malis? licétne dicere? mihi uerò licet, & semper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere. potestas modò ueniendi in hunc locum sit: dicendi periculum non recuso. Atq; utinam P.C. Calend. Sext. libus adesse potuissem: nõ quò profici potuerit aliquid: sed ne unus modò Consularis, quod tum accidit, dignus illo honore, dignus Rep. inueniretur.* [c] *Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines amplissimis populi Ro. beneficiis usos L. Pisonem ducem optimæ sententiæ non secutos. Idcircóne nos populus Romanus* Consulares fecit, ut in altissimo amplissimoq; gradu dignitatis locati Rẽp. pro nihilo haberemus? non modò uoce nemo L. Pisoni Consularis, sed ne ultu quidem assensus est. Quænam (malùm) est ista uoluntaria seruitus? fuerit quædam necessaria: nec ego hoc ab omnibus iis desidero, qui sententiam loco Consulari dicũt. alia causa est eorum, quorum silẽtio ignosco: alia eorum, quorum uocem requiro. quos quidẽ doleo in suspicionem populo Rom. uenire. non metu, quod ipsum est turpe, sed alium alia de causa deesse dignitati suæ. Quare primùm maximas gratias & habeo, & ago L. Pisoni, qui non quid efficere posset in Repub. cogitauit, sed quid ipse facere deberet:* [d] *deinde à uobis P. C. peto, ut etiam si sequi minus audebitis orationem atq; autoritatem meam, be-*

a πρόθος à precatione.

b Paraſcene ad ea quæ de Rep. dicturus eſt.

c πρόθος ab indignitate rei.

*Conſules

d Captat benevolentiã ad ea quæ dicturus eſt.

a Propositio.

b Sarcasmos.

c Correctio.

d Leges intelligit.

*ad Opis

e Concessio ironica.

f Probatio maioris.

g Probat ab exēplis per inductionem.

nignè tamē me: ut feciſtis adhuc, audiatis. [a] Primùm igitur acta Cæſaris ſeruanda cenſeo: non quò probem: quis enim id quidem poteſt? ſed quia rationem habendā maximè arbitror pacis & otij. [b] Vellē adeſſet Antonius, modò ſine aduocatis. ſed, ut opinor, licet ei minꝰ ualere: quod mihi heri per illum nō licebat. doceret me, uel potius uos P. C. quemadmodum ipſe Cæſaris acta defenderet. An in commentariolis, & chirographis, & libellis ſe uno autore prolatis, [c] ac ne prolatis quidem, ſed tātummodo dictis, acta Cæſaris firma erunt: [d] quæ ille in æs incidit, in quo populi iuſſa, perpetuasq; leges eſſe uoluit, pro nihilo habebūtur? Equidem ſic exiſtimo: nihil tam eſſe in actis Cæſaris, quàm leges Cæſaris. an, ſi cui quod ille promiſit, id erit fixum? quod idem facere non potuit, ut multis multa promiſſa nō fecerit: quæ tamen multo plura reperta ſunt illo mortuo, quàm uiuo beneficia per omnes annos tributa, & data. ſed ea non muto, non moueo: ſummo etiā ſtudio præclara illius acta defendo. pecunia utinam* ad eadem Opis maneret, cruēta illa quidem, ſed his temporibus, cum iis, quorum eſt, non redditur, neceſſaria. [e] quanquā ea quoq; ſit effuſa, ſi ita in actis eius fuit. [f] Equid eſt, quod tam propriè dici poſſit actum eius, qui togatus in Reipub. cum poteſtate Imperioq; uerſatus ſit, quā lex? [g] quære acta Gracchi, leges Semproniæ proferentur: quære Syllæ, Corneliæ. quid? Cn. Pompeij tertius Conſulatus in quibus actis cōſiſtit? nempe in legibus. à Cæſare ipſo ſi quæreres, quidnam egiſſet in urbe & toga: leges multas reſponderet ſe & præclaras tuliſſe. chirographa uerò aut mutaret, aut non daret: aut ſi dediſſet, non iſtas res in actis ſuis duceret. Sed ea ipſa concedo: quibuſdam in rebus etiam conniueo: in maximis uerò rebus, id eſt, legibus, acta Cæſaris diſſolui, ferendum non puto.

Quæ

[a] *Quæ lex melior, utilior, optima etiam Rep. ſæpius flagitata, quàm ne Prætoriæ prouinciæ pluſquam annum, *ne plus quàm biennium Conſulares obtinerentur? Hac lege ſublata, uidẽtúrne uobis acta Cæſaris ſeruari? quid? ea lege, quæ promulgata eſt de tertia Decuria Iudicum, nónne omnes iudiciariæ leges Cæſaris diſſoluuntur?* [b] *& uos acta Cæſaris defenditis, qui leges eius euertitis? niſi fortè, ſi quid memoriæ cauſa retulit in libellum, id numerabitur in actis, & quamuis iniquum & inutile ſit, defendetur: quod ad populum Centuriatis comitiis tulit, id in actis Cæſaris non habebitur. At quæ eſt iſta tertia Decuria? Centurionum inquit, quid? iſti ordini iudicatus lege Iulia, etiam antè Pompeia, Aurelia nõ patebat? Cẽſus præfiniebatur, inquit, non Centurioni quidem ſolùm, ſed Equiti etiam Romano. itaq; uiri fortiſſimi atq; honeſtiſſimi, qui ordines duxerunt, res & iudicant, & iudicauerunt. Non quæro, inquit, iſtos: quicũq; ordinem duxit, iudicet. Atq; ſi feretis, quicunq; equo meruiſſet, quod eſt laudatius, nemini probaretis. In iudice enim ſpectari & fortuna debet, & dignitas. Non quæro, inquit, iſta: addo etiam iudices manipulares ex legione Alaudarum. aliter enim noſtri negant poſſe ſe ſaluos eſſe.* [c] *O contumelioſum honorẽ iis, quos ad iudicandum nec opinantes uocatis. hic enim eſt legis index, ut ij in tertia Decuria iudicent, qui liber è iudicare non audeant. in quo quantus eſt error dij immortales eorum, qui iſtam legem excogitauerunt? ut enim quiſq; ſordidiſſimus uidebitur, ita libentiſſimè ſeueritate iudicandi ſordes ſuas eluet: laborabitq; ut honeſtis Decuriis potius dignus uideatur, quàm in turpes iure cõiectus. Altera promulgata lex eſt, ut & de ui, & de maieſtate damnati, ad populũ prouocent, ſi uelint.* [d] *hæc utrum tãdem lex eſt? an legum omnium diſſolutio?*

[a] Confirmatio maioris propoſitionis.

*neu

[b] Epiphonema.

[c] Exclamatio pathetica.

[d] Legis Antoniæ improbatio ab inutili.

quis enim est hodie, cuius interſit iſtam legẽ manere? nemo reus eſt iſtis legibus: nemo eſt, quem futurũ putemus. armis enim geſta, nunquã profectò in iudiciũ uocabuntur. [a] *At res popularis. utinã quidem uelliet is aliquid eſſe populare. omnes enim iã ciues de Reip. ſalute unà & mente, & uoce conſentiunt.* [b] *Quæ eſt igitur ea cupiditas eius legis ferẽdæ, quæ turpitudinem ſummã habeat, gratiam nullam? quid enim turpius, quàm qui maieſtatem Pop. Rom. per uim minuerit, eum damnatũ iudicio, ad eam ipſam uim reuerti, propter quã ſit iure damnatus?* [c] *Sed quid plura de lege diſputo? quaſi uerò id agatur, ut quiſquam pronocet. id agitur, id fertur, ne quis omnino unauam iſtis legibus reus fiat. Quis enim aut accuſator tam amens reperietur, qui reo condemnato obiici ſe multitudini cõductæ uelit? aut iudex qui reum damnare audeat, ut ipſe ad operas mercenarias ſtatim protrahatur?* [d] *Nõ igitur pronocatio iſta lege datur: ſed duæ maximè ſalutares leges, quæſtionéſq; tollũtur.* [e] *Quid eſt aliud igitur, quàm adhortari adoleſcentes, ut turbulenti, ut ſeditioſi, ut pernicioſi ciues uelint eſſe? quã autem ad Reip. peſtem furor Tribunitius impelli non poterit, his duabus quæſtionibus de ui, & de maieſtate ſublatis?* [f] *Quid, q abrogatur his legibus Cæſaris, quæ iubent ei, qui de ui, itémq; ei, qui maieſtatis dãnatus ſit, aqua & igni interdici? quibus cum pronocatio datur, nónne acta Cæſaris reſcinduntur?* [g] *Quæ quidẽ ego P. C. quia illa nunquam probaui, ita cõſeruanda cõcordiæ cauſa arbitratus ſum, ut non modò, quas unus Cæſar leges tuliſſet, infirmãdas hoc tempore non putarem: ſed ne illas quidem, quas poſt mortem Cæſaris prolatas eſſe, & fixas uidetis. De exilio reducti ſunt à mortuo: ciuitas data non ſolùm ſingulis, ſed etiam nationibus, & prouinciis uniuerſis à mortuo*

immun

a Subiectio.

b Ab honeſto legem improbat.

c Correctio.

d Clauſula argumentorum eſt.

e Exaggeratio.

f Finis legis Antonianæ.

g Redit ad ſuperiorẽ propoſitionẽ, acta Cæſaris ſeruanda eſſe.

immunitatibus infinitis ſublata uectigalia à mortuo. [a] *Ergo hæc uno uiro optimo autore domo prolata defendimus: eas leges, quas ipſe uobis inſpectantibus recitauit, pronuntiauit, tulit, quibus latis gloriabatur, iiſq; legibus Remp. cõtineri putabat, de prouinciis, de iudiciis, eas, inquam, Cæſaris leges nos, qui defendimus acta Cæſaris, euertẽdas putabimus?* [b] *Ac de iis tamẽ legibus, quæ promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus: de iis, quæ iã latæ dicuntur, ne illud quidem licuit. illæ enim nulla promulgatione latæ ſunt ante quàm ſcriptæ.* [c] *Quærunt quid ſit, cur aut ego, aut quiſquã ueſtrum P. C. bonis Trib. pleb. leges malas metuat. paratos habemus qui intercedant, paratos qui Rẽp. religione defendãt: nacui metu eſſe debemus.* [d] *Quas tu mihi, inquit, interceſſiones, quas religiones nominas? eas ſcilicet, quibus Reip. ſalus cõtinetur. negligimus iſta, & nimis antiqua, & ſtulta ducimus. forũ ſepietur: omnes claudentur aditus: armati in præſidiis multis in locis collocabũtur. quid tum? quod erit ita geſtum, id lex erit, & in æs incidi iubebitis? cedò illa legitima: Conſules populũ iure rogauerunt. (hoc enim a maioribus accepimus ius rogãdi,) Populúſq; iure ſciuit. qui populus? íſne, qui excluſus eſt? quo iure? an eo, quod ui, & armis omne ſublatum eſt? Atq; ego hoc dico de futuris, quod eſt Augurũ, antè dicere ea, quæ uitari poſſunt: quæ ſi facta nõ erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis, de quibus eſt integrũ uobis: demonſtro uitia, tollite. denũtio uim, arma: remouete.* [e] *Iraſci te quidẽ mihi Dolabella pro Rep. dicenti nõ oportebit. quanquam te quidẽ id facturũ non arbitror: noui enim facilitatem tuã. collegam tuũ aiunt in hac ſua fortuna, quæ bona ipſi uidetur: mihi ne grauius quippiã dicã, auorũ, & auũculi ſui Conſulatũ ſi imitaretur, fortunatior uideretur: ſed*

[a] Repetitio cum magna vehementia.

[b] Tranſitio.

[c] Dialogiſmo oratione exornatur

[d] Prolepſis, i. occupatio obiectionis.

[e] Captat benevolentiam à re pro qua dicturus eſt.

eum iracundũ audio factum. Video autẽ quàm sit odiosum habere iratum eundem & armatũ, cùm tanta præsertim gladiorum sit impunitas. [a] *sed proponã ius, ut opinor, æquum: quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego si quid in uitam eius aut in mores contumelioſẽ dixero, quò minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. si consuetudinem meam quam in Rep. semper habui,* [b] *tenuero, id est, si liberè quæ sentiam, de Rep. dixero: primùm deprecor ne iraſcatur: deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic iraſcatur, ut quibus armis utatur, si ita necesse est, ut dicit, sui defendendi causa iis qui pro Rep. quæ ipsis uisa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. quid hac postulatione dici potest æquius? Quòd si ut à quibusdam mihi eius familiaribus dictum est, omnis eum, quæ habebitur contra uoluntatẽ eius oratio, grauiter offendit, etiam si nulla ineſt cõtumelia: feremus amici naturam.* [c] *sed iidem illi ita mecũ, Non idem tibi aduersario Cæsaris licebit, quod Pisoni socero. & simul admonent quiddam, quod cauebimus: nec erit iustior P. C. in Senatum non ueniẽdi morbi causa, quàm mortis. Sed per deos immortales, te enim intuens* [d] *Dolabella, qui es mihi chariſsimus, nõ possum de utriusq; uestrũ errore reticere. Credo enim uos homines nobiles, magna quædã spectantes, non pecuniã, ut quidam nimis creduli suspicantur, quæ semper ab amplissimo quoq; clarissimóq; contẽpta est, nõ opes uiolentas, & Pop. Ro. minimè ferendã potentiã, sed charitatem ciuium, & gloriam concupisse. ea autem est gloria, laus rectè factorum, magnorúmque in Remp. meritorum, quæ cùm optimi cuiusq;, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur. Dicerẽ Dolabella, qui rectè factorum fructus esset, nisi te pauliſper esse expertum iderem. Quem potes recordari in uita tibi illuxisse diem*

a Captat beneuolentiam ab æquitate postulationis, quam ab Antonio postulat.

b Epexegesis.

c Fingit se alloqui Antonii familiares per mimesim.

d In Dolabellam intuetur, sed amicè.

lætiorem, quàm cum expiato foro, dissipato concursu impiorum, [a] *principibus sceleris pœna affectis, te domũ recepisti? cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunæ studia tum laudi, & gratulationi tuæ se non obtulerunt? Quin mihi etiam, quo autore te in iis rebus uti arbitrabantur, & gratias boni uiri agebant, & tuo nomine gratulabantur. Recordare quæso Dolabella cõsensum illum theatri, cùm omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant infensi, significauerunt se nouo beneficio memoriam ueteris doloris abiecisse.* [b] *Hanc tu potuisti Dolabella (magno loquor cum dolore) hãc tu, inquam, animo æquo potuisti tãtam dignitatem deponere? Te autem M. Antoni absentem appello: unum illum diem, quo in æde Telluris Senatus fuit, non omnibus iis mẽsibus, quibus te quidam multum à me dissentientes beatum putant, anteponis? quæ fuit oratio de concordia? quanto metu ueterani, quanta solicitudine ciuitas tum à te liberata est? Tuum collegam depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum, auguria te ipso Augure nuntiante, illo primùm die collegam tibi esse noluisti: Reip. tuus paruulus filius in Capitolium à te missus pacis obses fuit. quo Senatus die lætior? quo Pop. Rom. qui quidem nulla in concione unquam frequentior fuit. tum denique liberati per uiros fortissimos uidebamur, quia, ut illi uoluerant, libertatem pax consequebatur. Proximo, altero, tertio, reliquis consecutis diebus non intermittebas quasi donum aliquod quotidie afferre Reipub. maximum autem illud, quod Dictaturæ nomen sustuliſti. hæc inusta est à te, à te, inquam, mortuo Cæsari nota ad ignominiam sempiternam. Vt enim propter unius M. Manlij scelus decreto gentis Manliæ neminem patricium M. Manlium uocari licet: sic tu propter unius Dictatoris odium, nomen*

[a] Amplificatio facti Dolabellæ.

[b] Clausula & amicæ reprehensionis & hortationis.

Dictæ

a Exaggeratio factorum Antonii à commodis quæ eius facta consequuta sunt.

Dictatoris funditus sustuliſti. [a] Num huiusce cùm pro salute Reip. tãta gessisses, fortunæ te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat? Vnde igitur subitò tanta ista mutatio? non possum adduci, ut suspicer, te pecunia captũ: [b] licet, quod cuiq; libet, loquatur: credere non est necesse. nihil enim unquam in te sordidum, nihil humile cognoui: quanquam nihil est tam sanctum, quod non soleant domestici deprauare nonnunquam: sed noui firmitatem tuam: atque utinam ut culpam, sic etiã suspicionem uitare potuisses. Illud magis uereor, ne ignorans uerum iter gloriæ, glorioſum putes, plus te unum posse, quàm omnes: & metui à ciuibus tuis, quàm diligi malis: quòd si ita putas, totam ignoras uiã gloriæ. [c] Charum esse ciuem, bene de Repub. mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum est: metui uerò, & in odio esse, inuidioſum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod uidemus etiam in fabulis, ipſi illi, qui, [d] Oderint dum metuant, dixerit, pernicioſum fuisse. Vtinam Antoni auum tuum meminisses: de quo tamẽ multa audisti ex me sæpissimè. Putásne illum immortalitatem mereri uoluisse, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur? illa erat uita, illa secunda fortuna, libertate esse parem cum cæteris, principem dignitate. Itaque, ut omittam res aui tui prosperas, acerbissimum eius diem supremũ malim, quàm L. Cinnæ dominatum, à quo ille crudelissimè est interfectus. Sed quid oratione te flectam? si enim [e] exitus C. Cæsaris efficere hoc non potest, ut malis charus esse, quàm metui, nihil cuiusquã proficiet, nec ualebit oratio. quem qui beatum fuisse putant, miserrimi ipſi sunt. Beatus est nemo, qui ea lege uiuit, ut non modò impunè, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. [f] Quare flecte te quæso, & maiores tuos respice, atque

b Correctio.

c Hortatur Antonii vt malit charus esse ciuibus quàm metui.

d Tyrannica vox.

e A morte Cæsaris Antonii hortatur.

f Epilogus.

ita gu

ita guberna Remp. ut natum esse te ciues tui gaudeant: sine quo nec beatus, nec clarus esse quisquam potest. [a] *Et populi quidem Roma. iudicia multa ambo habetis, quibus uos nõ satis moueri permolestè fero. Quid enim gladiatoribus clamores innumerabilium ciuium? quid populi concursus? quid Pompeij statua plausus infiniti? quid ijs Tri.ple. qui uobis aduersantur? parúmne hæc significant, incredibiliter consentientem Pop. Roma. uniuersi uoluntatem?* [b] *Quid? Apollinarium ludorũ plausus, uel testimonia potius & iudicia Pop. Ro. uobis parua uidebantur?* [c] *O beatos illos, qui cùm adesse ipsis propter uim armorum non licebat: aderant tamen, & in medullis Pop. Ro. ac uisceribus hærebant. nisi fortè Accio tum plaudi & sexagesimo pòst anno palmam dari putabatis, non Bruto, qui iis ludis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium Po. Rom. tribuerit absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu, & clamore lenierit.* [d] *Equidem is sum, qui istos plausus, cùm à popularibus ciuibus tribuerentur, semper contempserim: idémque cùm à summis, mediis, infimis, cùm deniq; ab uniuersis hoc idem fit, cúmque ij, qui antè sequi populi consensum solebant, fugiunt, non plausum illum, sed iudicium puto. Sin hæc leuiora uobis uidentur, quæ sunt grauissima: non etiam hoc contemnitis, quòd sensistis tam charam Po. Ro. uitam A. Hircij fuisse? satis enim erat, probatum illum esse Popu. Rom. ut est: iucundum amicis, in quo uincit omnes: charum suis, quibus est charissimus: tantam tamen solicitudinem bonorum, tantum timorem omniũ in quo meminimus? certè in nullo.* [e] *Quid igitur? hoc uos per deos immortales quale sit non interpretamini? quid eos de uestra uita cogitare cẽsetis, quibus eorũ, quos sperãt Reip. consulturos, uita tã chara sit?*

[a] A iudiciis populi Romani.

[b] A plausu populi in ludis Apoll. dato adhortatur.

[c] Exclamatio.

[d] Occupatio.

[e] Clausula hortationis.

Cepi

a Epilogus orationis totius.

a *Cepi P.C. reuersionis meæ fructum: quoniam ea dixi, ut quicunq; casus consecutus esset, extaret conscientiæ meæ testimonium: & sum à uobis benignè, ac diligenter auditus. Quæ potestas si mihi sæpius sine meo uestróque periculo fiet, utar: si minus, quantum potero, non tam mihi me, quàm Reip. reseruabo. Mihi ferè satis est, quod uixi, uel ad ætatem, uel ad gloriam: huc si quid accesserit, non tam mihi, quàm uobis, Reiq; pub. accesserit.*

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA SECVNDA.

ORATIO XLV.

b Exordium ab expositione infortunii sui cum admiratione & indignatione.

b *QVONAM meo fato P.C. fieri dicam, ut nemo his annis uiginti Reipub. hostis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit?* c *Nec uerò necesse est à me quenquam * nominari uobis, cùm ipsi recordemini. mihi pœnarum illi, plus quàm optarem, dederunt. te miror Antoni, quorum facta imitêre, eorum exitus non perhorrescere. Atque hoc in aliis minus mirabar. nemo illorum mihi inimicus fuit uoluntarius:* d *omnes à me Reipub. causa lacessiti. tu, ne uerbo quidem uiolatus, ut audacior quàm L. Catilina, furiosior quàm P. Clodius uiderere, ultrò maledictis me lacessisti, tuámque à me alienationem commendationẽ ad ciues impios tibi gloriæ fore putauisti. Quid putem? contemptúmne me? non uideo nec in uita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii quid despicere possit Antonius. An in Senatu * facillimè detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis*

c Occupatio.

*nominari: uobiscũ ipsi recordamini.

d Beneuolentiam captat, & ultro ab Antonio sit prouocatus: cui respondere cogatur.

*facilè de me detra.

simis ciuibus bene gestæ Reip. testimonium multis, mihi uni conseruatæ dedit? An decertare mecum uoluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est. quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi & pro me, & contra Antoniũ dicere? [a] *Illud profectò est: non existimauit sui similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus.* [b] *Cui prius quàm de cæteris rebus respondeo, de amicitia, quam à me uiolatã esse criminatus est, quod ego grauissimum crimen iudico, pauca dicam. Contra rem suam uenisse me nescio quando quæstus est. An ego non uenirẽ contra alienum pro familiari & necessario meo? non uenirem contra gratiã, nõ uirtutis specie, sed ætatis flore collectã? non uenirem contra iniuriã, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure Prætorio? Sed hoc idcirco commemoratũ à te puto, ut te infimo ordini commendares, cùm te omnes recordarentur libertini generum, & liberos tuos nepotes Qu. Fady libertini hominis fuisse.* [c] *At enim te in disciplinam meã tradideras (nam ita dixisti) domũ meam uentitaras. nã tu, si id feciſſes, melius famæ, melius pudicitiæ tuæ consuluisses: sed nec feciſti, nec si cuperes, tibi id per C. Curionẽ facere licuisset.* [d] *Auguratus petitionẽ mihi te concessisse dixisti. O incredibilẽ audaciã: ô impudentiam prædicandam.* [e] *Quo enim tempore me Augurem à toto collegio expetitum Cn. Pompeius & Qu. Hortensius nominauerunt (neq; enim licebat à pluribus nominari) tu nec soluẽdo eras, nec te ullo modo, nisi euersa Repu. incolumem fore putabas. Poteras autem eo tempore Auguratũ petere, cùm in Italia Curio nõ esset? aut tum, cùm es factus, unam tribum sine Curione ferre potuisses?* [f] *cuius etiã familiares de ui cõdemnati sunt, quòd tui nimis studiosi fuissent.* [g] *At beneficio sum usus tuo.*

a Propositio est cũ captatione & docilitatis & attentionis.

b Primum crimẽ Ciceroni ab Antonio obiectum.

c Secunda obiectio Antonii.

d Tertia obiectio Antonii.

e Confutatio à falso.

f Ambitũ Antonii notat.

g Quarta obiectio.

quo?

quo? quanquam illud ipſum, quod commemoras, ſemper præ me tuli. malui me tibi debere confiteri, quàm cuiquã minus prudenti nõ ſatis grãtus uideri. ſed quo beneficio?

a Inuidioſe dictum.

a quòd me Brunduſii non occideris? quem ipſe victor, qui tibi, ut tute gloriari ſolebas, detulerat ex latronibus ſuis principatum, ſaluum eſſe uoluiſſet, in Italiam ire iuſſiſſet, eum tu occideres?

b Conceſsio.

b fac potuiſſe. quod eſt aliud P.C. beneficium latronum, niſi ut commemorare poſſint, iis ſe dediſſe uitã, quibus non ademerint?

c Vrget Antoniũ ſuo ipſius de interfectoribus teſtimonio.

c Quod ſi eſſet beneficium, nunquã ij, qui illum interfecerunt, à quo erant ſeruati, quos tu ipſe uiros clariſſimos appellare ſoles, tãtam eſſent gloriam cõſecuti. Quale autem beneficiũ eſt, quòd te abſtinueris nefario ſcelere? qua in re nõ tam iucundum uideri mihi debuit, non interfectum à te, quàm miſerum, id te impunè facere potuiſſe.

d Conceſsio.
e Subiectio.

d Sed ſit beneficiũ: e quandoquidem maius accipi à latrone nullum potuit.

f Cõfutatio ſubiectionis.

f In quo potes me dicere ingratum? an de interitu Reip. queri non debui, *ne de te ingratus uiderer? At in illa querela miſera quidẽ & luctuoſa, ſed mihi pro hoc gradu, in quo me Senatus Pupulúſque Roman. collocauit, neceſſaria, quid eſt dictum à me cum contumelia? quid non moderatè? quid non amicè? Et quidem cuius temperantiæ fuit, de M. Antonio querentem, abſtinere maledicto?

*ne in te ingratus eſſe uiderer.

Nam

g Congeries flagitiorũ Antonii.

g præſertim cùm tu reliquias Reip. diſſipauiſſes: cùm domi tuæ turpiſſimo mercatu omnia eſſent uenalia: cùm leges eas, quæ nũquam promulgatæ eſſent, & de te, & à te latas cõfiterere: cũ auſpicia Augur, interceſſionẽ Conſul ſuſtuliſſes: cùm eſſes fœdiſſimè ſtipatus armatis: cùm omnes impuritates pudica in domo quotidie ſuſciperes, uino luſtríſque confectus. At ego tanquam mihi cum M. Craſſo cõtentio eſſet, quócum multæ & magnæ fuerunt, nõ cum uno gladiatore nequiſſimo, de Rep. grauiter

iuiter querens, de homine nihil dixi. Itaq; hodie perficiã, ut intelligat, quantum tum à me beneficium acceperit. [a] At etiam literas, quas me sibi misisse diceret, recitauit homo & humanitatis expers, & uitæ cõmunis ignarus. Quis enim unquam, qui paulùm modò bonorum consuetudinẽ nosset, literas ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita in medium protulit, palámque recitauit? [b] Quid hoc est aliud, q̃ tollere è uita uitæ societatẽ? tollere amicorum colloquia absentium? quàm multa ioca solent esse in epistolis, quæ prolata si sint, inepta esse uideantur? quàm multa seria, neq; tamen ullo modo diuulganda? Sit hoc inhumanitatis tuæ: stultitiam incredibilem uidete. [c] Quid habes, quod mihi opponas homo diserte, ut Mustellæ Tamisio, & Tironi Numisio uideris? qui cùm hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu Senatus, ego quoq; te disertum putabo, si ostenderis quomodo sis eos interficarios defensurus. Sed quid opponas tandem, si negem me unquam istas literas ad te misisse? quo me teste cõuinces? an chirographo? in quo habes scientiam quæstuosam. quî possis? sunt enim librarij manu. Iam inuideo magistro tuo, qui te tanta mercede, quantã iam proferam, nihil sapere docuit. Quid enim est minus non dico oratoris, sed hominis, quàm id obiicere aduersario, quod ille si uerbo negarit, longius progredi non possit, qui obiecerit? At ego non nego: téq; in isto ipso conuinco non inhumanitatis solùm, sed etiam amẽtiæ. Quod enim uerbum in istis literis est non plenum humanitatis, officij, beneuolentiæ? omne autem crimen tuum est, quòd de te in his literis non malè existimem: quòd scribã tanquam ad ciuẽm, tanquam ad bonum uirum, non tanquam ad sceleratum, & latronẽ. [d] At ego tuas literas, etsi iure poteram à te lacessitus, tamen non proferã: quibus petis, ut

[a] Quinta obiectio Antonii ex literis Ciceronis facta.

[b] Locus communis.

[c] Ad obiectionẽ ex literis suis ab Antonio factã reddit.

[d] Anticategoria, i. recriminatio p̃ occupationem.

tibi per me liceat quendam de exilio reducere: adiurásq3 id te inuito me non esse facturum? idq3 à me impetras: quid enim me interponerem audaciæ tuæ? quam neque autoritas huius ordinis, neq3 existimatio Popu Ro. neque leges ullæ possent coercere? ueruntamen quid erat, quod me rogares, si erat is, de quo rogabas, Cæsaris lege reductus? sed uidelicet meam gratiam noluit esse: in quo ne ipsius quidem ulla poterat esse lege lata. [a] Sed cùm mihi Patres cõscripti & pro me aliquid, & in M. Ant. multa dicenda sint: alterum peto à uobis, ut pro me dicentem benignè, alterum ipse efficiam, ut contra illũ cùm dicam, attentè audiatis. simul illud oro: si meam cùm in omni uita, tũ in dicendo moderationẽ, modestiámq3 cognoscitis, nec me hodie cùm isti, ut prouocauit, respondebo, oblitum esse putetis mei. non tractabo ut Consulẽ: ne ille quidem me ut Consularem. etsi ille nullo modo Consul, uel quòd ita uiuit, uel quòd ita Remp. gerit, uel quòd ita factus est Consul: ego sine ulla controuersia Consularis. Vt igitur intelligeretis, qualem ipse se Consularem profiteretur, obiecit mihi Consulatum meum. qui Consulatus uerbo meus P.C. re uester fuit. quid enim constitui, quid gessi, nisi ex huius ordinis consilio, autoritate, sententia? [b] Hæc tu homo sapiens non solùm eloquẽs, apud eos, quorũ consilio sapiẽtiaq3 gesta sunt, ausus es uituperare? Quis autem meum Consulatum, præter P. Clodiũ, qui uituperaret, inuentus est? cuius quidem te fatum, sicuti C. Curionem, manet: quoniam id domi tuæ est, quod fuit illorum utriq3 fatale. [c] Non placet M. Antonio Consulatus meus: at placuit P. Seruilio, ut eum primum nominẽ ex illius temporis Consularibus, qui proximè est mortuus [d] placuit Q u. Luctatio Catulo, cuius semper in hac Rep. manet autoritas: placuit duob⁹ Lucullis, M. Crasso. Qu.

a Diluturus atrocia quædã crimina sibi ab Antonio obiecta, nouo quodam exordio vtitur.

b Probat Consulatum suũre ipsa Senatus fuisse.

c Repetit obiectionẽ Antonii.

d Inductione vtitur probãs nulli non viro bono Cõsulatum suum placuisse.

Horten

Hortenſio, C. Curioni, M. Lepido, C. Piſoni, M.* Labeoni, L. Volcatio, C. Figulo, D. Syllano, L. Murenæ, qui tunc erant Conſules deſignati: placuit idem, quod Conſularibus, M. Catoni qui cùm multa, uita excedẽs prouidit: tũ quòd te Conſulem non uidit. Maximè uerò Conſulatum meũ Cn. Põpeius probauit: qui ut me primùm decedens ex Syria uidit, cõplexus, & gratulans, meo beneficio patriã ſe uiſurum eſſe dixit. Sed quid ſingulos cõmemoro? frequentiſſimo Senatui ſic placuit, ut eſſet nemo, qui mihi nõ ut parenti gratias ageret. qui non mihi uitam ſuam, liberos, fortunas, Remp. referret acceptam. Sed quoniã illis, quos nominaui, tot & talibus uiris Reſp. orbata eſt: ueniamus ad eos, qui duo è Conſulari numero reliqui ſunt. L. Cotta uir ſummo ingenio, ſummáq; prudentia, rebus his geſtis, quas tu reprehẽdis, ſupplicationem decreuit uerbis ampliſſimis: eiq; illi ipſi, quos modò nominaui, Conſulares, Senatúſq; cunctus aſſenſus eſt. [a] qui honos poſt conditam hanc urbem habitus eſt togato ante me nemini. L. Cæſar auunculus tuus, qua oratione, qua conſtantia, qua grauitate ſententiam dixit in ſororis ſuæ uirum, uitricum tuum? hũc tu cùm autorem, & præceptorem omnium conſiliorum, totiúſq; uitæ debuiſſes habere, uitrici te ſimilem, quàm auunculi eſſe maluiſti. huius ego conſiliis alienus Conſul uſus ſum: tu ſororis filius, ecquid ad eum unquam de Rep. retuliſti? ad quos refert dij immortales? ad eos ſcilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi ſunt. [b] hodie non deſcendit Antonius. cur? dat natalitia in hortis. cui? neminem nominabo. putato te eũ Phormioni alicui, tũ Gnatoni, tum Ballioni. [c] O fœditatem hominis flagitioſam! ô impudentiam, nequitiam, libidinem nõ ferendã! [d] tu cùm Principem Senatorem, ciuem ſingularem, tam propinquũ habeas,

* Glabrioni

a Amplificatio honoris ſibi decreti.

b Dialogiſmus.

c Exclamatio pathetica.

d Exaggeratio.

beas, ad eum de Repu. nihil refers: ad eos refers, qui domum suam nullam habent, tuã exhauriũt. [a] Tuus uidelicet salutaris Consulatus, pernicioſus meus? adeóne pudorem cum pudicitia perdidiſti, ut hoc in eo templo dicere auſus ſis, in quo ego Senatum illum, qui quondã florens orbi terrarũ præſidebat, conſulebã: tu homines perditiſſimos cũ gladiis collocauiſti? At etiã auſus es (quid autem eſt, quod tu nõ audeas?) Cliuũ Capitolinũ dicere me Conſule plenum ſeruorum armatorum fuiſſe. ut illa credo nefaria Senatuſconſ. tum fierent, uim afferebam Senatui. [b] O miſerum, ſiue illa tibi nota non ſunt (nihil enim boni noſti) ſiue ſunt, qui apud tales uiros tam impudenter loquare. Quis enim Eques Ro. quis præterea adoleſcens nobilis, quis ullius ordinis, qui ſe ciuẽ meminiſſet, cùm Senatus in hoc templo eſſet, in Cliuo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? quanquã nec ſcribæ ſufficere, nec tabulæ nomina illorum capere potuerunt. [c] Etenim cùm homines nefarij de patriæ parricidio cõſiterentur, conſciorũ indiciis, ſua [d] manu, uoce penè literarũ coacti, ſe urbem inflãmare, ciues trucidare, uaſtare Italiam, delere Remp. conſenſiſſe: quis eſſet, qui ad ſalutem communem defendendã nõ excitaretur? præſertim cùm Senatus populúſq; Ro. haberet ducẽ, qualis ſiquidẽ nunc eſſet, tibi idem, quod illis accidit, cõtigiſſet. [e] Ad ſepulturam corpus uitrici ſui negat à me datum. Hoc uerò ne P. quidẽ Clodius dixit unquã. quẽ, quia iure ei fui inimicus, doleo à te iam omnibus uitiis eſſe ſuperatũ. [f] Quî autẽ tibi uenit in mentẽ, redigere in memoriã noſtrã, te domi P. Lẽtuli eſſe educatũ? an uerebare, ne nõ putaremus natura te potuiſſe tam improbum euadere, niſi acceſſiſſet etiã diſciplina? [g] Tam autẽ eras excors, ut tota in oratione tecũ ipſe pugnares: ut non modò non cohærentia inter ſe dic

a Epiphonema Ironicum.

b Dilemma.

c Exaggeratio reliqui coniurationis eorum.

d Diſtributio.

e Obiectio Antonii eſt.

f Antoniũ vituperat à praua educatione.

g A pugnantibus & contrariis confutat.

se diceres, sed maximè disiuncta atq; cõtraria: ut nõ tanta mecum, quanta tecum tibi esset contentio. [a] *Vitricum tuum in tanto fuisse scelere fatebare, pœna affectum querebare. Ita, quod* **proprium meum est, laudasti: quod totius Senatus est, reprehendisti. nam cùm comprehensio sontiũ mea, animaduersio Senatus fuerit: homo disertus non intelligit eum, quẽ cõtra dicit, laudari à se, eos apud quos dicit, uituperari. Iam illud cuius est non dico audaciæ (cupit enim se audacem dici) sed, quod minimè uult, stultitiæ, qua uincit omnes,* [b] *Cliui Capitolini mentionem facere? cùm inter subsellia nostra uersentur armati, cùm in hac cella Cõcordiæ (ô dij immortales) in qua me Consule salutares sententiæ dictæ sunt, quibus ad hanc diem uiximus, cũ gladiis homines collocati stent. Accusa Senatum, accusa equestrẽ ordinem, qui tum cũ Senatu copulatus fuit: accusa omnes ordines, omnes ciues, dũ confiteare hunc ordinem, hoc ipso tẽpore, ab Ithyreis circumsederi.* [c] *Hæctu non propter audaciã dicis tã impudẽter,* **sed qui tantarũ rerum repugnantiã non uideas nihil profectò sapis. quid est enim dementius, quàm cùm ipse cõtra Remp. pernicioſa arma ceperis, obiicere alteri salutaria? At etiam quodam loco facetus esse uoluisti. quàm id (dij boni) non decebat. in quo est tua culpa nonnulla. aliquid enim salis ab uxore mima trahere potuisti. Cedant arma togæ.* [d] *quid? tũ nónne cesserunt?* [e] *at postea tuis armis cessit toga.* [f] *quæramus igitur utrum melius fuerit: libertati Po. Ro. sceleratorũ arma, an libertatẽ nostram armis tuis cedere? Nec uerò tibi de uersibus respondebo: tantũ dicã breuiter: neq; illos, neq; ullas te omnino literas nosse: me nec Reip. nec amicis unquã defuisse, & tamen omni genere monimentorũ meorum perfecisse operis subciſiuis, ut meæ uigiliæ, meæq; literæ & iuuentuti utilitatis,*

a Repugnantia & cõtrariã ostẽdit.

*propriè

b Repetit superiorem Antonii obiectionem de cliuo Capitolino.

c Repugnãtiam probat.

*sed quia tantam rerum

d Obiectio Antonii est.
e Recriminatio.
f Reiectio.

tatis, & nomini Ro. laudis aliquid afferrent. Sed hæc non huius temporis. ad maiora ueniamus. [a] P. Clo. meo consilio interfectũ esse dixisti. [b] Quidnam homines putarent, si tũ occisus esset, cùm tu illum in foro spectante Po. Ro. gladio stricto insecutus es, negotiũq; transegisses, nisi ille se sub scalas tabernæ librariæ coniecisset, hísq; oppilatis impetum tuum compressisset? [c]* Sed quid? ego sauisse me tibi fateor, suasisse ne tu quidem dicis. at Miloni ne fauere quidem potui. prius enim rem trãsegit, quàm quisquam tum suspicaretur eum facturũ esse. [d] At ego suasi. scilicet is animus erat Milonis, ut pdesse Reip. sine suasore non posset? At lætatus sum. quid ergo? in tanta lætitia cunctæ ciuitatis me unum tristẽ esse oportebat? [e] Quanquam de morte P. Clodij fuit quæstio non satis prudenter illa quidem constituta. quid enim attinebat noua lege quæri de eo, qui hominẽ occidisset, cùm esset legibus quæstio constituta? quæsitũ est tamẽ. [f] quod ergo cùm res agebatur, nemo in me dixit: id tot annis pòst tu es inuentus, qui diceres? Quod uerò dicere ausus es, ídq; multis uerbis, opera mea Põpeiũ à Cæsaris amicitia esse disunctũ, ob eámq; causam mea culpa ciuile bellũ esse natũ: in eo non tu quidem tota re, sed, quod maximũ est, temporibus erraſti. [g] Ego M. Bibulo præstantissimo ciue Consule, nihil prætermisi, quantũ facere, enitiq; potui, quin Pompeium à Cæsaris coniunctione auocarem. in quo Cæsar fuit felicior: ipse enim Põpeium à mea familiaritate disiunxit. [h] Postea uerò quàm se totum Pompeius Cæsari tradidit, quid ego illũ ab eo distrahere conarer? stulti erat sperare, suadere impudẽtis. [i] Duo tamẽ tẽpora inciderũt, quibus aliquid cõtra Cæsarem Põpeio suaserim: ea uelim reprehẽdas si potes: unũ, ne quinquennij imperiũ Cæsari prorogaretur: alterũ, ne pateretur fieri, ut absentis eius

ratio

a Obiectio Antonii.
b Paradoxum.
c Regerit obiectum crimen gratia inuidiæ conflandæ.
* Sed tum quidem ego
d Ad obiectionẽ Antonii redit.
e Correctio.
f Subiectio.
g Cõfutatio obiectionis.
h Distributio.
i Parrhesia, i. licentia.

ratio haberetur. quorũ si utrum uis persuasissem, in has miserias nunquã incidissemus. Atq; idẽ cùm iam omnes opes & suas, & Po. Ro. Pompeius ad Cæsarem detulisset, seróq; eadem sentire cœpisset, quæ ego antè multò præuideram: inferríq; patriæ bellum nefarium uiderem: pacis, cõcordiæ, compositionis autor esse nõ destiti: meáq; illa uox est nota multis, [a]Vtinam Cn. Pompei cum C. Cæsare societatem aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses. fuit alterum grauitatis, alterum prudentiæ tuæ. Hæc mea M. Antoni semper & de Põpeio, & de Rep. consilia fuerunt. quæ si ualuissent, Resp. staret: tu tuis flagitiis, egestate, infamia, concidisses. Sed hæc uetera: illud uerò recens, Cæsarẽ meo consilio interfectum. Iam uereor Patres conscripti, ne, quod turpissimũ est, prænaricatorem mihi apposuisse uidear, qui me nõ solùm meis laudibus ornaret, sed etiã oneraret alienis. quis enim meum in istius societate glorioſissimi facti nomen audiuit? cuius autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? [b]occultatum dico? cuius non statim diuulgatũ? citius dixerim iactasse se aliquos, ut fuisse in ista societate uiderentur, qui socij non fuissent, quàm ut quisquam celare uellet. Quàm uerisimile porrò est, in tot hominibus partim obscuris, partim adolescẽtibus, neminẽ occultãtibus, meum nomen latere potuisse? Etenim si autores ad liberandã patriã desiderarentur* illis autoribus, Brutos ego impellerem? quorũ uterq; L. Brutii imaginẽ quotidie uideret, alter etiam Hala? His igitur maioribus orti ab alienis potius cõsiliũ peterẽt, quàm à suis? & foris potius, quàm domo? Quid? C. Cassius in ea familia natus, quæ nõ modò dominatum, sed ne potentiã quidẽ cuiusquam ferre potuit, me autorem, credo, desiderauit: qui etiã sine his clarissimis uiris, hãc rem in Cilicia ad ostium flumi-

a Apostrophe ad Pompeium.

b Correctio.

c Probat singulos coniuratores alia quàm Ciceronis consilia habuisse, quibus ad occidendum Cæsarem commoti sunt.

*ullis

nis Cyndi confeciſſet, ſi ille ad eam ripam, quam conſti-
*nauis appuliſſet tuerat, non ad contrariam, *nauim applicuiſſet. Cn. Domitium non patris interitus clariſſimi uiri, nõ auunculi mors, non ſpoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem, ſed mea autoritas excitauit? An C. Trebonio perſuaſi, cui ne ſuadere quidem auſus eſſem? quò etiam maiorem ei Reſp. gratiam debet, qui libertatem Pop. Rom. unius amicitiæ præpoſuit: depulſõrque dominatus, quàm particeps eſſe maluit. An L. Tullius Cimber me eſt autorem ſecutus? quem ego magis feciſſe illã rem ſum admiratus, quàm facturum putaui. admiratus ſum autẽ ob eam cauſam, quòd immemor beneficiorũ, memor patriæ fuiſſet. Quid duos Seruilios, Caſcas dicã, an Halas? & hos autoritate mea cenſes excitatos potius, quàm charitate Reip. Longum eſt perſequi cæteros: ídq; Reip. præclarum, fuiſſe tam multos, ipſis glorioſius eſt. [a] At quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. Cæſare interfecto, inquit, ſtatim cruentum altè extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamauit, atque ei recuperatam libertatem eſt gratulatus. Cur mihi potiſſimum, quòd ſciebam? [b] Vide ne illa cauſa fuerit appellandi me, quòd cùm rem geſſiſſet conſimilem rebus iis, quas ipſe geſſeram, me potiſſimùm teſtatus eſt, ſe æmulum mearum laudum extitiſſe. Tu autem omnium ſtultiſſime non intelligis, ſi id, quod me arguis, noluiſſe interfici Cæſarem, crimen ſit: etiam lætatum eſſe morte Cæſaris, crimen eſſe? quid enim intereſt inter ſuaſorem facti, & probatorem? aut quid refert, utrũ noluerim fieri, an gaudeam factum? ecquis eſt igitur, te excepto, qui illũ regnare gaudebas, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? omnes enim in culpa. [d] etenim omnes boni, quantum in ipſis fuit, Cæſarem occide-

a Diluit ſuſpicionem, è qua Antonius Cæſarẽ conſilio Ciceronis interfectum coniecerat.

b Inuerſio cauſæ gratulationis M. Bruti.

c Probat conſequẽtia argumẽti.

d Confirmatio.

runt

runt: aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit: uoluntas nemini. Sed stuporem hominis, uel dicam pecudis, attendite. [a]sic enim dixit: M. Brutus, quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamauit: ex quo intelligi debet eum conscium fuisse. Ergo ego sceleratus appellor à te, quem tu suspicatum aliquid suspicaris: ille, qui stillantem præ se pugionem tulit, is à te honoris causa nominatur? [b]esto: sit in uerbis tuis hic stupor: quanto in rebus sententiisq; maior? Constitue hoc Consul aliquando, Brutorum, C. Cassii, Cn. Domitij, Cn. Trebonij, reliquorũ, quam uelis esse causam edormi crapulam, inquam, & exhala. an faces admouendæ sunt, quæ te excitent tantæ causæ indormientem? [c]nunquámne *intelligi statuendum tibi esse, utrum illi qui istã rem gesserunt, homicidij rei sint, an uindices libertatis? [d]Attende enim pauliſper, cogitationémq; sobrij hominis ad punctum temporis suscipe: [e]etenim ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris: ut à te arguor, socius, nego quicquam esse medium: confiteor eos, nisi liberatores populi Romani cõseruatorésq; Reipublicæ sint, plus quàm sicarios, plus quàm homicidas, plus etiam quàm parricidas esse. siquidem est atrocius patriæ parentem, quàm suum occidere. Tu homo sapiens & considerate quid dicis? si parricidæ, cur honoris causa à te sunt & in hoc ordine, & apud populum Romanum semper appellati? cur M. Brutus te referente legibus est solutus, si ab urbe plus quàm decem dies abfuisset? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur prouinciæ Cassio, & Bruto datæ? cur Quæstores additi? cur Legatorum numerus auctus? Atq; hæc acta per te: non igitur homicidæ. sequitur ut liberatores tuo iudicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse. Quid est? num

a Mimesis.

b Concessio.

c Vrget Antonii argumento à disiuncto.

*intelliges

d Exprobrat ebrietatem Antonii.

e Nam in disiunctiuo argumento necesse est alterã partẽ esse verã, alteram falsam.

conturbo te? non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis. sed tamen hæc est summa cõclusionis meæ: quoniam scelere à te liberati sunt, ab eodem te amplissimis præmiis * dignissimi iudicati sunt. Itaq; iam retexo orationem meam: scribam ad illos, ut si qui fortè, quod à te mihi obiectum est, quærent sitne uerũ, ne cui negent. etenim uereor, ne aut celatũ me ab ipsis, illis non honestum: aut inuitatũ refugisse, mihi sit turpissimum. [a] Quæ enim res unquam (prò sancte Iupiter) non modò in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta maior? quæ glorioſior? quæ commẽdatior hominũ memoriæ sempiternæ? In huius me consilij societatem, tanquã in equum Troianum includi cum principibus non recuso. Ago etiam gratias, quoquo animo facis. tanta enim res est, ut inuidiã istam, quam tu in me uis concitare, cũ laude non comparem. [b] Quid enim beatius illis, quos tu expulsos à te prædicas & relegatos? qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quò accesserint, non affari, atq; appetere uideatur? qui homines tam agrestes, qui se, cùm eos aspexerint, non maximum cepisse uitæ fructum putent? quæ uerò tam immemor posteritas, quæ tam ingratæ literæ reperientur, quæ eorum gloriã non immortalitatis memoria prosequãtur? Tu uerò ãscribe me talem in numerũ. sed unam rẽ uereor ne non probes. si enim fuissem, nõ solùm Regem, sed regnũ etiam de Rep. sustulissem: & si meus stylus ille fuisset (ut dicitur) mihi crede, [c] non solùm unum actũ, sed totam fabulam cõfecissem. Quanquàm si interfici Cæsarem uoluisse crimen est, uide quæso Antoni, quid tibi futurum sit, quem & Narbone hoc consiliũ cũ C. Trebonio cepisse notissimũ est, & ob eius consilij societatẽ, cùm interficeretur Cæsar, tũ te à Trebonio uidimus seuocari. Ego autẽ (uide quàm tecũ agã nõ inimicè)

* dignissimos iudicatos

a Exaggeratio cædis Cæsaris à magnitudine rei.

b Distributio.

c Metaphora à fabularum autoribus.

micè) quòd bene cogitaſti aliquando, laudo: quòd nõ indi caſti, gratias ago: quòd non feciſti, ignoſco: uirum res illa quærebat. Quòd ſi te in iudiciũ quis adducat, uſurpétq; illud Caſſianum, Cui bono fuerit: [a] uide quæſo ne hæreas. quanquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui uni ſeruire uolebant: tibi tamen præcipuè, qui nõ modò non ſeruis, ſed etiã regnas: qui maximo te ære alieno ad ædem Opis liberaſti: qui per eaſdem tabulas innumerabilẽ pecuniam diſſipauiſti: ad quẽ è domo Cæſaris tã multa delata ſunt: cuius domus quæſtuoſiſſima eſt falſorum cõmentariorum, & chirographorũ officina: agrorum, oppidorũ, immunitatum, uectigaliũ, flagitioſiſſimæ nundinæ. Etenim quæ res egeſtati, & ære alieno tuo præter mortẽ Cæſaris ſubuenire potuiſſet? Neſcio quid conturbatus mihi eſſe uideris. nũquid ſubtimes, ne ad te hoc crimen pertinere uideatur? libero te metu, nemo credet unquã: non eſt tuum de Repub. bene mereri: habet iſtius pulcherrimi facti clariſſimos uiros Reſp. autores: ego te tantum gaudere dico, feciſſe non arguo. [b] Reſpõdi maximis criminibus: nunc etiam reliquis reſpondendum eſt. Caſtra mihi Pompeij atq; illud omne tẽpus obieciſti, quo quidem tempore ſi, ut dixi, meum conſilium autoritáſq; ualuiſſet, tu hodie egeres, nos liberi eſſemus, Reſp. nõ tot duces, & exercitus amiſiſſet. [c] Fatcor enim me, cùm ea, quæ acciderunt, prouidere futura, tanta in mœſtitia fuiſſe, quanta cæteri optimi ciues, ſi idem prouidiſſent, fuiſſent. [d] Dolebã, dolebam P.C. Rẽp. ueſtris quondã, meiſq; conſiliis conſeruatã breui tempore eſſe perituram: [e] neq; uerò eram tam indoctus, ignaruſq; rerum, ut frangerer animo propter uitæ cupiditatẽ, [f] quæ me manens conficeret angoribus, dimiſſa moleſtiis omnibus liberaſſet. illos ego præſtantiſſimos uiros, lumina Reip. uiuere uolebam,

a Ratiocinatio eſt.

b Tranſitio.

c παρήγορια.

d Cõduplicatio.

e Præoccupatio.

f Cauſam doloris ſui indicat p diſtributionem.

tot

tot Cõsulares, tot Prætorios, tot honestissimos Senatores, omnem præterea florem nobilitatis ac iuuentutis, tum optimorũ ciuiũ exercitus: qui si uiuerent, quãuis iniqua conditione pacis (mihi enim omnis pax cum ciuibus bello ciuili utilior uidebatur) Remp. hodie teneremus. Quæ sententia si ualuisset, ac nõ ij maximè mihi, quorũ ego uitæ consulebã, spe uictoriæ elati obstitissent: ut alia omittam, tu certè nunquã in hoc ordine, uel potius nunquam in hac urbe mansisses. [a] At uerò Cn. Pompeij uoluntatem à me abalienabat oratio mea. an ille quenquam plus dilexit? cum ullo aut sermones, aut consilia contulit sapius? quod quidem erat magnũ, de *summa re dissentientes, in eadẽ cõsuetudine amicitiæ permanere. [b] sed & ego quid ille, & contrà ille *quid & ego sentirẽ, & spectarem uidebat. ego in columitati ciuiũ primùm, & postea dignitati: ille præsenti dignitati potius cõsulebat, quòd autẽ habebat uterq; quid sequeretur, idcirco tolerabilior erat nostra dissensio. Quid uerò ille Cõsularis uir ac penè diuinus de me senserit, sciunt qui eum Pharsalica fuga Paphum prosecuti sunt, nunquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderij, cùm me uidisse plus fateretur, se sperauisse meliora. & eius uiri nomine me insectari audes, cuius me amicũ, te sectorẽ esse fateare? Sed omittatur bellũ illud, in quo tu nimiũ felix fuisti. [c] Ne iocis quidẽ respõdebo, quibus me in castris usum esse dixisti. erant illa quidẽ castra plena curæ: uerumtamen homines quãuis in turbidis rebus sint, tamen si modò homines sunt, interdũ animis relaxãtur. [d] Quòd autem idem mœstitiã meam reprehendit, idem iocum: magno argumento est, me in utroq; fuisse moderatum. Hæreditates mihi negasti uenire. Vtinã hoc tuũ uerum crimen esset: plures amici mei, & necessarij uiuerẽt, sed quî istuc

a Obiectio Antonii.

*summa Reip. dissent.

*quid ego & sentirẽ

b Regressio.

c Non intempestiuè se usum iocis probat.

d Obiectio Antonii.

istuc tibi uenit in mentem? ego enim amplius H-S. *ducenties acceptũ hæreditatibus retuli. Quanquam in hoc genere fateor feliciorẽ esse te. me nemo nisi amicus fecit hæredẽ, ut cum illo cõmodo, si quod erat, animi quidam dolor iungeretur:* [a] *te is, quẽ nunquã uidisti:, L. Rubrius Cassinas fecit hæredẽ. & quidem uide, quàm te amarit is, qui albus atérue fueris ignorans, fratris filium præteriit. Qu. Furij honestissimi Equitis Romani, suíq; amicissimi, quem palàm hæredem semper factitarat, ne nomen quidem perscripsit: quem nunquã uiderat, ac nunquam salutauerat, fecit hæredẽ.* [b] *Velim mihi dicas, nisi molestum est, L. Turseius qua facie fuerit, qua statura, quo municipio, qua tribu. nihil scio, inquies, nisi quæ prædia habuerit. igitur fratrẽ exhæredans te faciebat hæredẽ. In multas præterea pecunias alieniss. morũ hominũ electis ueris hæredibus, tãquã hæres esset, inuasit.* [c] *Quãquam hoc maximè admiratus sum, mentionẽ te hæreditatum ausum esse facere, cùm ipse hæreditatem patris non adisses.* [d] *Hæc ut colligeres homo amentissime, tot dies in aliena uilla declamasti? quãquam tu quidem (ut tui familiarissimi dictitant) uini exhalandi, non ingenij acuẽdi causa declamitas. & uerò adhibes ioci causa magistrum suffragio tuo, & compotorũ tuorum Rhetorem: cui cõcessisti, ut non in te, quæ uellet diceret, sed in quem uellet, diceret. falsum omnino hominẽ: sed materia facilis, in te & in tuos dicta dicere,* [e] *Vide autem inter te & auum tuum quid interfit. ille sensim dicebat, quod causæ prodesset: tu cursim dicis aliena. At quãta merces Rhetori data est? audite, audite P.C. & cognoscite Reip. uulnera: duo millia iugerũ cãpi Leõtini Sex. Clodio Rhetori assignasti, & quidẽ immunia, ut pro tãta mercede nihil sapere disceres. nũ etiã hoc homo audacissime ex Cæsaris*

a Ab indignitate rem exaggerat.

b Accusat Antonij q malis artibus hæreditates alienas adierit.

c Tacitè paupertatẽ Antonio exprobrat.

d Epilogus crimi nũ sibi obiectorum ab Antonio.

e Collatio auí & Antonii in agendis causis.

saris commentariis? [a] Sed dicam alio loco de Leontino agro, & de Cãpano: quod iste agros ereptos Reip. turpissimis possessoribus inquinauit. [b] Iam enim quoniã criminibus eius satis respondi, de ipso emẽdatore & correctore nostro quædam dicenda sunt. [c] nec enim omnia effundam, ut si sæpius decertandũ sit, uterit, semper nouus ueniam, quam facultatem mihi multitudo istius uitiorum, peccatorúmq; largitur. Vísne igitur te inspiciamus à puero? sic opinor. à principio ordiamur. [d] Tenésne memoria prætextatum te decoxisse? patris inquies ista culpa est. cõcedo: etenim est pietatis plena defensio. Illud tamẽ audaciæ tuæ. quòd sedisti in quatuordecim ordinibus, cùm ex lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quãuis quis fortunæ uitio, non suo decoxisset. [e] Sumpsisti uirilem togã, quam statim muliebrẽ stolam reddidisti. primò uulgare scortum: certa flagitij merces, nec ea parua: sed citò Curio interuênit, qui te à meretricio quæstu abduxit: & tãquam stolam dedisset, in matrimonio stabili & certo locauit. Nemo unquã puer emptus libidinis causa tam fuit in domini potestate, quàm tu in Curionis. quoties te pater eius domo sua eiecit? quoties custodes posuit, ne limen intrares? cùm tamen tu nocte socia, hortãte libidine, cogẽte mercede, p tegulas demitterere. quæ flagitia domus illa diutius ferre nõ potuit. Scísne me de rebus mihi notissimis dicere? [f] Recordare tempus illud, cùm pater Curio mœrens iacebat in lecto: filius se ad pedes meos prosternens lacrymãs te mihi commendabat: orabat ut te cõtra suum patrem, [g] si sestertiũm sexagies peteret, defendere. tantum enim se pro te intercessisse dicebat. Ipse autẽ amore ardẽs cõfirmabat, quòd desiderium tui dissidij ferre non posset, se in exiliũ esse iturum. Quo ego tempore tanta mala florentissimæ familiæ sedaui, uel potius

[a] Reiecit.

[b] Translitio.

[c] Attentionem parat.

[d] Secunda orationis pars in qua vitam Antonii infectatur.

[e] Adolescentiam Antonii increpat.

[f] Narratio facti cuiusdam est.

[g] Id est centena millia sestertiorum, id est centũ quinquaginta millia aureorũ.

potius ſuſtuli. patri perſuaſi, ut æs alienum filij diſſolueret: redimeret adoleſcentẽ ſumma ſpe & animi, & ingenij præditũ rei familiaris facultatibus: eúmq; à tua non modò familiaritate, ſed etiam congreſſione patrio iure, & poteſtate prohiberet. Hæc tu, cùm per me acta meminiſſes: niſi illis, quos uidemus, gladiis confideres, meledictis me pronocare auſus eſſes? [a] Sed iam ſtupra, & flagitia omittam. ſunt quædã, quæ honeſtè non poſſum dicere: tu autem eò liberior, quòd ea in te admiſiſti, quæ à uerecundo inimico audire non poſſes. [b] Sed reliquũ uitæ curſum uidete: quem quidem celeriter perſtringam: ad hæc enim, quæ in ciuili bello, in maximis Reipu. miſeriis fecit, & ea quæ quotidie facit, feſtinat animus. quæ peto, ut quanquã multò notiora uobis, quàm mihi ſunt, tamẽ, ut facitis, attentè audiatis. debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio ſolùm rerum, ſed etiã recordatio. tametſi incidamus oportet media, ne nimis ſero ad extrema ueniamus. [c] Intimus erat in Tribunatu Clodio. qui ſua erga me beneficia commemorat, eius omnium incendiorum fax. cuius etiam domi quiddã iam tum molitus eſt. quid dicam, ipſe optimè intelligit. Inde itum Alexandriã contra Senatus autoritatẽ, contra religionem. ſed habebat ducẽ Gabinium, quicum quiduis rectiſſimè facere poſſet. Qui * tum inde reditus? aut qualis? prius in ultimã Galliam ex Aegypto, quàm domum. quæ autẽ erat domus? ſuã enim quiſq; domũ tum obtinebat, neque erat uſquã tua. domum dico? quid erat in terris, ubi in tuo pedẽ poneres, præter unũ Miſenum, quod cum ſocijs tanquam Siſaponem tenebas? Veniſti è Gallia ad Quæſturã petendam. aude dicere, prius ad patrẽ tuum ueniſſe, quàm ad me. acceperam enim iam antè Cæſaris literas, ut mihi ſatisfieri paterer à te. itaque

a Occupatio.

b Attentionem eũ docilitate captat.

c Quid Actenſius apud Clodiũ fecerit. cũ ſumma Antonij inſectatione commemorat.

* tuus inde

ne

**cultus* *ne loqui quidem sum te passus de gratia. postea *custodi-*
**adiutus* *tus sum à te, tu à me *obseruatus in petitione Quæsturæ.*
quo quidẽ tempore P. Clodium approbante populo Ro.
in foro es conatus occidere: cúmq; eam rem tua spõte co-
narere, non impulsu meo: tamẽ ita prædicabas, te nõ exi-
stimare, nisi illũ interfecisses, unquã mihi pro tuis in me
iniuriis satis esse facturũ. [a] *In quo demiror, cur Milonẽ*
impulsu meo rem illã egisse dicas, cùm te ultrò mihi idẽ
illud deferentẽ nunquã sim adhortatus. quanquam, si in
eo perseuerares, ad tuã gloriã rem illã referri malebam,
quàm ad meã gratiã. [b] *Quæstor es factus. deinde conti-*
nuò sine Senatus cõsulto, sine sorte, sine lege ad Cæsarem
cucurristi. id enim unũ in terris egestatis, æris alieni, ne-
quitiæ, perditis uitæ rationibus perfugiũ esse ducebas. Ibi
te cùm & illius largitionibus, & tuis rapinis expleuisses
(si hoc est explere, quod statim effundas) aduolas egens
**Rectius,* *ad Tribunatum, ut in eo magistratu, si posses, *uitrici tui*
uiri tui si- *similis esses.* [c] *Accipite nunc quæso non ea, quæ ipse in se,*
mil. ut Cu- *atq; in domesticũ dedecus impurè, atq; intẽperanter, sed*
rionem in- *quæ in nos, fortunás q; nostras, id est, in uniuersam Remp.*
telligas se- *impiè ac nefariè fecerit. ab huius enim scelere omnium*
ditiosum. *malorum principium natũ reperietis.* [d] *Nam cùm L.*
Trib. pleb. *Lentulo, C. Marcello cõsulibus, Cal. Ianua. labentem,*
eundémq; *& propè cadentẽ Remp. fulcire cupieretis, ipsíq; C. Cæsa-*
Antonij a- *ri, si sana mente esset, cõsulere uelletis: tum iste uẽditum,*
matorem. *atq; mancipatũ Tribunatũ, consiliis uestris opposuit, cer-*
uicésq; suas ei subiecit securi, qua multi minoribus in pec-
c Paradoxum. d Narratio. e Apostrophe ad Antonium.
catis occiderunt. [e] *In te autem M. Antoni id decreuit*
**luminib⁹.* *Senatus, & quidem incolumis, nondum tot *luminari-*
bus extinctis, quod in hostẽ togatum decerni est solitum
more maiorum. & tu apud Patres cõscriptos contra me
dicere ausus es, cùm ab hoc ordine ego conseruator essem,

a Antoniũ mendacii accusat.

b Quid in quæstura Antonius fecerit.

tu

tu hostis Reip. iudicatus? Cõmemoratio illius tui sceleris intermissa est, nõ memoria deleta. dũm genus hominum, dum populi Ro. nomen extabit (quod quidem erit, si per te licuerit, sempiternum) [a] tua illa pestifera intercessio nominabitur. Quid cupidè à Senatu, quid temerè fiebat, cùm tu unus adolescens uniuersum ordinem decernere de salute Reipu. prohibuisti? neq; id semel, sed sæpius. neq; tu tecum de Senatus autoritate agi passus es. quid autem agebatur, nisi ne delere & euertere Rempub. funditus uelles? cùm te neque principes ciuitatis rogando, neque maiores natu monendo, neq; frequens Senatus agendo, de uendita atq; addicta sentẽtia mouere potuit. Tũ illud, multis rebus antè tẽtatis, necessariò tibi uulnus inflictũ, quod paucis ante te, quorum incolumis fuit nemo, tum contra te dedit arma, hic ordo Consulibus, reliquisq; imperys, & potestatibus: quæ non effugisses, nisi te ad arma Cæsaris contulisses. [b] Tu, tu inquam M. Antoni princeps C. Cæsari omnia perturbare cupienti, causam belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat, quum causam dementissimi sui consilij & facti afferebat, nisi quòd intercessio neglecta, ius Tribunitium sublatum, circunscriptus esset Antonius? omitto quàm hæc falsa, quàm leuia: præsertim cùm omnino nulla causa iusta cuiquam esse possit contra patriam arma capiendi. Sed nihil de Cæsare: tibi certè confitendum est, causam pernicio sissimi belli in persona tua constitisse. [c] O miserum te, si intelligis: miseriorem si non intelligis, hoc literis mandari, hoc memoriæ prodi, huius rei ne posteritatem quidem omnium seculorum unquam immemorem fore, Consules ex Italia expulsos, cumq; his Cn. Pompeium, qui imperij popu. Roma. decus, ac lumen fuit: [d] omnes Consulares, qui per ualetudinem exequi

a Amplificat intercessionem Antonii.

b Repetitio propter vehementiã.

c Exaggeratio.

d Distributio.

fugam illam, clademq; potuissent: Prætores, Prætorios, Tribunos plebis, magnam partem Senatus, omnem sobolem iuuentutis, unoq; uerbo Remp. expulsam, atq; exterminatam suis sedibus. [a] *Vt igitur in seminibus est causa arborum & stirpium, sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis tres exercitus pop. Ro. interfectos:* [b] *interfecit Antonius. desideratis clarissimos ciues, eos quoq; eripuit uobis Antonius. autoritas huius ordinis afflicta est: afflixit Antonius: omnia denique, quæ posteà uidimus (quid autẽ mali non uidimus?) si rectè ratiocinabimur, uni acceptа referemus Antonio.* [c] *ut Helena Troianis, sic iste huic Reip. causa belli, causa pestis, atq; exitij fuit. Reliquæ partes Tribunatus principio similes. omnia perfecit, quæ Senatus, salua Rep. ne fieri possent, perfecerat. cuius tamẽ scelus in scelere cognoscite.* [d] *Restituebat multos calamitosos: in his patrui nulla mentio.* [e] *si seuerus: cur non in omnes? si misericors, cur non in suos? sed omitto cæteros, Licinium Lenticulã de alea condemnatum colluforẽ suũ restituit: quasi uerò ludere cũ condemnato non liceret:* * *scilicet sed ut quod in alea perdiderat, beneficio legis dissolueret.* [f] *Quam attuliſti rationem populo Rom. cur eum restitui oporteret? absentẽ, credo, in reos relatũ, rem indicta causa iudicatam: nullum fuisse de alea lege iudicium, ui oppressum & armis.* [g] *postremò, quod de patruo dicebatur, pecunia iudicium esse corruptum.* [h] *nihil horum. at uir bonus & Rep. dignus. nihil id quidem ad rem: ego tamen, quoniam condemnatum esse pro nihilo est, si ita esset, ignoscerem. hominem omnium nequissimum, qui non dubitaret uel in foro alea ludere, lege quæ est de alea cõdemnatum, qui in integrum restituit, is non apertissimè studium suum ipse profitetur? In eodem uerò Tribunatu, cùm Cæsar in Hispaniam proficiscens, huic conclu-*

a A simili exaggerat.
b Complexio siue simploce, Fabius lib. 9.
c Exaggeratio à simili.
d Propositio cũ attentione.
e Dilemma.
f Cõmunicatio.
g Subiectio Antonii.
h Reiectio.

conculcandam Italiã tradidisset, quæ fuit eius peragratio itinerum? lustratio municipiorum? [a] *Scio me in rebus celebratissimis sermone omnium uersari, eaq; quæ dico, dicturusq; sum, notiora omnibus esse, qui in Italia tum fuere, quàm mihi, qui non fui. notabo tamen singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere uestræ scientiæ. etenim quod unquam in terris tantum flagitium extitisse auditum est? tantam turpitudinem? tantum dedecus?* [b] *Vehebatur in essedo Tribunus pleb. lictores laureati antecedebant: inter quos aperta lectica mima portabatur: quam ex oppidis municipales homines honesti obuiam necessariò prodeuntes, non noto illo & mimico nomine, sed Volumniam consalutabant.* * *sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi: reiecta mater amicam impuri filij tanquã nurum sequebatur.* [d] *O miseræ mulieris fœcunditatẽ calamitosam! Horum flagitiorum iste uestigijs omnia Municipia, Præfecturas, Colonias, totam denique Italiã impressit. Reliquorum factorum eius P. C. difficilis est sanè reprehensio, & lubrica. uersatus in bello est: saturauit se sanguine dissimillimorũ sui ciuiũ: fuit felix,* [d] *si potest ulla esse in scelere felicitas. Sed quoniã ueteranis cautum esse uolumus, (quanquam dissimilis est militũ causa & tua) illi secuti sunt: tu quæsisti ducem: tamen, ne apud illos me in inuidiam uoces, nihil de belli genere dicam.* [e] *Victor è Thessalia Brũdusium cũ legionibus reuertisti: ibi me non occidisti. magnũ beneficium: potuisse enim fateor. quanquam nemo erat eorum, qui tunc tecum fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere. tanta enim est charitas patriæ, ut uestris etiam legionibus sanctus essem, quòd eam à me seruatã esse meminissent. sed fac te dedisse mihi quod non ademisti: méque à te habere uitam, quia à te non sit erepta:*

a Benevolentiã & attentionem parat.

b εἰκὼν id est splendida descriptio vectu ræ.

* *sequebantur rheda cũ lenonib⁹ comites.*

c Exclamatio pathetica.

d Correctio.

e Repetit quod supra ab Antonio obiectum confutauit.

*licuitne mihi

*liceat nunc mihi per tuas contumelias hoc beneficium tueri ut tuebar, præsertim cùm te hæc auditurũ uideres.

a Exobiectione. Antonii Cicero occasionem insectandi libidinem Antonii arripit.

a Venisti Brundusium in sinum quidẽ & in cõplexum tuæ mimulæ. quid est? num mentior? quàm miserũ est id negare non posse quod sit turpissimũ confiteri? si te municipiorum nõ pudebat: ne ueterani quidẽ exercitus?

b Exaggeratio flagitii Antonii.

b quis enim miles fuit, qui Brundusij illã non uiderit? quis, qui nescierit uenisse eam tibi tot dierum uiã gratulatũ? quis, qui non indoluerit tam serò se, quẽ hominẽ secutus esset, cognoscere? Italiæ rursus percursatio eadem comite mima: in oppida militũ crudelis & misera deductio: in urbe auri & argẽti maximeq; uini fœda direptio. Accessit, ut Cæsare ignaro, cũ ille esset Alexandriæ, beneficio amicorum magister equitũ constitueretur. tũ existimauit se suo iure cum Hippia uiuere, & equos uectigales Sergio mimo tradere. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hæreditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? cogebat egestas: quò se uerteret nõ habebat: nondũ ei tanta à L. Rubrio, non à L. Turseio hæreditas uenerat: nondum in Cn. Pompeij locum, multorumq; aliorum, qui aberant, repẽtinus hæres successerat: erat ei uiuendũ latronum ritu, ut tantũ haberet, quantũ rapere potuisset.

c Transitio per occupationem.

c Sed hæc, quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potius de *iniquissimo genere leuitatis.

*nequissimo

d Amplificatio per ratiocinationem.

d Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tãtum uini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in pop. Ro. conspectu uomere postridie. O rem non modò uisu fœdam, sed etiã auditu.

e Amplificatio à minori ad maius, vel à circunstantiis.

e Si inter cœnã, in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in cœtu uerò populi Rom. negotium publicum gerens, Magister equitum, cui ructare turpe esset, is uomens fructis esculentis uinum redolentibus

tibus gremium ſuum, & totũ tribunal impleuit. Sed hoc ipſe fatetur eſſe in ſuis ſordibus: ueniamus ad ſplendida. Cæſar Alexandriã ſe recepit felix, ut ſibi quidem uidebatur: mea autem ſententia, *ſi quis Reip. ſit infelix, felix eſſe non poteſt. [a] haſta poſita pro æde Iouis Statoris, bona (miſerum me: conſumptis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquã, Cn. Põpeij Magni uoci acerbiſſimæ ſubiecta præconis. una illa re ſeruitutis oblita ciuitas ingemuit, ſeruientibuſq; animis gemitus tamen populi Romani liber fuit. expectãtibus omnibus, quinam eſſet tam impius, tam demens, tam diis, hominibúſq; hoſtis, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet accedere, inuentus eſt nemo, præter Antonium, præſertim cùm tot eſſent circa haſtam illã, qui alia omnia auderẽt. [b] unus inuentus eſt, qui id auderet, quod omniũ fugiſſet, & formidaſſet audacia. [c] Tantus igitur te ſtupor oppreſſit, uel, ut uerius dicam, *tantus furor, ut primùm, cùm ſector ſis iſto loco natus, deinde cùm Põpeij ſector, non te execrandum pop. Rom. non deteſtabilem, non omnes tibi deos, omnes homines, & eſſe inimicos, & futuros *ſcias? At quàm inſolenter ſtatim belluo inuaſit in eius uiri fortunas, cuius uirtute terribilior erat populus Rom. exteris gentibus, iuſtitia charior. In eius igitur copias cùm ſe ſubitò ingurgitauiſſet, exultabat gaudio perſona de mimo, modò egens, repentè diues, ſed ut eſt apud poetam neſcio quem, Male parta, male dilabuntur: incredibile ac ſimile portenti eſt, quonam modo illa tam multa, quàm paucis non dico menſibus, ſed diebus effuderit. maximus* uini numerus fuit, per magnum optimi pondus argenti, prætioſa ueſtis, multa & lauta ſupellex, & magnifica multis locis, nõ illa quidem luxuriоſi hominis, ſed tamen abundantis horum paucis diebus nihil erat. Quæ Charybdis tam

*niſi qui Reip. ſit felix, felix eſſe nõ poteſt.

a Narratiuncula affectibus plena.

b Pathos ab Antonii indignatione.

c Exaggerat flagitium & furorẽ Antonii à circunſtantiis.

*antiquus codex ſic habet: Tantus furor primũ, ut ſector ſis iſto loco natus, deĩde ut Põpeij ſector. Nõte, &c.

*ſciebas

*Auri legẽdum, nõ uini.

tã uorax? Charybdin dico? quæ si fuit, fuit animal unũ:
a Amplificatio est ab hyperbolarũ cumulatione.
[a] Oceanus mediusfidius uix uidetur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum: apothecæ totæ nequissimis hominibus condonabantur:
b Hypotypõsis, id est luculenta descriptio luxuriei Antonii.
[b] alia mimi rapiebant, alia mimæ: domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies potabatur, atq; id locis pluribus: suggerebantur etiã sæpe (non enim semper iste felix) damna aleatoria, conchyliatis Cn. Põpeij peristromatis seruorũ in cellis lectos stratos uideres. Quamobrem desinite mirari hæc tam celeriter esse consumpta. non modò unius patrimonium, quamuis amplũ, ut illud fuit, sed urbes, & regna celeriter tanta nequitia deuorare potuisset. At eiusdem ædes etiam & hortos.
c Exclamatio indignabunda.
[c] O audaciam immanẽ! tu ingredi illam domũ ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarũ ædium dijs penatibus os importunissimũ ostendere? quam domum aliquandiu nemo aspicere poterat, nemo sine lacrymis præterire, hac te in domo tandiu diuersari non pudet? in qua, quamuis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse iucũdum.
d Ab ornatu domus Pompeii.
[d] An tu illa uestibula, rostra, spolia, cũ aspexisti, domum tuam te introire* putas? fieri nõ potest. quamuis enim sine mente, sine sensu sis, ut es: tamen & te, & tua,
*putasti
e Affectione.
& tuos nosti. [e] nec uerò te unquam neq; uigilantẽ, neq; in somnis credo mente posse consistere. necesse est quãuis sis,
f A persona Pompeii.
ut es, uiolẽtus & furens, cũ tibi obiecta [f] sit species singularis uiri, perterritũ te de somno excitari, furere etiã sæpe uigilantẽ. Me quidẽ miseret parietũ ipsorũ, atq; tectorũ. quid enim unquã domus illa uiderat, nisi pudicum, nisi ex optimo more, & sanctissima disciplina? fuit enim ille uir P.C. sicut scitis, cùm foris clarus, tum domi admirandus: neq; rebus* exteris magis laudandus, quã in-
*externis
stitutis

ſtitutis domeſticis. huius in *ſedibus pro cubiculis ſtabula, pro triclinijs popinæ ſunt. etſi iam negat. nolite, nolite quærere. [a]frugi factus eſt. mimã illam ſuam ſuas res ſibi habere iuſſit: ex duodecim tabulis cauſam addidit, exegit. quã porrò ſpectatus ciuis, quàm probatus, cuius ex omni uita nihil eſt honeſtius, quàm quòd cũ mima fecit diuortium? [b]At quàm crebrò uſurpat, & Cõſul, & Antonius? hoc eſt dicere, & Conſul, & impudiciſſimus: & Cõſul, & homo nequiſſimus. quid enim eſt aliud Antonius? nã ſi dignitas ſignificaretur in nomine, dixiſſet aliquando, credo, auus tuus & Conſul, & Antonius. nunquã dixit. dixiſſet etiam collega meus, patruus tuus. niſi *ſolus es Antonius. [c]Sed omitto ea peccata, quæ nõ ſunt earum partium propria, quibus tu Remp. uexauiſti: ad ipſas tuas partes redeo, id eſt, ad ciuile bellum: quod natũ, conflatum, ſuſceptum, opera tua eſt. cur ei bello tum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuiſti? guſtaras ciuilem ſanguinem, uel potius exorbueras: fueras in acie Pharſalica anteſignanus: L. Domitium nobiliſſimum & clariſſimũ uirum occideras: multos, qui de prælio effugerant, quorũ Cæſar ut nonnullos fortaſſe ſeruaſſet, crudeliſſimè perſecutus trucidaras. quibus rebus tantis, talibus geſtis, quid fuit cauſæ, cur in Africã Cæſarẽ non ſequerere, cùm præſertim belli pars tanta reſtaret? Itaq; quem locũ apud ipſum Cæſarem poſt eius ex Africa reditum obtinuiſti? quo numero fuiſti? cuius tu Imperatoris Quæſtor fueras, Dictatoris magiſter equitũ, belli princeps, crudelitatis autor, prædæ ſocius, teſtamẽti, ut ipſe dicebat, filius, appellatus es de pecunia, quã pro domo, pro hortis, pro ſectione debebas. Primò reſpõdiſti planè ferociter: & ne omnia uidear cõtra te, propemodum æqua & iuſta dicebas. [e]A me C. Cæſar pecuniam?

*ædibus

[a] Ironia.

[b] Inſectatur Antonium quòd in edictis & literis & Antonius & Cõſul copulatiuè ſcripſerit.

*tu ſolus

[c] Occupatio cũ tranſitione.

[d] Irridet Antonium.

[e] Amplificatio per diſtributionem.

cur potius quàm ego ab illo? an ille ſine me uicit? at ne potuit quidẽ. ego ad illũ belli ciuilis cauſam attuli: ego leges pernicioſas rogaui: ego arma cõtra Conſules, Imperatoréſq; Pop. Rom. contra Senatum populúmq; Romanũ, contra deos patrios, aráſq;, & focos, contra patriam tuli.

a Locus à conſequentibus.

a num ſibi ſoli uicit? quorum facinus commune, cur nõ ſit eorum præda cõmunis? Ius poſtulabas: ſed quid ad rem? plus ille poterat. Itaq; excuſſis tuis uocibus, & ad te, &

* *ad prædes tuos, Budæus legit: & rectè.*

** ad prædas tuas milites miſit: cùm repentè à te præclara illa tabula prolata, qui riſus hominum de te erat? tantam eſſe tabulam, tam uarias, tã multas poſſeſſiones, b ex quibus præter partem Miſeni, nihil erat, quod is, qui auctionaretur, poſſet ſuum dicere. Auctionis uerò miſerabilis aſpectus. ueſtis Pompeÿ non multa, eáq; maculoſa: eiuſdem quædam argentea uaſa colliſa, ſorditata mancipia: ut doleremus quicquam eſſe ex illis reliquiis, quod uidere poſſemus. Hanc tamen auctionẽ hæredes L. Rubrij decreto Cæſaris prohibuerunt. Hærebat nebulo: quò ſe uerteret, non habebat. c quippe in his ipſis temporibus domi Cæſaris percuſſor ab iſto miſſus, deprehenſus dicebatur eſſe cum ſica. de quo Cæſar in Senatu, apertè in te inuehẽs, quæſtus eſt. Proficiſcitur in Hiſpaniam Cæſar, paucis tibi ad ſoluendum propter inopiam tuam, prorogatis diebus. ne tum quidem ſequeris. tam bonus gladiator d rudem tam citò accepiſti? hunc igitur quiſquam, qui in ſuis partibus, id eſt, in ſuis fortunis tam timidus fuerit, pertimeſcat? Profectus eſt * tamen aliquando in Hiſpaniam! ſed tutò, ut ait, peruenire non potuit. quónam modo igitur Dolabella peruenit? aut nõ ſuſcipienda fuit iſta cauſa Antoni! aut cùm ſuſcepiſſes, defendenda uſq; ad extremum. Ter depugnauit Cæſar cum ciuibus, in Theſſalia, Africa, Hiſpania. omnibus affuit his pugnis*

b πάθος à circunſtantiis.

c Antonium cædis Cæſaris Iulii accuſat.

d Vide Chiliades Eraſ.

* *tandem*

Dolab

Dolabella:in Hiſpanienſi etiã uulnus accepit. ſi de meo iudicio quæris, nollem: ſed tamen conſilium à principio reprehendendum, laudanda conſtantia. Tu uerò quis fuerit partium hæc cauſa cõmunis.[a] repetebant præterea deos penates, patrios, aras, focos, larem ſuum familiarẽ, in quæ tu inuaſeras. hæc cùm repeterent armis ij, quorũ erant legibus: etſi in rebus iniquiſſimis quid poteſt eſſe æqui? tamen erat æquiſſimum contra Cn. Pompeij liberos Cn. Pompeij pugnare ſectorem.[b] An tu Narbone in menſas hoſpitum cùm uomeres, Dolabella pro te in Hiſpania dimicaret? qui uerò Narbone reditus? & tamen quærebat, cur ego ex ipſo curſu tam ſubitò reuertiſſem. Expoſui nuper P.C. cauſam reditus mei.[c] uolui ſi poſſem, etiam ante Cal. Ian. prodeſſe Reip. nam quod quærebas quomodo rediſſem: primùm luce, nõ tenebris: deinde cum ealceis, & toga, nullis nec* caligis, nec lacerna. *At etiam aſpicis me, & quidem, ut uideris, iratus. nà tu mecum iam in gratiã redeas, ſi ſcias, quàm me pudeat nequitiæ tuæ, cuius te ipſum nõ pudet. Ex omniũ omnibus flagitiis nullũ turpius uidi, nullum audiui, quàm q̃ qui magiſter equitum fuiſſe tibi uiderere, in proximũ annum Conſulatum peteres, uel potius rogares, is per municipia, Coloniáſq; Galliæ, à qua, cùm Conſulatus noſter petebatur, non rogabatur, petere Cõſulatum ſolebamus, cum* caligis & lacerna cucurriſti.[d] *At uidete leuitatẽ. cùm hora diei decima ferè ad Saxa rubra ueniſſet, delituit in quadã cauponula, atq; ibi ſe occultãs, perpotauit ad ueſperum: inde ciſio celeriter ad urbem aduectus, domum uenit capite inuoluto.*[e] *Ianitor, Quis tu? A Marco tabellarius. Cõfeſtim ad eã, cuius cauſa uenerat, deducitur, eíq; epiſtolã tradit. quã cùm illa legeret flens (erat*

*quid censes?

a Congeries.

b Antonio vomitũ exprobrat.

c Digreſsio.

*Gallicis, legẽdũ eſſe, nõ, caligis, ſatis conſtat ex A. Gel. lib. 13. cap. 20.

*Gallicis

d Attentionem captat.

e Dialogiſmo exornat narrationem.

enim amatoriè scripta: caput autẽ literarum, sibi cum illa mima posthac nihil futurum: omnẽ se amorem abiecisse *illinc, atq; in hãc transfudisse.) cũ mulier fleret uberius, [a] homo misericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum inuasit. O hominem nequã! (quid enim aliud dicam? magis propriè nihil possum dicere.) ergo ut te catamitum, nec opinato cùm ostendisses, præter spem mulier aspiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti? [b] Et domi quidem causam amoris habuit, foris etiam turpiorẽ, ne L. Plancus *prædes tuos uenderet. productus autem in concionem à Trib. pleb. cùm respondisses, te rei tuæ causa uenisse, populum in te dicacem etiã reddidisti. [c] Sed nimis multa de nugis. ad maiora ueniamus. Cæsari ex Hispania redeũti obuiam longissimè processisti, celeriter isti, & redisti, ut cognosceret te, si minus fortem, attamẽ strenuum. factus es ei rursus nescio quomodo familiaris. [d] habebat hoc omnino Cæsar, quẽ planè perditum ære alieno, egẽtémq; si eundem nequam hominem, audacémque cognouerat, hunc in familiaritatem libentissimè recipiebat. His igitur rebus præclarè cõmendatus, iussus es renuntiari Cõsul, & quidem cum ipso. [e] nihil queror de Dolabella, qui tũ est impulsus, inductus, elusus. Qua in re quanta fuerit utriusq; uestrum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? Ille induxit, ut peteret: promissum & receptum interuertit, ad sé q; transtulit: tu eius perfidiæ uoluntatem tuam ascripsisti. Veniunt Cal. Ian. cogimur in Senatũ: inuectus est copiosius multò in istum, & paratius Dolabella, quàm nunc ego. Hic autem irãtus, quæ dixit dij boni? cùm primùm Cæsar ostendisset, se, prius quàm proficisceretur, Dolabellam Consulem esse iussurum: [f] quem negãt Regẽ, qui & faceret semper eiusmodi aliquid, & diceret:

*illius

a Ironia.

b Noua narratiuncula.

*Corruperunt hũc locũ, qui hic prædas tuas legendũ putarunt. Sic enim est in Epistol. ad Atticum: Opinor Antonium propter prædes suos accurrisse

c Correctio cum transitione.

d Cæsarem obiter proscindit atrociter.

e Dolabellã excusat.

f Cæsaris tyrannidem incessit.

diceret: Sed cùm Cæsar ita dixisset, tum hic bonus Augur, eo se sacerdotio præditum esse dixit, ut comitia auspiciis uel impedire, uel uitiare posset. idq; se facturum esse asseuerauit.[a] *In quo primùm incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. quid enim? istuc, quod te sacerdotij iure facere posse dixisti, si Augur non esses, & Consul esses, minus facere potuisses? uide ne etiam facilius. nos enim nuntiationem solùm habemus, Consules, & reliqui magistratus etiam inspectionem. Esto hoc imperitè (nec enim ab homine nunquã sobrio postulanda prudentia)*[b] *sed uidete impudentiam, multis antè mensibus in Senatu dixit, se Dolabellæ comitia aut prohibiturũ auspicijs, aut id facturũ esse, quod fecit. quisquam ne diuinare potest, quid uitij in auspiciis futurum sit, nisi qui de cœlo seruare constituit? quod neque licet comitiis per leges, & si quis seruauit, non habitis comitiis, sed prius quàm habeantur, debet nuntiare.*[c] *uerùm implicata insscitia, impudẽtia est, si nec scit quod Augurẽ, nec facit quod prudentẽ decet. Atq; ex illo die recordamini eius usq; ad Idus Martias Consulatũ. quis unquã apparitor tam humilis, tam abiectus? nihil ipse poterat: omnia rogabat: caput in aduersam lecticã inferẽs, beneficia, quæ nẽderet, à collega petebat. Ecce Dolabellæ comitiorũ dies, sortitio prærogatiuæ: quiescit. renuntiatur: tacet. prima classis uocatur: renuntiatur: deinde, at assolet, suffragiatũ secunda classis: quæ omnia citius sunt facta, quã dixi. Cõfecto negotio bonus Augur (Lælium diceres) alio die, inquit. ô impudentiã singularẽ! quid uideras? quid senseras? quid audieras? nec enim te de cœlo seruasse dixisti, neq; hodie dicis. id igitur obuênit uitiũ, quod tu iam Cal. Ianu. futurũ esse præuideras, & tantò antè prædixeras. Ergo hercule magna, ut spero, tua potius, quã Reip. calamitate*

a Antonii stupo ris accusat.

b Impudentiam Antonio impingit.

c γιώμη.

lamitate ementitus es auſpicia: obſtrinxiſti Po.Ro.religione. Augur Auguri, Conſul Conſuli obnuntiauiſti. Nolo plura, ne acta Dolabellæ uidear conuellere, quæ neceſſe eſt aliquando ad noſtrum collegium deferantur.

a Arrogantiæ inſolentiæq; Antonium accuſat.

[a] Sed arrogantiam hominis, inſolentiámque cognoſcite. quandiu tu uoles, uitioſus Cõſul Dolabella: rurſus, cùm uoles, ſaluis auſpiciis creatus. ſi nihil eſt, cùm Augur his uerbis nuntiat, quibus nuntiaſti: confitere te, cùm alio die dixeris, ſobrium non fuiſſe. ſin eſt aliqua uis in iſtis

b Irridet Antonium amarulentè.

uerbis: ea quæ ſit Augur a Collega requiro. [b] Sed ne fortè ex multis rebus geſtis, M. Antonij rem unam pulcherrimam tranſiliat oratio, ad Lupercalia ueniamus. Non diſſimulat P.C. apparet eſſe commotum: ſudat, pallet: quilibet, modò ne nauſeet, faciat, quod in porticu *Numitia *fecit. quæ poteſt eſſe turpitudinis tantæ defenſio? cupio audire: ut uideam ubi Rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat. Sedebat in roſtris Collega tuus amictus toga purpurea, in ſella aurea, coronatus: aſcendis: accedis ad ſellam: ita eras Lupercus, ut te eſſe Conſulem meminiſſe deberes. [c] diadema oſtendis: gemitus toto foro. unde diadema? non enim abiectũ ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatũ, & cogitatum ſcelus. [d] Tu diadema imponebas cum plangore populi, ille cum plauſu reiiciebat. Tu ergo unus ſcelerate inuẽtus es, qui cùm autor regni inuentus eſſes, eum quem Collegã regni habebas, dominũ habere uelles: & idẽ tẽtares, quid Po.Ro. ferre & pati poſſet. [e] At etiam miſericordiam captabas: ſupplex te ad pedes abiiciebas: quid petens? ut ſeruires? tibi unipeteres, qui ita à puero uixeras, ut omnia paterere, ut facilè ſeruires: à nobis populóq; Ro. mandatũ id certè non habebas. [f] ô præclarã illam eloquentiã tuam, cùm es nudus concionatus. [g] quid hoc turpius? quid fœdius? quid*

c Contentio.

d Amplificat factum Antonii.

e Subiectio ironica.

f Ironia.

g Exaggeratio facti Antonii.

quid ſuppliciis omnibus dignius? num expectas dum te ſtimulis fodiam? hæc te, ſi nullam partem habes ſenſus, lacerat, hæc cruentat oratio. [a] *Vereor ne imminuã uirorum ſummorum gloriam: dicam tamen dolore cõmotus. quid indignius, quàm uiuere eum, qui impoſuerit diadema, cùm omnes fateantur iure interfectũ eſſe, qui abiecerit?* [b] *Ac etiã* ⋆ *inſcribi iuſſit in faſtis, ad Lupercalia C. Cæſari Dictatori perpetuo M. Ant. Conſulem populi iuſſu regnum detuliſſe, Cæſarem uti noluiſſe. Iam iam minimè miror, te otium perturbare, nõ modò urbem odiſſe, ſed etiam lucem, cum perditiſſimis latronibus nõ ſolùm de die, ſed etiam in diem uiuere. ubi enim tu in pace conſiſtes? qui locus tibi in legibus, & iudiciis eſſe poteſt, quæ tu, quantum in te fuit, dominatu regio ſuſtuliſti? Ideóne L. Tarquinius exactus? Sp. Caſſius, Sp. Melius, M. Manlius necati, ut multis pòſt ſeculis, à M. Antonio, quod fas non eſt, Rex Romæ conſtitueretur?* [c] *Sed ad auſpicia redeamus. de quibus rebus Idibus Martiis fuit in Senatu Cæſar acturus. quæro tum tu quid egiſſes? audiebã quidem te paratum ueniſſe, quòd me de ementitis auſpiciis, quibus tamen parêre neceſſe erat, putaret eſſe dicturum. Suſtulit illum diẽ fortuna Po. Ro. num etiam tuum de auſpiciis iudiciũ interitus Cæſaris ſuſtulit? Sed incidi in id tẽpus, quod iis de rebus, in quas ingreſſa erat oratio, prætereundum non ſit.* [d] *quæ tua fuga? quæ formido illa die? quæ propter conſciẽtiam ſcelerum deſperatio uitæ? cùm ex illa fuga beneficio eorum, qui te, ſi ſanus eſſes, ſaluum eſſe noluerunt, clàm te domum recepiſti?* [e] *ô mea ſemper fruſtra ueriſſima auguria rerũ futurarum. dicebam illis in Capitolio liberatoribus noſtris, cùm me ad te ire uellent, ut ad defendẽdã Rempu. te adhortarer: quoad metueres, omnia te promiſſurũ, ſimulac timere deſiſſes,*

a Per occupationem oſtendit Antonium dignum eſſe qui vita priuetur.

b Ab indignitate argumentum.

⋆ aſcribi

c Ad auſpicia redit per cõmemorationem.

d Odioſum eſt quod hîc narrat.

e Exclamatio pathetica.

fuisses, similem te futurũ tui. Itaq; cùm cæteri Consulares irent, & redirent, in sententia mansi: neq; te illo die: neq; postero uidi: neq; ullam societatem optimis ciuibus cum importunissimo hoste fœdere ullo confirmari posse credidi. [a] *Post diem tertiũ ueni in ædẽ Telluris, & quidem inuitus, cùm omnes aditus armati obsiderent. qui tibi ille dies M. Antoni fuit? quanquã mihi subitò inimicus extitisti, tamẽ me tui miseret, quòd tibi inuideris. Qui tu uir, dij immortales, & quantus fuisses, si illius diei mẽtem seruare potuisses? pacẽ haberemus, quæ erat facta per obsidem puerũ nobilem M. Antonij filium, M. Bambalionis nepotem. quanquã te bonum timor faciebat, non diuturni magister officii: improbum fecit ea, quæ, dum timor abest, à te nõ* discessit, audacia. etsi tum, cùm optimum te putabant, me quidem dissentiente, funeri Tyranni illius sceleratissimi præfuisti. tua illa pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio. tu, tu illas faces incendisti, & eas,* quibus semiustum latus illius est, & eas, quibus incensa L. Bellieni domus deflagrauit. tu illos impetus perditorum hominum, & ex maxima parte seruorum, quos nos ui manuq; repulimus, in nostras domos immisisti. Idem tamẽ quasi fuligine absterſa, reliquis diebus in Capitolio præclara Senatusconsulta fecisti, ne qua post Idus Martias immunitatis tabula, néue cuiusquam beneficii figeretur. meministi ipse, de exulibus, scis, de immunitate quid dixeris. optimum uerò, quòd Dictaturæ nomẽ in perpetuum de Rep. sustuliſti. quo quidẽ facto tantũ te cepisse odium regni uidebatur, ut eius omnem propter proximum Dictatorẽ tolleres metũ. constituta Resp. uidebatur alijs, mihi uerò nullo modo, qui omnia te gubernante naufragia metuebã. Num me igitur fefellit? aut nũ diutius sui potuit esse dissimilis?*

a Narrat quid Antonius à cæde Cæsaris fecerit.

*discedit

*Verior lectio sic habet, quibus semiustulatus ille est.

*inſpectantibus uobis toto Capitolio tabulæ figebantur: neq; ſolùm ſingulis ueniebant immunitates, ſed etiã populis uniuerſis: ciuitas nõ tum *ſigillatim, ſed prouincijs totis dabatur. Itaq; ſi hæc manent, quæ ſtante Rep. manere non poſſunt, prouincias uniuerſas P.C. perdidiſtis: neque uectigalia ſolùm, ſed etiam imperium Pop. Rom. huius domeſticis nundinis diminutum eſt. Vbi eſt ſepties millies ſeſtertiũm, quod in tabulis, quæ ſunt ad Opis, patebat? funeſtæ illius quidem pecuniæ, ſed tamen, ſi iis quorum erat, non redderentur, quæ nos à tributis poſſet uindicare. Tu autem* H-S. [a] *quadringenties, quod Idibus Martiis debuiſti, quónam modo ante Calend. Aprilis debere deſiſti? Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? ſunt ea quidem innumerabilia, quæ à diuerſis emebãtur non inſciente te: ſed unum egregium de Rege Deiotaro Pop. Ro. amiciſſimo decretum in Capitolio fixum: quo propoſito nemo erat, qui in ipſo dolore riſum poſſet continere. Quis enim cuiquam inimicior, quàm Deiotaro Cæſar? æquè atque huic ordini, ut Equeſtri, ut Maſſilienſibus, ut omnibus quibus Rempub. Po. Ro. charam eſſe ſentiebat? Is igitur, à quo uiuo, nec præsẽs, nec abſens quicquã æqui boni impetrauit, apud mortuũ factus eſt gratioſus.*

* *compellarat hoſpitem præſens, computarat, pecuniam imperarat, in eius tetrarchiã ex Græcis comitibus ſuis collocarat: Armeniam abſtulerat à Senatu datam. hæc uiuus eripuit, reddidit mortuus, at quibus uerbis? modò æquum ſibi uideri, modò non iniquum. mira uerborum complexio. at ille nunquam (ſemper enim abſenti affui Deiotaro) quicquam ſibi, quod nos pro illo poſtularemus, æquum dixit uideri. Syngrapha* H-S. *centies per legatos uiros bonos, ſed timidos, & imperitos,* * *ſine reliquorum*

* *ſingulatim*

* *cõpilarat*

* *ſine Sexti. ſine reliquorum*

[a] Id eſt decies cẽtena millia aureorũ coronatorum ita Budæus.

quorum hoſpitum Regis ſentẽtia, facta in gynæceo: quo in loco plurimæ res ueniere, & uæneũt. qua ex ſyngrapha quid ſis acturus, meditere cenſeo. Rex enim ipſe ſua ſponte nullis commentarijs Cæſaris ſimulatq; audiuit eius interitum, ſuo Marte res ſuas recuperaunt. [a] *ſciebat homo ſapiens ius ſemper hoc fuiſſe, ut quæ Tyranni eripuiſſent, ea Tyrannis interfectis, ij, quibus erepta eſſent, recuperarẽt. Nemo igitur Iurecõſultus, ne iſte quidem,* [b] *qui tibi uni eſt Iureconſultus, per quem hæc agis, ex iſta ſyngrapha deberi dicit pro iis rebus, quæ erant ante ſyngraphàm recuperatæ. non enim à te emit: ſed prius, quàm tu ſuum ſibi uenderes, ipſe poſſedit. Ille uir fuit: nos quidem contemnendi, qui autorẽ odimus, acta defendimus.* [c] *Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? quorum etiam imitatores ſunt, qui ea,* [d] *tãquam gladiatorum libellos, palàm uenditent. Itaque tanti acerui numorum apud iſtum conſtruuntur, ut iam appendantur, non numerentur pecuniæ. At quàm cæca auaritia eſt? nuper fixa tabula eſt, qua ciuitates locupletiſſimæ Cretenſium uectigalibus liberantur: ſtatuitúrque, ne poſt M. Brutum Proconſulem, ſit Creta prouincia. tu mentis es compos? tu non conſtringendus? an Cæſaris decreto Creta poſt M. Bruti deceſſum potuit liberari, cùm Creta nihil ad Brutum Cæſare uiuo pertineret?* [e] *At huius uenditione decreti (ne nihil actum putetis) prouinciam Cretam perdidiſtis. Omnino ullius rei nemo fuit emptor, cui defuerit hic uẽditor. Et de exulibus legem quam fixiſti, Cæſar tulit? nullius inſector calamitatem: tantum quæror, primùm eorum reditus inquinatos, quorum cauſam diſſimilem Cæſar iudicauerit: deinde neſcio cur reliquis idem non tribuas. neq; enim plus quàm tres, aut quatuor reliqui*

a Locus à iure gentium.

b Intelligit Sextium Clodium.

c Exaggeratio.

d Libelli gladiatorum in quibus pugnæ gladiatorum deſcriptæ erant.

e Ironia amarulenta.

reliqui sunt, qui simili in calamitate fuerint. cur tua misericordia simili non fruuntur? cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, cùm de reliquis ferres, noluisti: quem etiam ad Censuram petendam impulisti, eámq; petitionem comparasti, quæ & risus hominum, & querelas moueret. Cur autem ea comitia non habuisti? an quia Tribunus plebis fulmen sinistrum nũtiabat? tua quid interest? nulla auspicia sunt tuorum, cùm sis religiosus. quid? eundem in Septemuiratu nónne destituisti? interuênit enim. quid metuisti? credo ne saluo capite negare nõ posses. omnibus eum contumeliis oneraſti, quem patris loco, si ulla pietas in te esset, colere debebas. filiã eius, sororem tuam eieciſti *falsa cõditione quæsita, & antè perspecta. non est satis: probri insimulasti pudicissimã fœminam. quid est, quod addi possit? cõtentus eo non fuisti. frequentissimo Senatu Calend. Ianua. sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella odij causam ausus es dicere, quòd ab eo sorori, & uxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses. [a] Quis interpretari potest, impudentiórne, qui in Senatu: an improbior, qui in Dolabellam: an impurior, qui patre audiente: an crudelior, qui in illam miseram tam spurcè, tam impiè dixeris? Sed ad chirographa redeamus. quæ fuit tua cognitio? acta enim Cæsaris pacis causa confirmata sunt à Senatu, quæ quidem Cæsar egisset, non ea, quæ Cæsarem egisse dixisset Antonius. Vnde ista erumpunt? quo autore proferuntur? si sunt falsa, cur probantur? si uera, cur ueneunt? At sic placuerat, ut ex Calendis Iuniis de Cæsaris actis cum consilio cognosceretis. Quod fuit consilium? quem unquam aduocasti? quas Calendas Iunias expectasti? an eas, ad quas te peragratis ueteranorum coloniis stipatum armis retulisti? [b] ô præclaram illam percursationẽ tuam mense Apri-

* alia conditione

a Amplificatio est partim à distributione, partim ab incremento.

b Irrisio,

li, atque Maio, tum, cùm etiam Capuam * deducere conatus es. quemadmodum illam adieris, uel potius penè non adieris, scimus. cui tu urbi minitaris. utinã conere, ut aliquando illud penè tollatur, atque nobilitata sit tua illa peregrinatio? quid prandiorum apparatus, quid furiosam uinolentiam tuam proferam? tua ista detrimenta sunt, illa nostra. Agrum Campanum, qui cùm de nectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen insigni magnum Reipu. uulnus putabamus: hunc tu compransoribus tuis, & collusoribus diuidebas. mimos dico, & mimas in agro P. C. Campano collocatos. [a] Quid iam querar de agro Leontino? quandoquidem hæ quondam arationes Campani, & Leontini in Popu. Roma. patrimonio glandiferæ, & fructuosæ ferebantur. Medico tria millia iugerum, quasi te sanum fecisset: Rhetori duo, quasi disertum facere potuisset. [b] Sed ad iter, Italiámque redeamus. Deduxisti coloniam Casilinum, quò Cæsar antè deduxerat. Consuluisti me per literas de Capua tu quidem, sed idem de Casilino respondissem: possésne ubi colonia esset, eò coloniam nouam iure deducere? negaui in eam coloniam, quæ esset auspicatò deducta, dum esset incolumis, coloniam nouam iure deduci: colonos nouos ascribi posse rescripsi. tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum iure turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quò erat paucis annis antè deducta, ut uexillum uideres, & aratrum circunduceres: cuius quidem uomere portam Capuæ penè perstrinxisti, ut florentis coloniæ territorium minueretur. Ab hac religionum perturbatione aduolas in M. Varronis sanctissimi, atque integerrimi uiri fundum Cassinatem. [c] quo iure? quo ore? eodem, inquies, quo in hæredum L. Rubrij, quo in hæredum L. Turseij prædia, quo in reliquas innumerabiles possessiones

*Vide nũ legendum, Capuã coloniam deducere.

a Agrum Leontinum ab Antonio in priuatũ usum redactũ damnat.

b Correctio.

c Inopinatum.

siones. & si ab hasta, ualeant tabulæ, modò Cæsaris, non tuæ: quibus debuisti, non quibus tu te liberauisti. Varronis quidem Cassinatem fundum quis uenisse dicit? quis hastam istius uenditionis uidit? quis uocem præconis audiuit? [a] *misisse te dicis Alexandriam, qui emeret à Cæsare. ipsum enim expectare magnum fuit.* [b] *quis uerò audiuit unquam (nullius autem salus curæ pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam esse detractam? Quòd si etiam scripsit ad te Cæsar ut redderes, quid satis potest dici de tanta impudentia? Remoue gladios illos parumper, quos uidemus: iam intelliges aliam causam esse hastæ Cæsaris, aliam confidentiæ & temetitatis tuæ. non enim te dominus modò illis sedibus, sed quiuis amicus, uicinus, hospes, procurator arcebit. At quàm multos dies in ea uilla turpissimè es perbacchatus? ab hora tertia bibebatur, ludebatur, uomebatur.* [c] *ô tecta ipsa misera, quàm dispari domino: quanquã quomodo iste dominus? sed tamen quàm à dispari tenebantur. studiorum enim suorum M. Varro uoluit esse illud, non libidinum diuersorium. quæ in illa uilla antè dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? iura Populi Romani, monumenta maiorum, omnis sapientiæ ratio, omnísque doctrina. At uerò te inquilino (non enim domino) personabant omnia* [d] *uocibus ebriorum: natabant pauimenta uino: madebant parietes: ingenui pueri cum meritoriis: scorta inter matresfamiliâs uersabantur. * Casilino salutatum ueniebant, Aquino, Interamna: admissus est nemo. iure id quidem. in homine enim turpissimo *obsolebant dignitatis insignia. Cùm inde Romã proficiscens ad Aquinum accederet, obuiam ei processit (ut est frequens municipium) magna sanè multitudo. at iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus.*

a Antonii obiectio.

b Responsio Ciceronis ironica.

c Exclamatio pathetica.

d Hypotyposis.

* Cassino

* obsolescebant

Stultè Aquinates: sed tamẽ in uia habitabãt. quid Anagnini? qui cùm essent deuij, obuiam ei descenderunt, ut istum, tanquam si esset Consul, salutarent.* incredibile dictu, sed tum minimè inter omnes constabat, neminem esse resalutatum: præsertim cùm duos secum Anagninos haberet Mustellam, & Laconem: quorum alter gladiatorum est princeps, alter poculorum. [a] Quid ego illas istius minas, contumeliásque commemorem, quibus inuectus est in Sidicinos? uexauit Puteolanos, quòd C. Cassium, quòd Brutos patronos adoptassent, magno quidem iudicio, studio, beneuolentia, charitate, non ut te, ut * Basillum, ui & armis, & alios uestri similes, quos clientes nemo habere uelit, non modò esse illorum cliens. Intereà dum tu abes, qui dies ille Collegæ tui, cùm illud, quod tu uenerari solebas, bustum in foro euertit? quare tibi nuntiata, ut constabat inter eos, qui unà fuerunt, concidisti. quid euenerit postea, nescio. metum credo ualuisse, & arma. Collegam quidem de cælo detraxisti: effecistíque non tu quidem etiam nunc, ut sit similis tui, sed certè, ut dissimilis esset sui. [b] Qui uerò reditus inde Romam? quæ perturbatio totius urbis? [c] memineramus Cinnam nimis potentem: Syllam postea dominantem, modò Cæsarem regnantem uideramus: erant fortasse gladij, sed ij abscónditi, nec ita multi: ista uerò quæ & quanta barbaria est? agmine quadrato cum gladiis sequuntur scutati milites: * lecticas portari uidemus. Atq; his quidem iam inueteratis P.C. consuetudine obduruimus: Calend. Iuniis cùm in Senatum, ut erat constitutum, uenire uellemus, metu perterriti repentè diffugimus. at iste, qui Senatu non egeret, neque desideraret quenquam, & potius discessu nostro lætatus est, statim illa mirabilia facinora effecit: qui chirographa Cæsaris defend

* incredibile dictu est, tamen nimis

[a] Occupatio.

* Basilium

[b] Qualis reditus Antonii fuerit Romã ostendit.

[c] Ab exemplis exaggerat crudelitatem Antonii.

* sicas

defendisset lucri sui causa, is leges Cæsaris, eásq; preclaras, ut Rempub. concutere posset, euertit. numerum annorum prouinciis prorogauit: idémque, cùm actorum Cæsaris defensor esse deberet, & in publicis, & in priuatis rebus acta Cæsaris rescidit. [a] *In publicis actis nihil est lege grauius: in priuatis firmissimum est testamẽtum. Leges alias sine promulgatione sustulit, alias ut tolleret promulgatas promulgauit. Testamentum irritum fecit, quod etiam infimis ciuibus semper obtentum est. signa, tabulas, quas populo Cæsar unà cum hortis legauit, eas hic partim in hortos Pompeij deportauit, partim in uillam Scipionis. Et tu in Cæsaris memoria diligens? tu illum amas mortuum? quem is maiorem honorem consecutus erat, quàm ut haberet puluinar, simulacrum, fastigium, flaminem? est ergo flamen, ut Ioui, ut Marti, ut Quirino, sic diuo Iulio M. Antonius.* [b] *Quid igitur cessas? cur non inaugurare? sume diem: uide, qui te inauguret: collega sumus: nemo negabit.* [c] *O detestabilẽ hominẽ! siue quòd Tyranni sacerdos es, siue quòd mortui. Quæro deinceps, num hodiernus dies quis sit, ignores? nescis, heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te ipsum autem ad populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur? cur non sumus prætextati? cur honorem Cæsari tua lege datum deferi patimur? an supplicationes addendo diem cõtaminari passus es? puluinaria noluisti? aut undique religionem tolle, aut usquequaque conserua. Quæres placeátne mihi puluinar esse, fastigium, flaminem? mihi uerò nihil istorum placet. sed tu, qui acta Cæsaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? nisi fortè uis fateri, te omnia quæstu tuo, non illius dignitate metiri. Quid ad hæc tandem? expecto enim eloquẽtiam tuam. disertissimum*

[a] Locus à diuisione.

[b] Ironia acerba & tacita insectatio tyrãnidis Antonii.

[c] Exclamatio pathetica.

cognoui auum tuum, at te etiam apertiorem in dicendo. ille nunquam est nudus concionatus: tuum hominis simplicis pectus uidimus. Respondebísne ad hæc? aut omnino hiscere audebis? ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te respondere posse confidas? Sed præterita omittamus: [a] *hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, si potes. cur armatorum corona Senatus septus est? cur me tui satellites cum gladiis audiunt? cur ualuæ Concordiæ non patent? cur homines omnium gentium, maximè barbaros Ithyreos cum sagittis deducis in forum? Præsidij sui causa se facere dicit.* [b] *Nónne igitur mallies perire est melius, quã in sua ciuitate sine armatorum præsidio non posse uiuere?* [c] *Sed nullum est istuc, mihi crede, præsidium. charitate, & beneuolẽtia ciuium septum oportet esse, non armis. Eripiet, extorquebit tibi ista Pop. Ro. utinam saluis nobis: sed quoquo modo nobiscum egeris, dum istis consiliis utêris,* [d] *non potes esse, mihi crede, diuturnus. etenim ista tua minimè auara coniux, quam ego sine contumelia describo, nimium debet diu Pop. Roma. pensionem tertiam. Habet Popu. Roma. ad quos gubernacula Reipub. deferat: qui ubicunque terrarum sunt, ibi est omne Reipub. præsidium, uel potius ipsa Resp. quæ se adhuc tantummodo ulta est, nondum recuperauit. habet quidem certè Respu. adolescentes nobilissimos, paratos defensores. quàm uolent, illi cedant, otio consulentes: tamen à Rep. reuocabuntur.* [e] *Et nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris. sed inter pacem & seruitutem plurimum interest. pax est tranquilla libertas: seruitus, malorum omnium postremum, non modò bello, sed morte etiam repellendum. Quòd si se ipsos illi nostri liberatores è conspectu nostro abstulerunt:* [f] *at*

a Cõduplicatio.

b Obiectio Antonii.

c Responsio ad obiectionem.

d Minatur Antonio exitium breui futurum.

e A dulcedine pacis argumentum.

f Ab exemplo facti id est Cæsaris minatur exitiũ.

exemp

exemplum facti reliquerunt: illi quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello est persecutus, qui tamen Rex fuit, cùm esse Romæ Regẽ liceret. Spu. Cassius, Su. Melius, M. Manlius propter suspicionem regni appetendi sunt necati. hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. quod cùm ipsum factum per se præclarum atque diuinum est, tum expositum ad imitandum,[a] præsertim cùm illi eam gloriam consecuti sunt, quæ uix cœlo capi posse uideatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam.[b] Recordare igitur illum M. Antoni diem, quo dictaturam sustuliſti: pone ante oculos lætitiam Senatus, populíque Romani: confer cum nummatione tua tuorúmque: tum intelliges, quantum inter laudem & lucrum interſit.[c] Sed nimirum, ut quidem morbo aliquo, & sensus stupore suauitatem cibi nõ sentiunt: sic libidinosi, auari, facinorosi, ueræ laudis gustum non habẽt.[d] Sed si te laus allicere ad rectè faciẽdum non potest, ne metus quidem à fœdissimis factis potest auocare?[e] Iudicia non metuis? si propter innocentiam, laudo: si propter uim, non intelligis ei, qui isto modo iudicia non timeat, quid timendum sit?[f] Quòd si non metuis uiros fortes, egregiósque ciues, quòd à corpore tuo prohibentur armis: tui te, mihi crede, diutius nõ ferent.* Quid est autem, multos dies & noctes timeri à suis? nisi uerò aut maioribus habes beneficiis obligatos, quàm ille quosdam habuit ex iis, à quibus est interfectus: aut tu es ulla re cum eo comparandus? fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literatura, cogitatio, diligentia: res bello gesserat, quanuis Reipub. calamitosas, attamen magnas: multos annos regnare est meditatus: magno

a A laudabili argumentum.

b Est locus ab ante factis honestis & laudabilibus Antonii.

c A simili expositio.

d Subiectio.

e Dilemma.

f Argumentum à periculo.

* Quæ est autẽ uita, dies, &c.

labore, magnis periculis, quod cogitauerat, effecerat: muneribus, monumentis, congiariis, epulis multitudinem imperitam lenierat: suos præmiis, aduersarios clementiæ specie deuinxerat. Quid multa? attulerat iam liberæ ciuitati partim metu, partim patientia, consuetudinem seruiendi. [a] *Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre possum, cæteris uerò rebus nullo modo es comparãdus. Sed ex plurimis malis, quæ ab illo Reipubl. sunt inusta, hoc tamen boni est, quòd didicit iam Pop. Rom. quãtum cuique crederet, quibus se committeret, à quibus caueret. Hæc igitur non cogitas? nec intelligis satis esse uiris fortibus didicisse, quàm sit pulchrum beneficio gratum, fama glorioſum Tyrannum occidere?* [b] *an cùm illum homines non tulerint, te ferent? certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur, nec occasionis tarditas expectabitur. Respice quæso aliquando Rempubl. M. Antoni: quibus ortus sis, non quibuscum uiuas cõsidera: mecum ut uoles, cum Republ. redi in gratiam. Sed de te tu ipse uideris: ego de me ipso profitebor. defendi Rempub. adolescens, non deseram senex: contempsi Catilinæ gladios, nõ pertimescam tuos. quin etiam corpus libenter obtulerim, si repræsentari morte mea libertas ciuitatis potest. Vtinam aliquando dolor Pop. Rom. pariat, quod iandiu parturit. etenim si abhinc annos propè uiginti hoc ipso in templo negaui posse mortem immaturam esse Consulari: quantò uerius nunc negabo seni? Mihi uerò P. C. iam etiam optanda mors est perfuncto rebus iis, quas adeptus sum, quásque gessi. duo modò hæc opto: unum, ut moriens Pop. Roma. liberum relinquam: hoc mihi maius à diis immortalibus dari nihil potest: alterum, ut ita cuique eueniat, ut de Repub. quisque mereatur.*

a Collatio Cæsaris & Antonii.

b Argumẽtum à maiore ad minus.

IN M.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA TERTIA.

ORATIO XLVI.

SERIVS [a] *omnino P. C. quàm tempus Reip. postulauit, aliquando tamen conuocati sumus: quod flagitabam equidem quotidie: quippe cùm bellum nefarium contra aras, & focos, contra uitam, fortunásque nostras ab homine profligato, ac perdito non comparari, sed geriiam uiderem. Expectantur Calendæ Ian. quas non expectat Antonius, qui in prouinciam D. Bruti summi & singularis uiri cum exercitu impetum facere conatur: ex qua se instructũ, & paratũ ad urbem uenturum esse minitatur. Quæ est igitur expectatio, aut quæ uel minima dilatio tẽporis? quanquam enim adsunt Cal. Ian. tamen breue tẽpus longum est imparatis. dies enim affert, & hora potius, nisi prouisum est, magnas sæpe clades. certus autem dies nõ ut sacrificij, sic cõsilij expectari solet. Quòd si aut Calen. Ian. fuissent eo die, quo primùm ex urbe fugit Antonius, aut hæ nõ essent expectatæ: bellũ iam nullũ haberemus. autoritate enim Senatus, cõsensúq; pop. Ro. facilè hominis amentis fregissemus audaciam. quod cõfido equidẽ Consules designatos, simulac magistratũ inierint, esse facturos. sunt enim optimo animo, summo cõsilio, singulari cõcordia. mea autem festinatio nõ uictoriæ solùm auida est, sed etiã celeritatis.* [b] *Quousq; enim tãtum bellũ, tam crudele, tam nefarium priuatis cõsiliis propulsabitur? cur nõ quàm primũ publica accedit autoritas? C. Cæsar adolescens, penè potius puer, incredibili ac diuina quadam mente, atq; uirtute, tum,*

a Orditur à periculo Reip. & cẽset primo quoq; tempore Antonij armis occurrendũ esse; quod initium ad cõciliationẽ animorum accõmodatũ est.

b Delabitur ad rem, & exponit acta Octauii Cæsaris cum amplificatione, & illi gratias agẽdas & publicam autoritatem ad defendẽdam Remp. tribuendam censet.

tum, cùm maximè furor arderet Antonij, cúmq3 eius à Brunduſio crudelis & peſtifer reditus timeretur, nec poſtulantibus, nec cogitãtibus, nec opinantibus quidẽ nobis (quia fieri poſſe non uidebatur) firmiſſimum exercitum inuicto genere ueteranorum militum comparauit, patrimoniúmq3 ſuum effudit. quanquã non ſumus uſi eo uerbo, quo decuit. non enim effudit, ſed in ſalutẽ Reip. collocauit. Cui quanquã gratia referri tanta non poteſt, quanta debetur: habẽda tamen tãta eſt, quantam maximã animi noſtri capere poſſunt. [a] *Quis enim eſt tã ignarus rerum, tam nihil de Rep. cogitans, qui hoc non intelligat, ſi M. Antonius à Brunduſio cũ iis copiis, quas ſe habiturũ putauerat, Romã, ut minabatur, uenire potuiſſet, nullum genus crudelitatis eũ præteriturũ fuiſſe? quippe qui in hoſpitis tectis Brunduſij fortiſſimos uiros, cives optimos iugulari iuſſit: quorũ ante pedes eius morientiũ ſanguine os uxoris reſperſum eſſe cõſtabat. Hac ille crudelitate imbutus, cũ multũ bonis omnibus ueniret iratior, quàm illis fuerat, quos trucidarat: cui tandẽ ueſtrũ, aut cui omnino bono pepercißet? Qua peſte Rẽp. priuato cõſilio (nec enim fieri potuit aliter) Cæſar liberauit. qui niſi in hac Rep. natus eſſet, Rẽp. ſcelere Antonij nullã haberemus. ſic enim perſpicio, ſic iudico, niſi unus adoleſcẽs illius furentis impetus crudeliſſimóſq3 conatus cohibuiſſet, Rẽp. funditus interiturã fuiſſe. Cui quidẽ hodierno die P. C. (nunc enim primũ ita conuenimus, ut de illius beneficio poſſemus, quæ ſentiremus liberè dicere) tribuẽda eſt autoritas, ut Remp. non modò à ſe ſuſceptã, ſed etiã à nobis cõmendatam poſſit defendere. Nec uerò de legione Martia (quoniã longo interuallo loqui nobis de Rep. licet) ſileri poteſt. quis enim unus fortior, quis amicior unquam Reip. fuit, quàm legio Martia uniuerſa?*

[a] Rem narrat cũ amplificatione, & laudat: ſtque obiter eius defenſio legis, &c.

qua

quæ cùm hostem populi Rom. M. Antonium iudicasset, comes eius esse amentiæ noluit: reliquit Consulem: quod profectò non fecisset, si eum Cõsulem iudicauisset, quem nihil aliud agere, nihil moliri, nisi cædẽ ciuium, atq; interitum ciuitatis uideret.[a] Atq; ea legio consedit Albæ, quam potuit urbem eligere, aut oportuniorẽ ad res gerendas, aut fideliorem, aut fortiorum uirorum, aut amiciorum populo Ro. ciuiũ? Huiusce legionis uirtutẽ imitata Quarta legio duce L. Egnatuleo Quæstore ciue optimo & fortissimo, Cæsaris autoritatem, atq; exercitum persecuta est. Faciendum est igitur nobis P.C. ut ea quæ sua sponte clarissimus adolescens, atq; omnis præstantissimus gessit, & gerit, hæc autoritate nostra comprobantur: ueteranorúmq; fortissimorum uirorũ, tum legionis Martiæ, Quartæq;, mirabilis consensus ad Remp. recuperandam laudet, & testimonio nostro confirmetur: eorúmque commoda, honores, præmia, cùm Consules designati magistratum inierint, curæ nobis fore, hodierno die spõdeamus. Atque ea quidem quæ dixi de Cæsare, déque eius exercitu, iandiu nota sunt nobis. uirtute enim admirabili Cæsaris, constantiáq; militum ueteranorum, legionúmq; earum optimo iudicio, quæ autoritatem nostram, libertatem populi Romani, uirtutem C. Cæsaris secutæ sunt, à ceruicibus nostris est depulsus Antonius. Sed ut dixi, hæc superiora: hoc uerò recens edictum D. Bruti, quod paulò antè propositum est, certè silentio non potest præteriri. pollicetur enim se prouinciam Galliam retenturum in senatus populíq; Rom. potestate.[b] O ciuem natum Reip. memorem sui nominis, imitatorémque maiorum. neq; enim Tarquinio expulso, maioribus nostris tã fuit *optata libertas, quam est repulso Antonio retinenda nobis.[c] Illi Regibus parêre iam à cõdita urbe didicerant:

a Transit ad Decium Brutum.

b Amplificat laudes Bruti, quarũ extollendarum gratia Antonii tyrannidem exaggerat, Tarquinii Regis comparatione.

*optanda

c Proposuit rem & nunc explicat oratoriè.

rant: nos post Reges exactos seruitutis oblivio ceperat. Atq; ille Tarquinius, quem maiores nostri non tulerunt nõ crudelis, nõ impius, sed superbus habitus est, & dictus. quod nos vitium in privatis sæpe tulimus, id maiores nostri ne in Rege quidem ferre potuerunt. L. Brutus Regem superbum non tulit: Decius sceleratum atque impium regnare patietur Antonium? [a] quid Tarquinius tale, qualia innumerabilia, & fecit, & facit Antonius? Senatum etiam Reges habebant: nec *tum, ut Antonio Senatum habenti, in consilio Regis versabantur Barbari armati. servabant auspicia Reges, quæ hic Consul, Augurq; neglexit, neq; solùm legibus contra auspicia ferendis, sed etiam Collega unà referẽte eo, quẽ ipse mentitis auspiciis vitiosum fecerat. Quis autẽ Rex unquã fuit tam *insigniter impudens, ut haberet omnia cõmoda, beneficia, iura regni venalia? quã hic immunitatem, quã civitatẽ, quod præmiũ, non vel singulis hominibus, vel civitatibus, vel universis provinciis vendidit? Nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus. at verò huius domi inter *cives illius appendebatur aurum, numerabatur pecunia: una in domo omnes, quorum intererat, totum Imperium Po. Ro. nundinabantur. Supplicia verò in cives Ro. nulla Tarquinij accepimus. at hic & Suessæ iugulavit eos, quos in custodiam dederat, & Brũdusii trecẽtos fortissimos viros, civésq; optimos trucidavit. Postremò Tarquinius pro po. Ro. bellũ gerebat tũ, cùm expulsus est. Antonius cõtra po. Ro. exercitũ adducebat tũ, cùm à legionibus relictus nomẽ Cæsaris exercitũq; pertimuit, neglectísq; sacrificijs solẽnibus, ante lucẽ ea vota, quæ nunquam solveret, nuncupavit: & hoc tempore in provinciam pop. Ro. conatur invadere. [b] Maius igitur beneficium à D. Bruto populo Roma. & habet, &

a Alia pars comparationis.

*tamen

*insignitè

*Servius legit, Inter quas ylla appẽd. alij, Inter calices nõnulli, Inter scyphos.

b Concludit & ex insectatione Antonii refert quod efficitur, Brutum magnum in Remp. beneficium contulisse.

expe

expectat, quàm maiores nostri acceperunt à L. Bruto principe huius maximè cõseruandi generis & nominis. [a] *Cùm autẽ est omnis seruitus misera, tum uerò intolerabile est seruire impuro, impudico, effœminato, nunquã ne in metu quidẽ sobrio.* [b] *Hũc igitur qui Gallia prohibet, priuato præsertim cõsilio, iudicat, ueriſſiméq; iudicat, nõ esse Cõsulem. Faciendũ est igitur P.C. nobis, ut D. Bruti priuatum consiliũ autoritate publica comprobemus.* [c] *Nec uerò M. Antoniũ Consulẽ post Lupercalia putare debuistis. quo enim ille die Pop. Ro. inspectante, nudus, unctus, ebrius cõcionatus est, & id egit, ut* [d] *Collegæ diadema imponeret: eo die nõ modò Cõsulatu, sed etiam libertate se abdicauit. esset enim ipsi certè statim seruiẽdum si Cæsar ab eo regni insigne accipere uoluisset. Hũc igitur ego Cõsulem, hunc ciuem Romanũ, hunc liberũ, hũc denique hominẽ putem, qui fœdo illo & flagitioso die, & quid pati Cæsare uiuo potest, & quid eo mortuo consequi ipse cuperet, ostendit? Nec uerò de uirtute, constantia, grauitate prouinciæ Galliæ taceri potest. est enim ille flos Italiæ, illud firmamentum imperij Pop. Ro. illud ornamentum dignitatis: tantus autem consensus est municipiorum, coloniarúmq; prouinciæ Galliæ, ut omnes ad autoritatem huius ordinis, maiestatémq; Po. Ro. defendendam cõspirasse uideãtur.* [e] *Quãobrem Tribuni pleb. quãquàm nos nihil aliud, nisi de præsidio,* [f] *ut Senatũ tutò Cõsules Cal. Ian. habere possẽt, retuliſtis: tamẽ mihi uidemini magno cõsilio, atq; optima mẽte potestatẽ nobis de tota Reip. feciſſe dicẽdi. cùm enim tutò Senatũ haberi ſine præsidio non posse iudicauiſtis, illud etiam statuiſtis, intra muros Antonij scelus audaciãq; uersari.* [g] *Quãobrem omnia mea sentẽtia cõplectar, uobis, ut intelligo, non inuitis, ut & præstantiſſimis ducibus à nobis detur autoritas,*

a Alia amplificatio, quam addit.

b Et conclusio intentionis principalis.

c Hoc argumentum refertur ad principalem intentionem.

d Cæsari scilicet.

e Profert iudicium Tribunorum plebis de Antonio, quod ex relatione eorum ad senatũ interpretatur.

f Rei interpretatione ostendit eorum iudicium & uoluntatem.

g Concludit intentionem & colligit capita sententiæ suæ.

ritas, & fortissimis militibus spes ostendatur præmiorum, & iudicetur non uerbo, sed re, non modò non Consul, sed etiam hostis Antonius. [a] *nam si ille Consul, fustuarium meruerunt legiones, quæ Consulem reliquerunt: scelera-tus Cæsar, Brutus nefarius, qui contra Consulem priua-to consilio exercitus comparauerunt. sin autem militi-bus exquirendi sunt honores noui, propter eorum diui-num atque immortale meritum, ducibus autem ne refer ri quidem potest gratia: quis est, qui eum non hostem exi stimet, quem qui armis persequũtur, conseruatores Rei-pub. iudicãtur?* [b] *At quã cõtumelioſus in edictis? quàm barbarus? quàm rudis? Primùm in Cæsarẽ maledicta congessit, deprõpta ex recordatione impudicitiæ & stu-pri suorũ. quis enim hoc adolescẽte castior? quis mo-destior? quod in iuuẽtute habemus illustrius exemplũ ue teris sanctitatis? quis autẽ illo maledico impurior? Igno-bilitatem obiecit C. Cæsaris filio, cuius etiã naturalis pa-ter, si uita suppedita sset, Cõsul factus esset. Aricina ma-ter. Trallianã aut Ephesinã putes dicere? Videte, quàm despiciamur omnes, qui sumus è municipijs, id est omnes planè: quotus enim quisq; non est? quod autẽ municipiũ non contemnit is, q. Aricinũ tantoperè despicit, uetustate antiquissimum, iure fœderatum, propinquitate penè fi-nitimum, splendore municipũ honestissimum? hinc Vo-coniæ, hinc Scatiniæ leges, hinc multæ sellæ Curules, & patrũ memoria & nostra, hinc Equites Rom. lautissimi plurimi, & honestissimi. Sed si Aricinã uxorem nõ pro-bas, cur probas Tusculanã? quãquàm huius sanctissimæ fœminæ atq; optimæ pater M. Accius Balbus in primis honestus, Prætorius fuit: tuæ coniugis bonæ fœminæ, lo-cupletis quidem certè. Bambalio quidã pater, homo nul lo numero. nihil illo contẽptius, qui propter hæsitantiam*

linguæ,

a Confirmat ex contrario quod extremo posuit: & vtitur argumẽtatione hypothetica, ex destructione cõsequentis, quam oratoriè explicat.

b Persequitur ordiné & inuehitur in edicta Antonii, & eos quos ille insectatus fuerat defendit. De obiectis in Octauiũ lege Sueton.

linguæ, ſtuporémq; cordis, cognomen ex contumelia traxerit.[a] *At annus huius nobilis, Tuditanus nempe ille, qui cum palla & cothurnis numos populo de roſtris ſpargere ſolebat. uellem hanc contẽptionem pecuniæ ſuis reliquiſſet:* haberetis nobilitatẽ generis glorioſam.*[b] *Quî autẽ * euenit ut Iulianatus, ignobilis uideatur, cùm tu eodẽ materno genere ſoleas gloriari? quæ porrò amentia eſt, eũ dicere aliquid de uxorũ ignobilitate, cuius pater Numitoriam Fregellanã proditoris filiam habuerit uxorem, ipſe ex libertini filia ſuſceperit liberos? Sed hoc clariſſimi uiri uiderint, L. Philippus, qui habet Aricinã uxorem, C. Marcellus, qui Aricinæ filiam: quos certe ſcio dignitatis optimarum fœminarum non pœnitere. Idem etiam Qu. Ciceronem fratris mei filiũ compellat edicto: nec ſentit amens commendationẽ eſſe compellationem ſuam. quid enim accidere huic adoleſcenti potuit optatius, quàm cognoſci ab hominibus Cæſaris conſiliorũ eſſe ſocium, Antonij furoris inimicum? At etiam gladiator auſus eſt ſcribere, hunc de patris & patrui parricidio cogitaſſe.*[c] *O admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatẽ! in eum adoleſcentẽ hæc ſcribere audere, quem ego, & frater meus, propter eius ſuauiſſimos atq; optimos mores, præſtantiſſimúmq; ingenium, certatim amamus: omnibúsq; horis, oculis, auribus, cõplexu tenemus. Nam in eiſdẽ me edictis neſcit lædat, an laudet. cùm idem ſupplicium minatur optimis ciuibus, quod ego de ſceleratiſſimis ſumpſerim, laudare uidetur,*[d] *quaſi imitari uelit: cùm autem illam pulcherrimi facti memoriam refricat, tum à ſui ſimilibus inuidiã aliquã in me cõmoueri putat.*[e] *Sed ipſe quid fecit? cũ tot edicta propoſuiſſet, edixit ut adeſſet Senatus frequens ad VIII. Cal. Decembris: eo die ipſo non affuit. At quomodo edixit? hæc ſunt, ut*

opin

a Hoc totum εἰρωνικῶς & cũ contentione dicit.

* *Habetis* * *conuenit*

b Confert natales Antonii cum natalib' Cæſaris, & oſtendit eos eſſe pares.

c Remouet cauſam ſceleris à ſua pote.

d εἰρωνεία.

e Inſequitur ordinem temporis & reprehẽdit atrocitatẽ edicti.

opinor, uerba in extremo. SI QVIS non affuerit, hunc omnes existimare poterunt & interitus mei, & perditissimorum consiliorum autorem fuisse. Quæ sunt perdita consilia? an ea, quæ pertinent ad libertatẽ populi Ro. recuperandam? quorum consiliorũ Cæsari & me autorẽ, & hortatorem & esse, & fuisse fateor, quãquàm ille non

a Proverbium. eguit consilio cuiusquã: sed tamen, ut dicitur,[a] currẽtem incitaui. Nam interitus quidem tui quis bonus nõ esset autor? cùm in eo salus, & uita optimi cuiusq3, & libertas pop. Ro. dignitásq3 consisteret. Sed cùm tam atroci edicto nos cõcitauisset, cur ipse non affuit? nũ putatis aliqua re

b Respondet per subiectionem. triſti ac seuera?[b] uino & epulis retẽtus & alea est: si epulæ potius, quã popinæ nominandæ sunt. Diem edicti obire neglexit, in ante diem quartum Calendarum Decembris distulit. adesse in Capitolio iussit: quod in templum ipse nescio quà, per Gallorum cuniculum ascendit. conuenerunt corrogati, & quidem ampli quidam homines, sed immemores dignitatis suæ. is enim erat dies, ea fama, is impetus eius, qui Senatum uocarat, ut turpe Senatori esset, nihil timere. Ad eos tamen ipsos, qui conuenerant, ne uerbum quidem ausus est facere de Cæsare, cùm de eo cõstituisset ad Senatum referre. scriptam attulerat Consularis quidam sententiã. Quid est aliud, de eo referre non audere, qui contra se Consulem exercitũ duceret, nisi se ipsum hostẽ iudicare? necesse enim erat alterum esse hostem: nec poterat aliter de aduersariis ducibus iudicari. Si igitur C. Cæsar hostis, cur Consul nihil refert ad Senatum? sin ille à Senatu notandus non

c Infecatur infamiã hominis, vt in ediũ adducat. Fabius facit mẽtionem huius loci lib. 5. de constitutione. fuit, quid potest dicere, quin cùm de illo tacuerit, se hostẽ esse cõfessus sit quẽ in edictis Spartacum appellat, hũc in Senatu ne improbũ quidẽ dicere audet.[c] Atq3 rebus tristissimis quãtos excitat risus? sententiolas edicti cuiusdã

memor

memoriæ mandaui, quas uidetur ille peracutas putare. Ego autẽ qui intelligeret quid dicere uellet, adhuc neminem inueni. An *VLLA CONTVMELIA EST, QVAM FACIT, DIGNVS? *primùm quid est Dignus? nã etiam malo digni multi, sicut ipse. an quã facit is, qui cũ dignitate est? quæ autẽ potest esse maior? quid est porrò Facere contumeliã? quis sic loquitur? Deinde:* NEC TIMOR QVEM DENVNTIAT INIMICVS. *quid ergo? ab amico timor denuntiari solet? horum similia deinceps. nónne satius est mutũ esse, quàm, quod nemo intelligat, dicere?* [a] *En, cur magister eius ex oratore, arator factus sit, possideat in agro publico po. Ro. cãpi Leontini duo millia iugerũ immunia, ut hominẽ stultũ magis etiã infatuet mercede publica.* [b] *Sed hæc leuiora fortasse: illud quæro, cur tã subitò mansuetus in Senatu fuerit, cùm in edictis tã fuisset ferus? quid autẽ attinuerit, L. Cassio Tribuno pl. fortissimo & cõstantissimo ciui mortẽ denũtiare, si in Senatũ ueniisset? D. Carfulenũ bene de Rep. sentientẽ, à Senatu ui & minis mortis expellere? Iberiũ Canutiũ, à quo erat honestissimis cõtentionibus & sæpe, & iure uexatus, non tẽplo solùm, uerùm etiã aditu prohibere Capitolij? Cui Senatusconsulto ne intercederent uerebatur?* [c] *de supplicatione, credo, M. Lepidi clarissimi uiri: atq; id erat periculũ, de cuius honore extraordinario quotidie aliquid cogitabamus, ne eius usitatus honos impediretur. Ac ne sine causa uideretur edixisse, ut Senatus adesset, cùm de Rep. relaturus fuisset, allato nuntio de legione Quarta, mente concidit: effugere festinãs, Senatusconsultum de supplicatione per discessionẽ fecit, cùm id factũ esset anteà nunquã. Quæ uerò profectio posteà? quod iter paludati? quæ uitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quàm misera fuga? quàm fœda?*

* *ulla nõ legitur in codice antiquo. Quædam uerò exẽplaria habent, Nulla contumelia.*

a Indignãtis est.

b Redit ad Senatum, & conscientiam Antonii.

c Hoc cum elusione & ἐιρωνικῶς est pronunciandum.

a εἰρωνεία. *quàm turpis?*[a] *Præclara tum fuit Senatus in illo ipſo die ueſpertina prouinciarum religioſa ſortitio: diuina uerò opportunitas, ut quæ cuiq; apta eſſet, ea cuiq; obueniret. Præclarè igitur facitis Tribuni pl. qui de proſidio Conſulum, Senatusq; referatis: meritoq; uestro maximas uobis gratias omnes & agere, & habere debemus. quî enim carere metu, & periculo poſſemus in tanta hominum cupiditate & audacia? ille autem afflictus & perditus, quæ de ſe expectat iudicia grauiora, quàm amicorum ſuorum? familiariſſimus eius mihi homo coniunctus, L. Lentulus, & P. Naſo omni carens cupiditate, nullam ſe habere prouinciam, nullam Antonij ſortitionem fuiſſe iudicauerunt. quod idem fecit L. Philippus uir auo, patre, maioribusq; ſuis digniſſimus. in eadẽ ſententia fuit homo ſumma integritate atq; innocentia M. Anturanius. idẽ fecit P. Oppius. ipſi etiã, qui amicitiam M. Antonij ueriti, plus ei tribuerunt, quã fortaſſe uellẽt, M. Piſo, & meus neceſſarius, & uir, & ciuis egregius, pariq; innocentia M. Vehilius, Senatus autoritati ſe obtẽperaturos eſſe dixerũt. Quid ego de L. Cinna loquar? Cuius ſpectata multis magnisq; in rebus ſingularis integritas minus admirabilem fecit huius honeſtiſſimi facti gloriam: qui omnino prouinciam neglexit: quam item magno animo & conſtanti C. Ceſſedius repudiauit. Qui ſunt igitur reliqui quos ſors diuina delectet? L. Antoni*, & M. Antonius.* [b] *O felicem utrunq;! nihil enim* malluerunt *C. Antonius Macedoniam. hunc quoq; felicem. hanc enim ſemper habebat in ore prouinciam. C. Caluiſius Africã. nihil felicius. modò enim ex Africa deceſſerat, & quaſi diuinans ſe rediturũ, duos Legatos Vticæ reliquerat. deinde M. Iccius Siciliã, Q. u. Caſſius Hiſpaniam. non habeo, quid ſuſpicer.* [c] *duarũ credo prouinciarũ ſortes*

b εἰρωνεία. *mallauerunt

c Siciliæ & Hiſpaniæ, eſt crebra εἰρωνεία.

ſortes minus diuinas fuiſſe. O C. Cæſar (adoleſcentẽ appello) quam tu ſalutem Reip. attuliſti? quàm improuiſam? quàm repentinam? qui enim hæc fugiens fecerit, quid faceret inſequens? [a] *etenim in concione, dixerat ſe cuſtodem futurum urbis, uſq; ad Cal. Maias: ad urbem exercitum habiturum. O præclarum cuſtodem ouium (ut aiunt) lupum. cuſtósne urbis, an direptor, & uexator eſſet Antonius? Et quidẽ ſe introiturũ in urbẽ dixit, exiturúmq;, cùm uellet. quid illud? nónne audiente populo ſedens pro æde Caſtoris dixit, niſi qui uicisſet uicturũ neminem?* [b] *Hodierno die primùm P. C. lõgo interuallo in poſſeſſionẽ libertatis pedem ponimus: cuius quidẽ ego, quoad potui, non modò defenſor, ſed etiam cõſeruator fui: cùm autẽ id facere non poſſem, qui fui? nec abiectè, nec ſine aliqua dignitate caſum illũ temporũ, & dolorẽ tuli.* [c] *hanc uerò teterrimã belluam, quis ferre poſſet, aut quomodo? quid eſt in Antonio, præter libidinẽ, crudelitatẽ, petulantiã, audaciam? ex his* * *tot cõglutinatus eſt. nihil apparet in eo ingenuũ, nihil moderatũ, nihil pudẽs, nihil pudicũ. Quapropter, quoniã res in id diſcrimẽ adducta eſt, utrum ille pœnas Reipublicæ luat, an nos ſeruiamus: aliquando per deos immortales P. C. patriũ animũ, uirtutemq; capiamus: aut libertatẽ propriã Romani generis & nominis recuperemus, aut mortẽ ſeruituti anteponamus. Multa, quæ in libera ciuitate ferenda non eſſent, tulimus & perpeſſi ſumus, alij ſpe recuperãdæ libertatis, alij uiuendi nimia cupiditate. ſed ſi illa tulimus, quæ nos neceſſitas ferre coegit, quæ uis quædam penè fatalis, quæ tamen ipſa non tulimus etiámne huius impuri latronis feremus teterrimum, crudeliſſimúmque dominatum?* [d] *Quid hic faciat, ſi potuerit, iratus, qui cum ſuccenſere nemini poſſet, omnibus bonis fuerit inimicus? quid*

a Confirmat ex dictis Antonii.

b Delabitur in grauẽ inſectationem Antonii, & exaggerata illius tyrãnide incitat ſenatum ad recuperandam libertatẽ. Hæc eſt peroratio ſententiæ.

c Confert Cæſaris dominatũ vtcunque tolerabiliorem, cũ Antonii indignitate.

* totus

d ἐνθύμημα ex minori.

hic victor non audebit, qui nullam adeptus victoriã tanta scelera post Cæsaris interitum fecerit, [a] *refertam eius domum exhauserit, hortos cõpilarit, ad se omnia ex his ornamenta trãstulerit, cædis & incendiorũ causam quæsierit ex funere, duobus aut tribus Senatusconsultis bene & è Rep. factis, reliquas res ad lucrum prædamq; reuocauerit, uendiderit immunitates, ciuitates liberauerit, prouincias uniuersas ex Imperij populi Romani iure sustulerit, exules reduxerit, falsas leges C. Cæsaris nomine, & falsa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curauerit, earumq; rerũ omnium domesticũ mercatum instituerit. pop. Rom. leges imposuerit, armis & præsidijs populum Ro. & magistratus foro excluserit, Senatũ stipauerit armatis, armatos in cella Cõcordiæ, cùm Senatũ haberet, incluserit, ad legiones Brunduſium cucurrerit, ex iis optimè sentientes Centuriones iugulauerit, cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum, & ad disperditionẽ urbis uenire conatus. Atq; is ab hoc impetu abstractus consilio, & copijs Cæsaris, consensu ueteranorũ, uirtute legionum, ne fortuna quidẽ fractus minuit audaciam: nec ruere demens, nec furere desinit: in Galliam mutilatũ ducit exercitũ: cũ una legione, & ea uacillãte L. fratrem expectat, quo neminem reperire potest sui similiorem. Ille autẽ ex Myrmilone dux, ex gladiatore Imperator, quas fecit strages, ubicunq; posuit uestigia? cædit greges armentorũ, reliquiq; pecoris quodcunq; nactus est: epulantur milites: ipse autem se, ut fratrem imitetur, obruit uino: uastantur agri: diripiuntur uillæ: matres familiâs, uirgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus tradũtur. Hæc eadẽ, quacunq; exercitũ duxit, fecit M. Antonius.* [b] *His uos teterrimis fratribus portas aperietis? hos unquã in urbẽ recipietis? non tẽpore oblato, ducibus paratis;*

[a] Delabitur in enumerationem scelerũ Antonii.

[b] Prorumpit in indignationem & perficiendi facultates proferens vehementius instat.

ratis, animis militum incitatis, populo Ro. conſpirante, Italia tota ad libertatem recuperandã excitata deorum immortalium beneficio utemini? nullum erit tempus, hoc amiſſo: à tergo, à fronte, à lateribus tenetur. ſi in Galliam uenerit, non ille armis ſolùm, ſed etiam noſtris decretis urgendus eſt. magna uis eſt, magnum nomen unum & idem ſentientis Senatus. Videtisne refertum forum? populum Rom. ad ſpem recuperandæ libertatis erectũ? qui longo interuallo cùm frequentes hîc uidet nos, tum ſperat etiam liberos conueniſſe. [a] *Hunc ego diẽ expectans, M. Antonij ſcelerata arma uitaui, tum, cùm ille in me abſentẽ inuehens, non intelligebat, ad quod tẽpus me, & meas uires reſeruarem. ſi enim illi tum cædis initiũ à me quærenti reſpondere uoluiſſem, nunc Reip. conſulere non poſſem. Hanc uerò nactus facultatẽ, nullum tempus P. C. dimittam, neq; diurnum, neq; nocturnum, quin de populi Ro. libertate, de dignitate ueſtra quod cogitandum ſit, cogitem: quod agendum, atq; faciendum, idem non modò non recuſem, ſed appetam etiam atq; depoſcam. Hoc feci ſemper dum licuit, intermiſi* *quoad nõ licuit:* *cum non iã nõ ſolùm licet, ſed neceſſe eſt etiã, niſi ſeruire malumus, quàm, ne ſeruiamus, animis armisq; decernere.* [b] *Dij immortales nobis hæc præſidia dederũt, urbi Cæſarẽ, Brutum* [c] *Galliæ. Si enim ille urbem opprimere potuiſſet ſtatim: ſi Galliam tenere paulò pòſt, optimo cuique pereundum, reliquis eſſet ſeruiendum.* [d] *Hanc igitur occaſionem oblatam tenete per deos immortales P. C. & ampliſſimi orbis terræ conſilij principes uos eſſe aliquando recordamini. ſignum date populo Ro. conſilium ueſtrum non deeſſe Reipu. quoniã ille uirtutem ſuam nõ defuturam eſſe profitetur.* [e] *Nihil eſt, quod moneã. nemo eſt tam ſtultus, qui nõ intelligat, ſi dormierimus huic tẽpori, nõ modò*

a Excuſat præteritũ tempus quo ceſſerit Antonio, & nunc operam ſuam polliçetur.

b Addit etiam alias facultates.

c Ciſalpinæ.

d Hortatur obteſtando & cum ſeruitutis incommodo ignominiã proponit.

e Correctio.

modò crudelem superbamq; dominationẽ nobis, sed ignominiosam etiam, & flagitiosam esse ferendam. [a] Nostis insolentiam Antonij, nostis amicos, nostis totam domum libidinosis, petulãtibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebrijs seruire, ea est summa miseria summo dedecore cõiuncta. [b] Quòd si iã (quod dij omen auertãt) fatũ extremum Reipu. uenit: quod gladiatores nobiles faciunt, ut honestè decumbant, faciamus nos principes orbis terrarum gentiumq; omnium, ut cum dignitate potius cadamus, quàm cum ignominia seruiamus. Nihil est detestabilius dedecore, nihil fœdius seruitute. ad decus, & libertatem nati sumus. aut hæc teneamus, aut cum dignitate moriamur. [c] Nimium diu teximus, quid sentiremus: nunc iam apertũ est: omnes iam patefecerunt, in utram partem quid sentiant, quid uelint. Sunt impij ciues, pro charitate Reipub. nimium multi pro multitudine bene sentientium, admodum pauci: quorum opprimendorum dij immortales incredibilem Reip. potestatem, & fortunam dederunt. ad ea enim præsidia, quæ habemus, iam accedunt [d] Consules summa prudẽtia, uirtute, concordia, multos menses de populi Rom. libertate commentati, atq; meditati. His autoribus, & ducibus, dijs iuuantibus, nobis uigilantibus, & multum in posterum prouidentibus, populo Rom. consentiente, erimus profectò liberi breui tempore: iucundiorem autem faciet libertatem seruitutis recordatio. [e] Quas ob res, quòd Tribuni pleb. uerba fecerunt, ut Senatus Calend. Ian. tutò haberi, sententiaq; de summa Reipub. liberè dici possint, de ea re ita censeo, ut C. Pansa, A. Hircius Consules designati dent operam, ut Senatus Calend. Ian. tutò haberi possit: quodq; edictum D. Bruti Imperatoris Consulis designati, optimè de Repu. meriti, propositum sit, Senatum existimare D.

Brutum

a Cõfirmat hoc à persona Antonii & eius conuictoribus.

b Occurrit iterũ dubitationi, & hortatur à minori.

c Repetit argumenta facultatis ad cõclusionem.

d Hircius & Pansa.

e Colligit summam sententiæ & concludit.

Brutum Imperatorem Consulem designatum, optimè de Rep. promereri, cùm Senatus autoritatẽ, populiq; Ro. libertatem, imperiumq; defendat: quodq; Galliam prouinciam citeriorem optimorum, & fortissimorum uirorum, amicissimorum populo Romano ciuiũ exercitúmq; in Senatus potestate retineat, id eum, exercitumq; eius, municipia, colonias prouinciæ Galliæ, rectè atq; ordine, exq; Rep. fecisse, & facere: Senatum ad Summam Reip. pertinere arbitrari, à D. Bruto & ab L. Planco Imperatoribus C O S S. *designatis, itemq; à cæteris, qui prouincias obtinent obtineri ex lege Iulia quoad ex Senatusconsulto cuiq; eorum successum sit: eosq; dare operam, ut eæ prouinciæ, exercitusq;, in Senatus populiq; Romani potestate, præsidioq; Reipublicæ sint: cumq; opera, uirtute, consilio C. Cæsaris, summoq; consensu militum ueteranorum, qui eius autoritatem secuti Reip. præsidio sunt, & fuerunt, & à grauissimis periculis populus Ro. defensus sit, & hoc tempore defendatur: cumq; legio Martia Albæ constiterit, in municipio fidelissimo, & fortissimo: seq; ad Senatus autoritatem, populiq; Romani libertatem contulerit: quòd pari consilio eademq; uirtute legio quarta usa L. Egnatuleio duce ciue egregio Senatus autoritatem, populiq; Romani libertatem defendat ac defenderit: Senatui magnæ curæ esse ac fore, ut pro tantis eorum in Remp. meritis honores eis habeantur, gratiæq; referantur: Senatui placere, uti C. Pansa, A. Hircius, Consules designati, cùm magistratum inierint, si eis uidebitur, primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referant, ita uti è Republica fideq; sua cẽsuerint.*

IN M. ANTONIVM AD QVIRITES, PHILIPPICA QVARTA.

ORATIO XLVII.

a Orditur breuiter à commendatione officii sui, & antegressi temporis excusatione.

FREQVENTIA [a] *uestrum incredibilis, Quirites, concióq; tanta, quantã meminisse non uideor, & alacritatem mihi summã affert Reip. defendẽdæ, & spem recuperãdæ libertatis. quanquã, animus quidẽ mihi nunquã defuit, tẽpora defuerũt: quæ simulac primùm aliquid lucis ostẽdere uisa sunt, princeps uestræ libertatis defendẽdæ fui. quod si antè facere conatus essẽ, nũc facere nõ possem.* [b] *Hodierno enim die Quir. ne adhuc mediocrẽ rem actã arbitremini, fundamẽta sunt iacta reliquarũ actionũ. nã est hostis à Senatu nondũ uerbo appellatus, sed re iã iudicatus Antonius.* [c] *Nũc uerò multò sum erectior, q uos quoq; hostẽ illum esse tanto cõsensu, tantóq; clamore approbauistis. Nec enim fieri potest, ut nõ aut ij sint impij, qui contra Consulem exercitũ cõparauerunt: aut ille hostis, contra quẽ iure arma sumpta sunt. Hãc igitur dubitationẽ, quanquã nulla erat, tamẽ ne qua posset esse, Senatus hodierno die sustulit. C. Cæsar, qui Remp. libertatémq; uestram suo studio, consilio, patrimonio denig; tutatus est, & tutatur, maximis Senatus laudibus ornatus est. Laudo, laudo uos Qu. cùm gratissimis animis prosequimini nomẽ clarissimi adolescẽtis, uel pueri potius. sunt enim facta eius immortalitatis, nõ ætatis. multa memini, multa audiui, multa legi: nihil ex omni seculorũ memoria tale cognoui qui cũ seruitute premeremur, & in dies malũ crescceret, præsidij nihil habe-*

b Accedit ad rẽ, & narrationẽ incipit à propositione.

c Hîc reclamat populus, decretũ senatus comprobans: quare consensum eius laudat Cicero, sed ita, vt tamen cohæreat cursus orationis.

remus;

remus, capitalem & pestiferum Brũdusio M. Antonij reditum timeremus: hoc insperatum omnibus consilium, incognitum certè ceperit, ut exercitũ inuictum ex Hispanis militibus conduceret, Antoniiq; furorem crudelissimis consiliis incitatũ à pernicie Reip. auerteret. [a] Quis est enim, qui hoc non intelligat, nisi Cæsar exercitum parauisset, nõ sine exitio nostro futurum Antonij reditum fuisse? Ita enim se recipiebat ardens odio uestri, cruentus sanguine ciuium, quos Suessæ, quos Brũdusij occiderat, ut nihil nisi de Reipub. pernicie cogitaret. Quod autem erat præsidiũ salutis, libertatisq; uestræ, si C. Cæsaris fortissimorúmq; sui patris militum exercitus non fuisset? cuius de laudibus, & honoribus, qui ei pro diuinis & immortalibus meritis diuini immortalésq; debentur, mihi Senatus assensus paulò antè decreuit, ut primo quoque tempore referretur. Quo decreto quis non perspicit Antonium hostem esse iudicatum? quẽ enim appellare possumus eum, contra quem qui exercitus ducunt, iis Senatus arbitratur singulares exquirẽdos honores? Quid legio Martia? quæ mihi uidetur diuinitus ab eo deo traxisse nomẽ, à quo Po. Ro. generatum accepimus: nónne ipsa suis decretis prius, quàm Senatus, hostem iudicauit Antonium? nam ille si non hostis: qui Consulem reliquerũt, hostes necesse est iudicemus. Præclara & luculenta reclamatione uestra factum pulcherrimum Martialium comprobastis, qui se ad Senatus autoritatem, ad libertatẽ uestram, ad uniuersam Remp. contulerunt, hostẽ illum, & latronem, & parricidam patriæ reliquerunt. Nec solùm id animosè, & fortiter, sed considerate etiam, sapiẽtérque fecerunt. Albæ constiterunt in urbe opportuna, munita, propinqua, fortissimorum uirorum, fidelissimorum ciuium, atque optimorum. Huius Martiæ le-

[a] Amplificat periculum.

gionis legio Quarta imitata uirtutẽ, duce L. Egnatuleio, quem Senatus meritò paulò antè laudauit, C. Cæsaris exercitum persecuta est. Quæ expectas M. Antoni iudicia grauiora? Cæsar fertur in cœlum, qui contra te exercitum cõparauit. laudantur exquisitissimis uerbis legiones, quæ te reliquerunt, quæ à te accersitæ sunt: quæ tuæ essent, si te Consulem, quàm hostem maluisses. quarũ legionum fortissimum, uerissimúmq; iudicium cõfirmat Senatus, comprobat uniuersus Pop. Rom. [a] nisi fortè uos Quir. Consulem, non hostem iudicatis Antonium. Sic arbitrabar uos iudicare, ut ostẽditis. municipia, colonias, præfecturas num aliter iudicare censetis? omnes mortales una mente consentiunt: omnia arma eorũ. qui hæc salua uelint, contra illam pestem esse capienda. [b] *Quid D. Brutiiudicium Quir. quod ex hodierno eius edicto perspicere potuistis, num cui tandem contemnendũ uidetur? Rectè & uerè negastis Quir. est enim quasi deorum immortalium beneficio, & munere datum Reip. Brutorũ genus, & nomen ad libertatem Po. Ro. uel constituendã, uel recuperandam. Quid igitur D. Brutus de M. Antonio iudicauit? excluſit prouincia: exercitu obstitit: Galliam totam hortatur ad bellum, ipsam sua sponte, suóque iudicio excitatam. Si Consul Antonius, Brutus hostis: si conseruator Reip. Brutus, hostis Antonius. num igitur utrum horum sit, dubitare possumus? Atqui ut uos una mente unáq; uoce dubitare uos negatis, sic modò decreuit Senatus, D. Brutũ optimè de Rep. mereri, cùm Senatus autoritatẽ, populíq; Ro. libertatẽ, imperiúmq; defenderit. à quo defenderit? nempe ab hoste. quæ est enim alia laudanda defensio? Deinceps laudatur prouincia Gallia, meritóq; ornatur uerbis amplissimis à Senatu, & resistat Antonio: quem si Consulẽ illa prouincia putaret, neque*

[a] εἰρωνεία.

[b] Hic reclamauerat populus comprobans edictum Bruti.

neque eum reciperet, magno scelere se astringeret. omnes enim sub Cõsulis iure, & imperio debent esse prouinciæ. Negat hoc D. Brutus Imperator Cõsul designatus, natus Reip. ciuis: negat Gallia, negat cuncta Italia, negat Senatus, negatis uos. [a] *Quis igitur illum Consulem nisi latrones putant? quanquã ne ij quidem ipsi quod loquũtur, id sentiunt: nec à iudicio omnium mortalium, quanuis impij nefariiq; sint, sicut sunt, dissentire possunt. sed spes rapiendi, atq; prædandi cæcat animos eorum: quos non bonorum donatio, non agrorũ assignatio, non illa infinita Pompeij hasta satiauit: qui sibi urbẽ, qui bona, & fortunas ciuium ad prædam proposuerunt: qui dum sit quod rapiant, quod auferant, nihil sibi defuturum arbitrãtur. quibus M. Antonius (ô dij immortales auertite, & detestamini quæso hoc omen) urbem se diuisurũ esse promisit. Ita uerò ei, ut precamini, eueniat, quò huius amẽtiæ pœna, in ipsum, familiámq; eius recidat. quod ita futurum esse confido. iam enim non solùm homines, sed etiam deos immortales ad Remp. conseruandã arbitror consensisse. Siue enim prodigiis, atq; portentis dij immortales nobis futura prædicunt: ita sunt apertè denuntiata, ut & illi pœna, & libertas nobis appropinquet. siue tantus consensus omnium, sine impulsu deorum esse non potuit, quid est, q; de uolũtate cœlestium dubitare possimus?* [b] *Reliquum est Quirites, ut uos in ista sententia, quam præ uobis fertis, perseueretis.* [c] *Faciam igitur ut Imperatores instructa acie solent: quanquam paratissimos milites ad præliandum uideant, ut eos tamen adhortentur. sic ego uos ardentes, & erectos ad libertatem recuperandam cohortabor. Nõ est, non est uobis Quirites cum eo hoste certamen, quócum aliqua pacis conditio esse possit.* [d] *neq; enim ille seruitutem uestram, ut antea, sed iam iratus*

a Occurrit & simul proponendo comprehendit.

b Altera pars orationis qua hortatur populũ ad libertatem recuperandam.

c Proponit hũc locum per collationem similitudinis.

d Declarat & apertius facit id quod dixit & latet argumentum.

iratus ſanguinem concupiſcit. nullus ei ludus uidetur eſſe iucundior, quàm cruor, quàm cædes, quàm ante oculos trucidatio ciuium. Non eſt uobis Quir. res cum ſcelerato homine, atq; nefario, ſed cum immani tetrág; bellua: quæ quoniã in foueã incidit, obruatur. ſi enim illinc emerſerit, nullius ſupplicij crudelitas erit recusãda. [a] *ſed tenetur, premitur, urgetur, nunc iis copiis, quas iam habemus: mox iis, quas paucis diebus noui* [b] *Conſules comparabunt. Incumbite in cauſam Quir. ut facitis: nunquam ueſter cõſenſus maior in ulla cauſa fuit: nũquam tam uehementer cum Senatu conſociati fuiſtis. nec mirum. agitur enim non qua conditione uicturi, ſed uicturi ríne ſimus, an cum ſupplicio ignominiág; perituri.* [c] *quãquam mortem quidem omnibus natura propoſuit: crudelitatẽ mortis & dedecus, uirtus propulſare ſolet: quæ propria eſt Romani generis, & ſeminis. hanc retinete quæſo Quir. quam uobis tanquam hæreditatem maiores ueſtri reliquerũt. quanquã omnia alia incerta ſunt, caduca, mobilia:* [d] *uirtus eſt una altiſſimis defixa radicibus: quæ nunquã ulla ui labefactari poteſt, nunquã dimoueri loco. hac maiores* noſtri primũ uniuerſam Italiam deuicerunt, deinde Carthaginem exciderunt, Numantiam euerterunt, potentiſſimos Reges, bellicoſiſſimas gentes in ditionẽ huius imperij redegerunt.* [e] *Ac maioribus quidem ueſtris Quir. cum eo hoſte res erat, qui haberet Remp. curiã, ærarium, conſenſum & concordiam ciuiũ, rationem aliquam, ſi res ita tuliſſet, pacis & fœderis: hic ueſter hoſtis ueſtram Rempub. oppugnat, ipſe habet nullam: Senatũ, id eſt, orbis terræ conſilium delere geſtit, ipſe conſilium publicum nullum habet: ærarium ueſtrum exhauſit, ſuum non habet. nam concordiam ciuium quî habere poteſt, nullam qui habeat ciuitatem? pacis uerò*

a ἀντίθεσις.

b Hirtius & Panſa.

c Delabitur in virtutem populi Rom. & dignitatẽ per correctionem.

d Amplificatio virtutis. Eſt enĩ quædam res diuina.

* *ueſtri*

e Remouet pacis conditionem ex aliorum hoſtium comparatione, vt confirmet belli neceſſitatem.

quæ

quæ poteſt cum eo eſſe ratio, in quo eſt incredibilis crudelitas, fides nulla? [a] Eſt igitur Quir. Po. Ro. uictori omnium gentium, omne certamẽ cum excurſore, cum latrone, cum Spartaco. Nam quòd ſe ſimilem Catilinæ eſſe gloriari ſolet, ſcelere par eſt, belli induſtria inferior. Ille cùm exercitum nullum haberet, repentè conflauit: hic eum ipſum exercitum, quem accepit, [b] amiſit. Vt igitur Catilinam diligẽtia mea, Senatus autoritate, ueſtro ſtudio, & uirtute fregiſtis: ſic Antonij nefariũ latrocinium ueſtra cum Senatu concordia tanta, quanta nunquam fuit, felicitate, & uirtute exercituum, ducúmque ueſtrorum, breui tempore oppreſſum audietis. Equidem quantum cura, labore, uigilijs, autoritate, conſilio, eniti atque efficere potero, nihil prætermittam, quod ad libertatem ueſtram pertinere arbitrabor. neque enim id pro ueſtris in me ampliſſimis beneficiis ſine ſcelere facere poſſum. [c] hodierno autem die primùm referente uiro fortiſſimo, uobíſq; amiciſſimo M. hoc Seruilio, Collegíſq; eius ornatiſſimis uiris, optimis ciuibus, longo interuallo me autore, & principe ad ſpem libertatis exarſimus.

a Concludit & breuiter renouat argumentum.

b Defecerant ab illo duæ legiones.

c Profert exemplum, ſe autorẽ fuiſſe huius rei.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA QVINTA.

ORATIO XLVIII.

NIHIL [d] unquã longius Cal. Ian. mihi uiſum eſt Patres cõſcripti: quod idem intelligebam per hos dies unicuiq; ueſtrũ uideri. qui enim bellum cum Republica gerũt, hũc diem non expectant. nos autẽ tum, cùm maximè conſilio ueſtro ſubuenire communi ſaluti oporteret, in Senatum

d Orditur à querela prolati temporis propter periculum Reip.

a Colligit & laudat Coss.

b Hircii & Pansæ.

c Accedit ad rē, improbata sententia Pisonis laudat senatus constantiam.

d Subest argumentum absumptionis.

conuocabamur. [a] *Sed querelam præteritorum dierũ sustulit oratio* [b] *Consulum: qui ita locuti sunt, ut magis exoptatæ Cal. Ian. quàm seræ esse uideantur.* [c] *Atq; ut oratio Consulum animum meum erexit, spémq; attulit non modò salutis conseruandæ, uerùm etiam dignitatis pristinæ recuperandæ: sic me perturbasset eius sententia, qui primus rogatus est, nisi uestræ uirtuti cõstantiæq; confiderem. Hic enim uobis Patres conscripti dies illuxit, hæc potestas data est, ut quantum uirtutis, quantum constantiæ, quantum grauitatis, in huius ordinis consilio esset, Po. Ro. declarare possetis. Recordamini, qui dies nudiustertius decimus fuerit, quantus consensus uestrum, quanta uirtus, quanta constantia, quantam sitis à Pop. Ro. laudem, quantã gloriã consecuti. Atq; illo die P.C. ea constituistis, ut uobis nihil iam sit integrum, nisi aut* [d] *honesta pax, aut bellum necessarium. Pacem uult M. Antonius? arma ponat, roget, deprecetur. neminẽ æquiorem me reperiet: cui quidem dum se ciuibus impiis commẽdat, inimicus esse, quàm amicus maluit. nihil est profectò, quòd dari possit bellum gerẽti: erit fortasse aliquid, quod concedi possit roganti. Legatos uerò ad eum mittere, de quo grauissimum iudicium nudiustertius decimus feceritis, non iam leuitatis est, sed ut quod sentio dicam dementiæ. Primùm enim eos duces laudauistis, qui contra illum priuato consilio bellum suscepissent: deinde milites ueteranos, qui cũ ab Antonio in colonias essent deducti, illius beneficio libertatem Po. Ro. anteposuerunt. Quid legio Martia? quid quarta? cur laudãtur? si enim Consulẽ suũ reliquerunt, uituperandæ sunt: si inimicum Po. Ro. iure laudantur. Atqui cùm Cõsules nondũ haberetis, decreuistis, ut & de præmiis militũ, & de honoribus Imperatorum primo quoq; tempore referretur. Pla-*

cet eo

ceteodem tẽpore præmia conſtituere iis, qui contra Antonium arma ceperũt, & Legatos ad Antoniũ mittere? ut iam pudendum ſit, honeſtiora eſſe legionum decreta, quàm Senatus. ſiquidem legiones decreuerũt Senatum defendere contra M. Antonium: Senatus decernit Legatos ad Antonium. utrum hoc eſt confirmare militum animos, an debilitare uirtutẽ? [a] *hoc dies duodecim perfecerunt, ut quem nemo præter Cotylam tum inuentus ſit, qui defenderet, is habeat iam patronos etiam Conſulares? Qui utinam omnes ante me ſententiam rogarentur.* [b] *quanquam ſuſpicor quid dicturi ſunt quidã eorũ, qui poſt me rogabuntur. facilius contradicerem, ſi quid uideretur. eſt enim opinio, decreturum aliquem M. Antonio illam* [c] *ultimam Galliam, quam Plancus obtinet. Quid hoc aliud eſt, quàm adbellũ ciuile hoſti arma largiri? primùm neruos belli pecuniam infinitam, qua nũc eget: deinde equitatum, quantum uelit: equitatum dico? dubitabit, credo, gentes Barbaras ſecum adducere. hoc qui nõ uidet, excors: qui cùm uidet, decernit, impius. Tu ciuem ſceleratum & perditum, Gallorum & Germanorum exercitu, pecunia, peditatu, equitatu, copiis inſtrues? nullæ iſtæ excuſationes ſunt:* [d] *meus amicus eſt: ſit patriæ prius. meus cognatus: an poteſt cognatio ulla propior eſſe, quàm patriæ, in qua parentes etiã continentur? mihi pecuniã attribuit: cupio uidere, qui id audeat dicere.* [e] *Quid autẽ agatur, cùm aperuero, facilè erit ſtatuere, quam ſententiam dicatis aut quã ſequamini. Agitur utrũ M. Antonio facultas detur opprimãdæ Reip. cædis faciendæ, bonorum diripiendorum, urbis, agrorum, ſuis latronibus condonandi, Po. Ro. ſeruitute opprimẽdi: an horum nihil facere ei liceat, dubitatis? an nõ cadunt hæc in Antoniũ? hoc ne Cotyla quidem dicere auderet. quid enim*

a Prorumpit in obiurgationẽ & indignationem.

b Parentheſi remouet ſtultitiam occupationis.

c Tranſalpinam.

d Proſopopœia aduerſariorum.

e Profert periculũ cum amplificatione.

enim in eum non cadit, qui cuius acta se defendere dicit, eius leges peruertit, quas maximè laudare poteramus? Ille paludes siccare uoluit: hic omnem Italiam moderato homini L. Antonio diuidendam dedit. quid? hanc legem Po. Ro. accepit? quid? per auspicia ferre potuit? sed Augur uerecundus sine collegis de auspiciis non interpretaretur: quanquã illa auspicia non egent interpretatione Augurum. Ioue enim tonante cum Po. Ro. agi non esse fas, quis ignorat? Trib. pleb. tulerunt de prouinciis contra acta Cæsaris, ille biennij, iste sexennij: num etiam hanc legẽ Po. Ro. accepit? quid? promulgata fuit? quid? nónne antè lata, quàm scripta? nónne antè factam uidimus, quàm futuram quisquã est suspicatus? ubi lex Cæcilia, & Didia? ubi promulgatio, trinundinum? ubi pœnæ recenti, lex Iunia, & Licinia? possúntne hæ leges ratæ esse sine interitu legum reliquarũ? [a] eccui potestas in forum introeũdi fuit? quæ porrò illa tonitrua? quæ tẽpestas? ut si auspicia M. Antonium non mouerent, sustinere eum, aut ferre * non potuisse tantam uim tempestatis, imbris, ac turbinum, mirum uideretur? Quam legem igitur se Augur dicit tulisse, non modò tonante Ioue, sed propè cœlesti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auspicia latam confiteri? quid? quòd cum eo collega tulit, quem ipse fecit sua nuntiatione uitiosum, nihilne ad auspicia bonus Augur arbitratus est pertinere? [b] Sed auspiciorum nos fortasse erimus interpretes, qui sumus eius collegæ. Num ergo etiam armorũ interpretes quærimus? primùm omnes fori aditus ita sunt sepți, ut, etiam si nemo obstaret armatus, tamen nisi septis reuulsis introiri in forum nullo modo posset. sic uerò erant disposita præsidia, * ut quomodo aditus hostium prohibetur castellis & aggeribus, ita ab ingressione fori populum

a Arguit leges contra auspicia promulgatas.

* Nõ, abundat, si cum interrogatione legatur.

b Abrumpit hũc locum.

* Quidã codices sic habẽt: ut quomodo aditꝰ hostiũ prohibẽtur, ita castellis & operibus ab ingressione, &c.

Tribun

Tribunósq; ple. propulsari uideres. [a] *Quibus de causis eas leges, quas M. Antonius tulisse dicitur, omnes cẽseo per uim, & contra auspicia latas, iísq; legibus populum non teneri. Si quam legem de actis Cæsaris confirmãdis, déue Dictatura in perpetuum tollenda, déue coloniis in agros deducendis tulisse M. Antonius dicitur, easdem leges de-integro, ut populum teneant, saluis auspiciis ferre placet.* [b] *Quanuis ergo bonas leges uitiosè, per uimque tulerit, tamen hæ leges non sunt habendæ: omnísq; audacia gladiatoris amentis, autoritate nostra repudiãda est.* [c] *illa uerò dissipatio pecuniæ publicæ ferenda nullo modo est, per quam* [d] *septies millies falsis perscriptionibus, donationibúsq; auertit: ut portenti simile uideatur, tantam pecuniam Pop. Rom. tam breui tempore perire potuisse. Quid illi immanes quæstus? ferendíne? quos M. Antonij tota exhausit domus? decreta falsa uendebat: regna, ciuitates, immunitates in æs, accepta pecunia, iubebat incidi. hæc se ex commentariis Cæsaris, quorum ipse autor erat, agere dicebat. in interiore ædiũ parte totius Reip. nundinæ: mulier sibi felicior, quàm* *uir, auctionem prouinciarum, regnorúmq; faciebat: restituebantur exules, quasi lege, sine lege: quæ nisi autoritate Senatus rescindantur, quoniam ingressi in spem Reip. recuperandæ sumus, imago nulla liberæ ciuitatis relinquetur. Neq; solùm commentariis commentitiis, chirographísq; uenalibus innumerabilis pecunia congesta in illam domum est, cùm quæ uẽdebat Antonius, ea se ex actis Cæsaris agere diceret: sed Senatus etiam cõsulta pecunia accepta falsa referebat: syngraphæ obsignabãtur: Senatusconsulta quam facta ad ærariũ referebantur. Huius turpitudinis testes erãt etiam exteræ nationes. Fœdera interea facta: regna data: populi, prouinciæq; liberatæ: earúmq; rerum falsæ*

uiro

a Concludit, & colligit sententiam suam de legibus Antonii.

b Censet orator & testatur leges Antonii rescindẽdas esse, & bonas promulgandas.

c Pergit ad cætera acta Antonij.

d Scilicet sestertiũm, quæ sunt septuagies quinquies cẽtena millia coronatorum.

tabulæ gemente Po. Ro. toto Capitolio figebantur. Quibus rebus tanta pecunia una in domo coaceruata est, ut, si hoc genus in unum redigatur, non sit pecunia Po. Ro. defutura. Is etiam legem iudiciariã tulit, homo castus, atq; integer, iudiciorũ & iuris[a] autor. in quo nos fefellit. antesignanos, & manipulares, & alaudas iudices se constituisse dicebat. at ille legit aleatores, legit exules, legit Græcos. [b] ô consessum iudicum præclarum! ô dignitatem consilij admirandam! pauet animus apud consilium illud pro reo dicere. *Cydam Cretensem, portentum insulæ, hominem audacissimum, & perditissimum. Sed fac ita non esse. num Latinè sit? num ex iudicum genere & forma? num leges nostras moréue nouit? num denique homines? est enim nobis Creta notior, quàm Roma Cydæ. Delectus autem & notatio iudicum etiam in nostris ciuibus haberi solet. Gortinium uerò iudicem quis nouit? aut quis nosse potuit? Nam Lysiadẽ Athenienſem plerique nouimus. est enim Phædri philosophi nobilis filius: *homo prætereà festiuus, ut ei cum M. Curio consessore eodem, & collusore facillimè possit conuenire. [c] quæro igitur, si Lysiades citatus iudex non respondérit, excusetúrq; Areopagites esse, nec debere eodem tempore Romæ, & Athenis res iudicare: accipiétne excusationem is, qui quæstioni præerit, [d] Græculi iudicis, modò [e] palliati, modò togati? an Athenienſium antiquissimas leges negliget? Qui porrò ille consessus di boni? Cretensis iudex, ísq; nequissimus: *quemadmodum ad hunc reus alleget? quomodo accedat? dura natio est. at [f] Athenienses misericordes. puto ne Curium quidem esse crudelem, qui quotidie periculum fortunæ faciat. Sunt item lecti Iudices, qui fortasse excusabuntur: habẽt enim legitimã excusationẽ, exilij causa solũ uertisse, nec esse posteà restitutos: hocille

demens

a Ironicõs.

b Ostendit indignitatem iudicũ & quosdam nominatim describit.

*Deesse hîc aliquid uidetur.

*quo nemo prætereà magis festiuus

c Negat Lysiadem posse iudicẽ esse.

d Diminutiuum ad contemptum dicit.

e Et hoc ad elusionẽ ab habitu.

*quem ad hunc

f Ironicõs hoc subiungit, & est quasi antihypophora.

demens iudices legisset, horum nomina ad ærarium detulisset, his magnam partem Reip. credidisset, si ullam speciẽ Reip. cogitauisset? Atq; ego de notis iudicibus dixi: quos minus nostis, nolui nominare saltatores, citharistas, totum deniq; comessationis Antonianæ chorũ in tertiam decuriam iudicum scitote esse collectum. hæc causa, cur lex tam egregia, támq; præclara, maximo imbri, [a] tempestate, uentis, procellis, turbinibus, inter fulmina & tonitrua ferretur, ut eos iudices haberemus, quos socios ad epulas habere hospites nemo uelit. scelerum magnitudo, conscientia maleficiorum, direptio eius pecuniæ, cuius ratio in æde Opis confecta est, hanc tertiam decuriam excogitauit: nec antè turpes iudices quæsiti, quàm honestis iudicibus nocentium salus desperata est. [b] Sed illud os, illam impuritatem cœni fecisse, ut hos iudices legere auderet, quorum lectione duplex imprimeretur Reipu. dedecus: unum, quòd tam turpes iudices essent: alterum, quòd patefactũ esset, quàm multos in ciuitate turpes haberemus? [c] Hanc ego & reliquas eiusmodi leges, etiam si sine ui, saluis auspiciis essent rogatæ, censerẽ tamen abrogandas: [d] nunc uerò cur non abrogandas censeam, quas iudico non rogatas? [e] An illa non grauissimis ignominiis, monumentíq; huius ordinis ad posteritatis memoriam sunt notanda, quòd unus M. Antonius in hac urbe *post conditam urbem palàm secum habuit armatos? quod neque Reges fecerunt, neq; ij, qui Regibus exactis regnum occupare noluerunt. Cinnam memini, uidi Syllam, modò Cæsarẽ: hi enim tres post ciuitatẽ à L. Bruto liberatam, plus potuerunt, quàm uniuersa Resp. [f] non possum affirmare nullis telis eos stipatos fuisse: hoc dico, nec multis, & occultis. At hanc pestem [g] agmen armatorũ sequebatur: Classitius, Mustella, Tyro, gladios ostentãtes, sui similes

a Omnia verbis exaggerat.

b Verba sunt corrupta, aut quædã desunt.

c Arguit leges per vim latas, & rem exaggerat.
d Ex minore.
e Ostẽdit leges Antonii latas esse per vim.
*post cond. urbẽ: Tria hæc uerba in quibusdam codicibus non leguntur.
f Cõparatio cæterorum tyrãnorum cum Antonio, quibus illũ anteponit.
g Singula verba habẽt vim hypotyposis.

greges ducebant per forum: certum agminis locum tenebant barbari sagittarij. cùm autem erat uẽtum ad ædem Concordiæ, gradus complebantur, lectica collocabantur: non quòd ille scuta occulta esse uellet, sed ne familiares, si scuta ipsi ferrent, laborarent. Illud uerò teterrimũ auditu, nõ modò aspectu, in cella Concordiæ collocari armatos latrones, sicarios: è tẽplo carcerẽ fieri: *apertis ualuis Concordiæ cùm inter subsellia Senatus uersarentur latrones, Patres conscriptos sententias dicere.[a] Huc etiam nisi uenirem Cal. Septemb. fabros se missurum, & domum meam disturbaturũ esse dixit. Magna res, credo, agebatur. de supplicatione referebatur. ueni postridie: ipse non uenit. locutus sum de Rep. minus equidẽ liberè, quàm mea consuetudo: liberius tamen, quàm periculamináq; postulabant. At ille homo uehemẽs, & uiolentus, qui hanc consuetudinẽ liberè dicẽdi excluderet (fecerat enim hoc idẽ maxima cum laude L. Piso. XXX. diebus ante me) inimicitias mihi denuntiauit: adesse in Senatu iussit ad XIII. Cal. Octob. ipse interea decem & septem dies, ut digestio potius, quàm declamatio uideretur, de me in Tyburtino Scipionis declamitauit, sitim quærens: hæc enim ei causa esse solet declamãdi. Cùm is dies, quo me adesse iusserat, uenisset, tum uerò agmine quadrato in ædem Concordiæ uenit, atq; in me absentẽ orationem ore impurissimo euomuit. quo die, si per amicos mihi cupienti in Senatum uenire licuisset, cædis initium fecisset à me. sic enim statuerat. cùm autem semel gladium scelere imbuisset, nulla res ei finem cædendi, nisi defatigatio & satietas, attulisset. etenim aderat L. frater gladiator Asiaticus, q Myrmillo Mylasis depugnarat: sanguinẽ nostrum sitiebat, suũ illa gladiatoria pugna multũ profuderat. hic pecunias nostras æstimabat: possessiones notabat

*opertis ualuis, hîc esse legendũ, satis cõstat ex 3. Phil. ubi sic habetur, Cur ualuæ Concordiæ non patent.

a Persequitur reliqua historiæ, & ordinem temporis continuat.

rabat & urbanas, & rusticas: huius mendicitas auiditate cõiuncta in fortunas nostras imminebat: diuidebat agros quibus, & quos uolebat: nullus aditus erat priuato, nulla æquitatis deprecatio: tantum quisq; habebat possessor, quantum reliquerat diuisor Antonius. Quæ quanquã, si leges irritas feceritis, rata esse non possunt, tamen separatim suo nomine notanda censeo: iudicandi mq; nullos Septemuiros fuisse: nihil placere ratum esse, quod* egissent, aut quod ab iis actum diceretur. M. uerò Antonium quis est qui ciuem possit iudicare potius, quàm teterrimum & crudelissimum hostem, qui pro æde Castoris sedens, audiente Po. Ro. dixerit, [a] nisi uictorem uicturum neminẽ? Num putetis P. C. dixisse eũ minacius, quàm facturum fuisse? [b] Quid uerò, quod in concione dicere ausus est, se cùm magistratu abisset, ad urbem uenturum cum exercitu, introiturum quotiescunq; uellet? quid erat aliud, nisi denuntiare Po. Ro. seruitutem? Quod autem eius iter Brundusium, quæ festinatio, quæ spes, nisi ut ad urbem cum exercitum maximum adduceret? qui autem delectus Centurionum? quæ effrænatio impotentis animi? Cùm eius promissis legiones fortissimæ reclamassent, domum ad se uenire iussit Cẽturiones, quos bene de Rep. sentire cognouerat: eósq; ante pedes suos, uxóresque suæ, quam secũ grauis Imperator ad exercitũ duxerat, iugulari coegit. [c] Quo animo hunc futurum fuisse censetis in nos, quos oderat, cùm in eos, quos nunquàm uiderat, tam crudelis fuisset? & quàm auidum in pecuniis locupletum, qui pauperũ sanguinẽ concupisset? quorum ipsorum bona, quanta cunq; erant, statim suis comitibus, compotoribusq; descripsit. Atq; ille furẽs infesta iam patriæ signa Brũdusio inferebat: cùm Cæsar deorũ immortalium beneficio diuini animi, ingenij, cõsilij magnitudi-

*ij egissent

a Tyrãnica vox.

b Persequitur ordinem rei gestæ.

c Respicit ad scopum orationis, & argumentatur ex minori. Totius orationis scopus est, ne mittantur legati ad Antonium, & ostendit periculum futurum, si Romam cum exercitu venerit.

ne, cùm sua sponte, eximiáque uirtute, tum approbatione autoritatis meæ, Colonias patris adiit: ueteranos milites cõuocauit: paucis diebus exercitum fecit: incitatos latronis impetus retardauit. Postea uerò quàm legio Martia ducem præstantissimum uidit, nihil egit aliud, nisi ut aliquando liberi essemus. quam est imitata Quarta legio. Quo ille nuntio audito, cùm Senatum uocasset, adhibuissétq; Consularem, qui sua sentẽtia C. Cæsarẽ hostem iudicaret, repentè concidit. Pòst autem neq; sacrificiis solennibus factis, neq; uotis nuncupatis, * profectus est, & profugit paludatus. at quò? in prouinciã firmissimorũ, & fortissimorum ciuium: qui illum, ne si ita quidẽ uenisset, ut nullum bellũ inferret, ferre potuissent, impotẽtem, iracundum, contumelioſum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebriũ. At ille, cuius ne pacatam quidem nequitiam quisquam ferre posset, bellũ intulit prouinciæ Galliæ: circunsedit Mutinam firmissimam, & splendidissimam Po. Ro. coloniã: oppugnat D. Brutum Imperatorem, Consulem designatum, ciuẽ non sibi, sed nobis, & Reip. natũ. Ergo Annibal hostis, ciuis Antonius? [a] quid ille fecit hostiliter, quod hic aut non fecerit, aut non faciat, aut non moliatur, & cogitet? totum iter Antonij quid habuit, nisi depopulationes, uastationes, cædes, rapinas? quæ non faciebat Annibal, quia multa ad usum * reseruabat: at ij, qui in horam uiuerent, non modò de fortunis, & de bonis ciuium, sed ne quidem de utilitate sua cogitauerunt. [b] Ad hũc (dij boni) Legatos mitti placet? norũt isti homines formam Reip. iura belli, exempla maiorum? cogitant, quid Po. Ro. maiestas, quid Senatus seueritas postulet? Legatos decernitis: si ut deprecentur, contemnet: si ut imperetis, non audiet: denig; quãuis seuera Legatis mãdata dederimus, nomẽ ipsum Legato

* nõ profectus est, sed profugit palud.

a Prorumpit in argumentationẽ & confirmat Antonium hostem esse.

* reseruabat hæc ij, qui in horã uiuerent, non modò, &c.

b Redit ad caput sententiæ, & aduersarios reprehendit.

Legatorum hunc, quem uidimus, Po. Ro. reſtinguet ardorem, municipiorum, atque Italiæ franget animos. ut omittam hæc, quæ magna ſunt: certè iſta legatio moram, & tarditatẽ afferet bello. [a] *quanuis dicant, quod quoſdã audiã dicturos, Legati proficiſcantur: bellũ nihilominus paretur: tamen legatorũ nomẽ ipſum & animos molliet, & belli celeritatẽ morabitur. Minimis momentis P.C. maximæ inclinationes temporũ fiunt, cùm in omni caſu Reip. tum in bello, & maximè ciuili, quod opinione plerunq; & fama gubernatur. nemo quæret quibuſcũ mandatis Legatos miſerimus: nomen ipſum Legationis ultro miſſæ timoris eſſe ſignum uidebitur. recedat à Mutina, deſinat oppugnare Brutũ, decedat ex Gallia: nõ eſt uerbis rogandus, cogẽdus eſt armis. Nõ enim ad Annibalẽ mittimus, ut à Sagunto recedat, ad quẽ miſerat olim Senatus P. Valeriũ Flaccũ, &* Qu. *Fabiũ Pãphilũ: qui, ſi Annibal nõ parêret, Carthaginẽ ire iuſſi ſunt. noſtros Legatos quò iubebimus ire, niſi paruerit Antonius? ad noſtrũ ciuẽ mittimus, ne Imperatorẽ, ne coloniã Po. Ro. oppugnet. itáne uerò hoc per legatos rogãdus eſt?* [b] *quid intereſt per deos immortales, utrũ hanc urbẽ oppugnet, an huius urbis propugnaculũ, coloniámq; Po. Ro. præſidij cauſa collocatã?* [c] *Belli Punici ſecũdi, quod cõtra maiores noſtros Annibal geſſit, cauſa fuit Saguntioppugnatio. rectè ad eũ Legati miſſi mittebãtur ad Pœnum, mittebãtur ad Annibalẽ pro hoſpitibus noſtris & ſociis. Quid ſimile tandẽ? nos ad ciuẽ mittemus, ne Imperatorẽ Po. Ro. ne exercitum, ne coloniã circunſedeat, ne oppugnet, ne agros depopuletur, ne ſit hoſtis? Age, ſi paruerit, hoc ciue uti aut uolumus, aut poſſumus? Ante diẽ* XIIII. *Cal. Ian. decretis ueſtris eum concidiſtis: conſtituiſtis ut hæc ad uos Cal. Ian. referrẽtur, quæ referri uidetis,*

a Occupat quorundam ſententiam, quorum errorem reprehendit.

* Qu. Bebium

b Exaggerat rẽ.

c Iterat exempli diſſimilitudinẽ.

de honoribus, & præmiis bene de Rep. meritorũ, & merentium: quorũ principem iudicauistis eum, qui fuit, C. Cæsarem, qui M. Antonij impetus nefarios ab urbe in Galliã uertit: deinde milites ueteranos, qui primi Cæsarẽ secuti sunt: tũ illas cæleſtes, diuinásq; legiones, Martiã, & Quartam, quibus, cùm Conſulẽ ſuum non modò reliquiſſent, ſed bello etiã perſequerentur, honores & præmia ſpopondiſtis: eodémq; die D. Bruti præſtantiſſimi ciuis edicto allato atque propoſito, factum eius collaudauiſtis: quódq; ille belli priuato conſilio ſuſceperat, id uos autoritate publica comprobaſtis. Quid igitur illo die aliud egiſtis niſi ut re hoſtẽ iudicaretis Antoniũ? his ueſtris decretis aut ille uos æquo animo aſpicere poterit, aut uos illum ſine dolore ſummo uidebitis? Excluſit illũ à Rep. diſtraxit, ſegregauit nõ ſolùm ſcelus illius, ſed etiã, ut mihi uidetur, fortuna quædã Reip. qui ſi Legatis paruerit, Romámq; redierit, num quando perditis ciuibus uexillum, quo concurrant, defuturum putatis? Sed hoc minus uereor. ſunt alia, ob quæ magis nũquam parebit ille Legatis. noui hominis inſaniã, arrogantiam: noui perdita cõſilia amicorum, quibus ille eſt deditus. Lucius quidem frater eius, ut pote qui peregre depugnauit, familiã ducit. ſi per ſe ipſe ſanus, quod nunquam erit: per hos eſſe ei tamen nõ licebit. teretur interea tempus, belli apparatus refrigeſcent. unde eſt adhuc bellum, niſi ex retardatione & mora? ut primùm poſt diſceſſum latronis, uel potius deſperatam fugam, liberè Senatus haberi potuit, ſemper flagitaui, ut cõuocaremur: quo die primùm conuocati ſumus, cùm deſignati Conſules non adeſſent, ieci ſententia mea maximo ueſtro conſenſu fundamenta Reip. ſerius omnino, quàm decuit: nec enim antè potui, ſed tamẽ ſi ex eo tempore dies nullus intermiſſus eſſet, bellum profectò nullum

a Correctione cõlligit præcedẽtem locũ & certius incõmodum ſubiungit ex recordatione belli, & confirmat antegreſſi tẽporis exemplo.

b Coniectura ex perſona.

nullum haberemus. Omne malum nascens facilè opprimitur: inueteratum sit plerung; robustius. Sed tum expectabantur Cal. Ian. fortasse non rectè. [a] Verùm præterita omittamus. etiámne hanc morã afferemus, dum proficiscantur Legati, dum reuertantur? quorũ expectatio dubitationẽ belli afferet: bello autẽ dubio, quod potest studiũ esse delectus? [b] Quamobrẽ P.C. Legatorum mentionem nullã censeo faciendã: rem administrandã arbitror sine ulla mora. & confestim gerendã censeo: tumultũ decerni, iustitium indici, saga sumi dico oportere, delectũ haberi sublatis uacationibus in urbe: & in Italia, præterea [c] Gallia tota. Quæ si erũt facta, opinio ipsa, & fama uestræ seueritatis obruet scelerati gladiatoris amentiã. sentiet sibi bellum cum *populo Ro. esse susceptum: experietur cõsentientis Senatus neruos atq; uires. nã nunc quidẽ partium cõtentionem esse dictitat. quarum partiũ? alteri uicti sunt, alteri sunt è mediis C. Cæsaris partibus. nisi fortè Cæsaris partes à Pãsa & Hircio Cõsulibus, & à filio C. Cæsaris oppugnari putamus. Hoc uerò bellum non est ex dissensione partiũ, sed ex nefaria spe perditissimorũ ciuiũ excitatũ: quibus bona, fortunæq; nostræ notatæ sunt, & iã ad cuiúsq; opinionẽ distributæ. [d] Legi epistolã Antonij, quam ad quendã Septemuirum capitalẽ hominẽ collegã suum miserat. QVID CONCVPISCAS TV VIDERIS: QVOD CONCVPIVERIS CERTE HABEBIS. [e] Hem, ad quẽ Legatos mittamus? cui bellũ moremur inferre? qui ne sorti quidẽ fortunas nostras destinauit, sed libidini cuiusq; nostra addixit, ut ne sibi quidẽ quicquã integrũ, quod nõ alicui promissum iã sit, reliquerit. [f] cum hoc P.C. bello, bello inquã decertandum est, idq; cõfestim. Legatorũ tarditas repudiãda est. Quapropter ne multa nobis quotidie de-

a Abrumpit quæ relata antegressi temporis, & argumentationem urget.

b Concludit totam hanc partem orationis, & sententiæ suæ summam colligit.

c Et Cisalpina & Transalpina.

*Repub.

d Hoc confirmat testimonio.

e Prorumpit in indignationem, Vult Antonium iam bona ciuium suis distribuisse.

f Redit ad sententiam cõclusionis & alia adiungit.

cernenda sint: Consulibus totã Remp. cõmittendam censeo, hisq3 permittendũ, ut Rẽp. defendant, [a] prouideantq3 ne quid Resp. detrimẽti accipiat: cẽseóq3 ut iis, qui in exercitu Antonij sunt, ne sit ea res fraudi, si ante Cal. Febr. ab eo discesserint. [b] Hæc si cẽsueritis Patres cõscripti, breui tẽpore libertatẽ Pop. Ro. autoritatémq3 uestrã recuperabitis: sin autẽ lenius agetis, *tamẽ eadẽ, sed fortasse serius decernetis. De Rep. quoad retulistis, satis decreuisse uideor. [c] Altera res est de honoribus: de quibus deinceps intelligo esse dicendũ. Sed qui ordo in sententiis rogandis seruari solet, eundem tenebo in uiris fortibus honorãdis. A Bruto igitur Consule designato more maiorum capiamus exordiũ: cuius, ut superiora omittã, quæ sunt maxima illa quidem, sed adhuc hominum magis iudiciis, quàm publicè laudata: quibus nã uerbis eius laudes huius ipsius tẽporis consequi possumus? neq3 enim ullã mercedem tanta uirtus præter hãc laudis gloriáq3 desiderat. qua etiã si careat, tamen sit seipsa cõtenta, atq3 in memoria gratorum ciuium, tanquã in luce posita lætetur. laus igitur iudicij testimoniíque uestri tribuenda Bruto est. Quamobrem his uerbis P. C. Senatusconsultum faciẽdum censeo: CVM D. Brutus Imp. COS. designatus, prouinciã Galliam in Senatus, populíq3 Ro. potestate teneat, cúmq3 exercitũ tantũ, tam breui tẽpore summo studio municipiorũ, coloniarúmq3 prouinciæ Galliæ optimè de Rep. meritæ, merentíq3 conscripserit, cõparárit id eum rectè & ordine, éxq3 Rep. feciſſe: ídq3 D. Bruti præstantissimum meritũ in Remp. Senatui populóq3 Romano gratum esse, & fore. itaq3 Senatum populúmq3 Ro. existimare D. Bruti Imp. COS. design. opera, consilio, uirtute, incredibilíq3 studio, & consensu prouinciæ Galliæ, Reip. difficillimo tempore esse subuentum. [d] Huic tanto merito

[a] Hæc erat forma cõmendationis Reip.

[b] Est extrema admonitio.

*tandem

[c] Venit ad alteram partem orationis qua honores decernit cum meritorum amplificatione.

[d] Amplificat merita Bruti.

Bruti

*Bruti P.C. tantóq; in Remp. beneficio, quis est tãtus honos, qui non debeatur? nam si M. Antonio potuisset Gallia, si oppressis municipiis, & coloniis imparatis in illam ultimam Galliam penetrare potuisset, quãtus Reip. terror impendêret? dubitaret credo, homo amentissimus, atque omnibus consiliis præceps, & deuius, non solũ cum exercitu suo, sed etiam cum omni immanitate Barbariæ bellum inferre nobis, ut eius furorem ne Alpiũ quidem muro cohibere possemus. Hæc igitur habenda gratia est D. Bruto, qui illum nondũ interposita autoritate uestra, suo cõsilio, atq; iudicio, non ut Cõsulem recepit, sed, ut hostem, arcuit Gallia, seq; obsideri, quàm hanc urbem maluit. Habeat ergo huius tãti facti, támq; præclari decreto uestro testimoniũ sempiternum: Galliáq; quæ semper præsidet, atq; præsedit huic Imperio, libertatíq; cõmuni, meritò, *ueréq; laudetur, quòd se, suásq; uires non tradidit, sed opposuit Antonio. Atq; etiã M. Lepido pro eius egregijs in Rempub. meritis decernendos honores quàm amplissimos censeo. Semper ille populũ Ro. liberũ esse uoluit, maximúmq; signũ illo die dedit uoluntatis, & iudicij sui, cùm Antonio diadema Cæsari imponente, se auertit, gemituq; & mœstitia declarauit, quãtum haberet odium seruitutis, quàm po. Ro. liberum cuperet: quàm illa quæ tulerat, tẽporum magis necessitate, quàm iudicio tulisset. Quanta uerò is moderatione usus sit in illo tẽpore ciuitatis, quod post mortẽ Cæsaris cõsecutum est, quis nostrũ obliuiscì potest? [a] Magna hæc, sed ad maiora properat oratio. quid enim, ô dij immortales, admirabilius omnibus gẽtibus, quid optatius po. Rom. accidere potuit, quàm cùm bellũ ciuile maximũ esset, cuius belli exitũ omnes timeremus, sapiẽtia eius id potius extingui, q̃ armis, & ferro rem in discrimẽ adducere? Quòd si eadem*

*iuréque laud.

a Amplificat moderationẽ Lepidi in bello ciuili post mortem Cæsaris componendo, qđ inter veteres & nouas partes futurũ erat.

ratio

ratio Cæsaris fuisset, in illo tetro miserógꝫ bello: ut omittam patrem, duos Cn. Pompeyj summi & singularis uiri filios incolumes haberemus: quibus certè pietas fraudi esse non * debet. utinam omnes M. Lepidus seruare potuisset: factũ fuisse declarauit in eo quod potuit, cum Sex. Pompeiũ restituit ciuitati, maximum ornamẽtum Reip. clarissimũ monumentum clemẽtiæ suæ. grauis illa fortuna populi Ro. graue fatũ. Põpeio enim patre, quod imperij populi Romani lumen fuit, extincto, interfectus est patris simillimus filius. [a] sed omnia mihi facta uidẽtur deorum immortaliũ iudicio & pietate, Sex. Põpeio Reip. conseruato. Quam ob causam iustã, atqꝫ magnam, & quòd periculosissimũ ciuile bellum maximúmqꝫ humanitate, & sapiẽtia sua M. Lepidus ad pacẽ concordiámqꝫ conuertit, Senatusco̅sultũ his uerbis censeo perscribendũ: CVM à M. Lepido Imp. Põtifice Max. sæpenumero Resp. & bene, & feliciter gesta sit, Pop. Rom. intellexerit ei dominatũ regiũ maximè displicere: cúmqꝫ eius opera, uirtute, consilio, singularíqꝫ clemẽtia, & mãsuetudine bellum acerbissimum ciuile sit restinctum, Sextus Põpeius, Cn. F. Magnus huius ordinis autoritate ab armis discesserit, & à M. Lepido Imp. Pont. Max. summa Senatus populíqꝫ Ro. uolũtate ciuitati restitutus sit: Senatũ populúmqꝫ Ro. pro maximis plurimísqꝫ in Remp. M. Lepidi meritis, magnam spẽ in eius uirtute, autoritate, felicitate, reponere otij, pacis, concordiæ, libertatis: eiusqꝫ in Rẽp. meritorũ Senatũ, populũqꝫ Ro. memorẽ fore, eiqꝫ statuã Equestrem inauratã in Rostris, aut quo alio loco in foro uellet, ex huius ordinis sentẽtia statui placere. Qui honos P.C. mihi maximus uidetur: primũ, quia iustus est: nõ enim solũ datur propter spẽ tẽporũ reliquorũ, sed pro amplissimis meritis reddi-

tur

* Debuit, legendum uidetur.

a Correctio.

tur: nec uerò cuiquam possumus cõmemorare hunc honorẽ à Senatu tributũ iudicio Senatus soluto, & libero.

Venio ad C. Cæsarem P.C. [a] qui nisi fuisset, quis nostrum esse potuisset? aduolabat ad urbẽ à Brundusio homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omneis bonos cũ exercitu Antonius. quid huius audaciæ & sceleri poterat opponi? nõdum ullos duces habebamus, non copias: nullum erat consilium publicum, nulla libertas: dandæ ceruices erant crudelitati nefariæ: fugam quærebamus omnes, quæ ipsa exitum non habebat. quis tum nobis, quis populo Ro. obtulit hunc diuinum adolescentem deus? qui, cùm omnia ad perniciem nostram pestifero illi ciui paterẽt, subitò præter spem omnium exortus, prius confecit exercitum, quem furori M. Antonij opponeret, quàm quisquam hoc eum cogitare suspicaretur. [b] Magni honores habiti Cn. Pompeio, cùm esset adolescens: & quidem iure: subuênit enim Reip. sed ætate multo robustior, & militum ducẽ quærentium studio paratior, [c] & in alio genere belli. non enim omnibus Syllæ causa grata. declarat multitudo proscriptorum, tot municipiorum maximæ calamitates. Cæsar autem annis multis minor ueteranos cupientes iam requiescere armauit, eam complexus est causam, quæ esset Senatui, quæ populo, quæ cunctæ Italiæ, quæ diis omnibus gratissima. & Pompeius ad L. Syllæ maximum imperiũ, victorémque exercitum accessit: Cæsar se ad neminem adiunxit: ipse princeps exercitus faciendi, & præsidii comparãdi fuit. Ille in aduersariorum partibus agrum Picenum habuit munitum: hic ex Antonii amicis, sed amicioribus libertati, contra Antonium confecit exercitum. Illius opibus Sylla regnauit: huius præsidio Antonii dominatus oppressus est. Demus igitur imperium Cæsari: sine quo res militaris

a Amplificat meritum Octauii erga Remp.

b Confert Octauiũ cum Pompeio, amplificandæ causa.

c Deteriori, nempe ciuili bello.

militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest: sit pro Prætore eo iure, quo qui optimo. qui honos, quãquã est magnus illi ætati, tamẽ ad necessitatẽ rerũ gerendarũ, non solũ ad dignitatẽ ualet. itaq; illa quæramus quæ uix hodierno die consequemur. Sed sæpe spero fore, huius adolescẽtis hortandi honorãdiq; & nobis, & pop. Ro. potestatem. hoc autẽ tempore ita cẽseo decernẽdum:*

**ornandi*

QVOD *C. Cæsar C. F. Pont. Proprætor, summo Reip. tempore milites ueteranos ad libertatem pop. Ro. cohortatus sit, eósq; conscripserit: quódq; legio Martia, Quartáq; summo studio, optimóque in Remp: cõsensu, C. Cæsare duce, & autore Remp. libertatem pop. Ro. defendãt, defenderint: & quòd C. Cæsar Proprætor, Galliæ prouinciæ cum exercitu subsidio profectus sit: equites, sagittarios, elephantos in suam, populíque Rom. potestatem redegerit, difficillimóque Reip. tempore saluti, dignitatiq; pop. Roma. subuenerit: ob eas causas Senatui placere C. Cæsarem, C. F. Pon. Proprætorem, Senatorem esse, sententiámque loco Prætorio dicere: eiúsq; rationem quacunq; appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, si anno superiore Quæstor fuisset.* [c] *Quid est enim P. C. cur eum non quàm primũ amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim annalibus cùm grandiorẽ ætatẽ ad Consulatũ* constituebant, adolescentiæ temeritatem uerebantur. C. Cæsar ineunte ætate docuit, ab excellenti eximiáq; uirtute progressum ætatis expectari nõ oportere.* [b] *Itaq; maiores nostri ueteres illi admodum antiqui leges annales nõ habebãt: quas multis pòst annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales. Ita sæpe magna indoles uirtutis prius quàm Reip. prodesse potuisset, extincta fuit. At uerò apud antiquos Rulli, Decij, Coruini, multíq; alij, recẽtiore autem memoria superior*

**constituebant maiores nostri adol. legendũ uidetur.*

a Occurrit legibus annalibꝰ, quibus vult Octauiũ soluendum esse.

b Confirmat maiorum autoritate spectatam virtutẽ legibus subiectam esse non oportere.

rior Africanus, T. Flaminius, admodum adolescentes Consules facti tantas res gesserunt, ut po. Ro. imperium auxerint, nomen ornarint. Quid Macedo Alexander? cùm ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nónne tertio & trigesimo anno mortem obijt? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quàm Consularis. ex quo iudicari potest, uirtutis esse, quàm ætatis cursum celeriorem. [a] *Nam quòd ij, qui Cæsari inuident, simulant se timere: ne uerendum quidem est, ut tenere se possit, ut moderari, ne honoribus nostris elatus intẽperantius suis opibus utatur. Ea natura rerum est P.C. ut qui sensum ueræ gloriæ ceperit, quíq3 se ab Senatu, ab Equitibus populóq3 Rom. uniuerso senserit ciuem charum haberi salutarémq3 Reip. nihil cum hac gloria cõparandũ putet.* [b] *Vtinam C. Cæsari, patri dico, contigisset adolescenti, ut esset Senatui, atque optimo cuiq3 charissimus. quod cùm consequi neglexisset, omnẽ uim ingenij, quæ summa fuit in illo, in populari leuitate consumpsit. Itaque cùm respectum ad Senatum, & ad bonos non haberet, eam sibi uiam ipse patefecit ad opes suas amplificandas, quam uirtus liberi populi ferre non posset. Eius autem filij longissimè diuersa ratio: qui cùm omnibus est, tum optimo cuiq3 charissimus. in hoc spes libertatis posita est: ab hoc accepta iam salus: huic summi honores & exquirũtur, & parati sunt. Cuius igitur singularem prudentiam admiramur, eius stultitiam timemus? quid enim stultius, quàm inutilem potẽtiam, inuidiosas opes, cupiditatẽ dominandi præcipitem & lubricã anteferre ueræ, graui, sõlidæ gloriæ? an hoc uidit puer: si ætate processerit, non uiderit? At est quibusdã inimicus clarissimis, atq3 optimis ciuibus. nullus iste timor esse debet. omneis Cæsar inimicitias Reip. condonauit: hanc sibi iudicẽ constituit, hanc*

[a] Occupat aliam obiectionẽ, quã cõiectura futuri tẽporis dissoluit.

[b] Occurrit contrario exemplo, & dissimile offẽdit.

moderatricem omnium factorũ. ita enim ad Remp. accessit, ut eã confirmaret, nõ ut euerteret. omneis habeo cognitos sensus adolescentis: nihil est illi Rep. charius, nihil uestra autoritate grauius, nihil bonorũ uirorum iudicio optatius, nihil uera gloria dulcius. Quamobrem ab eo non modò nihil timere, sed maiora & meliora expectare debetis: neq; in eo, qui ad D. Brutũ obsidione liberãdum profectus sit, timere, ne memoria maneat domestici doloris, quæ plus apud eum possit, quàm salus ciuitatis. Audebo etiam obligare fidẽ meam P. C. uobis, populóq; Ro. quod profectò cùm me nulla uis cogeret, facere non auderem, pertimescerémq; in re maxima periculosam opinionem temeritatis. promitto, recipio, spõdeo Patres conscripti, C. Cæsarem talem semper fore ciuẽ, qualis hodie sit, qualémq; eũ maximè uelle & optare debemus. Quæ cùm ita sint, de Cæsare satis hoc tempore dictum habeo. Nec uerò de L. Egnatuleio fortissimo & constantissimo ciue, amicissimo Reipub. silendum arbitror: sed tribuendum testimoniũ uirtutis egregiæ, quòd is legionẽ Quartam ad Cæsarẽ adduxerit, quæ præsidio Consulibus, Senatui, populóq; Ro. Reiq; pub. esset: ob eam causam placere, uti L. Egnatuleio triennium ante legitimũ tempus magistratus petere, capere, gerere liceat. In quo P. C. nõ tam commodũ tribuitur L. Egnatuleio, quàm honos. in tali enim re satis est nominari. De exercitu autem C. Cæsaris ita censeo decernendum: Senatui placere, militibus ueteranis, qui Cæsaris Pontificis, autoritatémq; huius ordinis defenderint atque defendant, his, liberísque eorum militiæ uacationem esse: utiq; C. Pansa, A. Hirtius Cõsules alter, ambóue cognoscerẽt, qui ager colonus esset, quo milites ueterani deducti essent, qui cõtra legem Iuliam possideretur, ut is militibus ueteranis diuideretur.

tur: de agro Campano ſeparatim cognoſcerent, inirentq3 rationem de commodis militum ueteranorum augendis: legionibq3 Martiæ, & legioni Quartæ, & iis militibus qui de legione Secunda, Trigeſimaquinta, ad C. Panſam, A. Hircium Conſules ueniſſent, ſuáq3 nomina dediſſent: quòd iis Senatus populiq3 Ro. libertas chariſſima ſit, & fuerit, uacationem militiæ ipſis, liberisq3 eorum eſſe placere extra tumultum Gallicum, Italicumq3: eásq3 legiones bello confecto miſſas fieri placere: quantámque pecuniam militibus earum legionum in ſingulos C. Cæſar Pontifex Prorætor pollicitus ſit, tantam dari placere: utiq3 C. Panſa, A. Hircius Conſules alter, ambóue rationem agri habeant, qui ſine iniuria priuatorum diuidi poſſit: ísq3 militibus legionis Martiæ, & legionis Quartæ ita daretur, aſſignaretur, ut quibus militibus ampliſſimè dati, aſſignati eſſent. Dixi ad ea omnia Conſules, de quibus retuliſtis: quæ ſi ſint ſine mora maturéque decreta, facilius apparabitis ea, quæ tempus & neceſſitas flagitat. celeritate autem opus eſt: qua ſi eſſemus uſi, bellum, ut ſæpe dixi, nullum haberemus.

IN M. ANTONIVM AD QVIRITES, PHILIPPICA SEXTA.

ORATIO XLIX.

AVDITA[a] *uobis eſſe arbitror Quirit. quæ ſint acta in Senatu, quæ fuerit cuiuſque ſententia. res enim ex Cal. Ian. agitata, paulò antè cõfecta eſt:*[b] *minus quidem illa ſeuerè quã decuit, nõ tamen omnino diſſolutè: mora eſt allata bello, nõ cauſa ſublata.*[c] *Quamobrem*

a Incipit à propoſitione, vt dociles & attentos reddat, ſtatim ab ipſa re incipit.

b Obiter reprehendit & temperat rationem, ne offendat ſenatũ.

c Per narrationẽ rerũ explicatur.

a Tribunus plebs commendat personam, quod ad beneuolentiam pertinet.

obrem quod quæsiuit à me[a] P. Apuleius homo & multis officijs mihi, & summa familiaritate cõiunctus, & uobis amicissimus, ita respõdebo, ut ea quibus non interfuistis, nosse possitis. [c] Causa fortissimis optimisq; Consulibus Cal. Ian. de Rep. primùm referẽdi fuit ex eo quod XIII. Cal. Ian. Senatus me autore decreuit. [c] eo die primùm Quir. fundamenta iacta sunt Reip. Fuit enim longo interuallo ita liber Senatus, ut uos aliquando liberi essetis. Quo quidẽ tempore, etiãsi ille dies uitæ finem mihi allaturus esset, satis magnũ ceperã fructũ, cùm uos uniuersi una mente, atq; uoce iterũ à me conseruatam esse Remp. conclamastis. Hoc uestro iudicio tanto tamq; præclaro excitatus, ita Cal. Ian. ueni in Senatũ, ut meminissem, quam personam impositam à uobis sustinerẽ. Itaq; bellũ nefarium illatũ Reip. cùm uiderẽ, nullam moram interponendam insequendi M. Antoniũ putaui: hominemq; audacissimũ, qui multis nefarijs rebus antè cõmissis, hoc tẽpore Imperatorẽ pop. Ro. oppugnaret, coloniã uestram fidissimam fortissimamq; obsideret, bello censui persequendum: tumultũ esse decerni, iustitium* edici, sagas sumi dixi placere: quo omnes acrius grauiusq; incũberent ad ulciscẽdas Reip. iniurias, si omnia grauissimi belli insignia suscepta à Senatu uiderent. Itaq; hæc sententia sic per triduum ualuit, ut quanquã discessio facta nõ esset, tamen præterpaucos, omnes mihi assensuri uiderentur. Hodierno autem die, nescio qua obiecta re, remissior Senatus fuit. [d] non plures eam sententiam secuti sunt, ut quantum Senatus autoritas, uesterq; cõsensus apud Antonium ualiturus esset, per Legatos experiremur. Intelligo Quir. à uobis hanc sententiam repudiari: neque iniuria. Ad quẽ enim Legatos? ad eúmne, qui pecunia publica dissipata atq; effusa, per uim, & cõtra auspicia impo-

*indici

d Declarat quæ fuerit sententia aduersariorum.

posit

positis populo Romano legibus, fugata concione, obsesso Senatu, ad opprimendã Rempub. Brũdusio legiones accersierit? ab his relictus, cum latronum manu in Galliam irruperit? Brutum oppugnet? Mutinã circunsedeat? quæ nobis potest cum hoc gladiatore conditionis, æquitatis, legationis esse cõmunitas?[a] *Quanquam Quir. non est illa legatio: sed denuntiatio belli. nisi paruerit. Ita enim est decretum, ut si legati ad Annibalem mitterentur. Mittuntur enim qui nuntiẽt ne oppugnet Cõsulem designatum, ne Mutinam obsideat, ne prouinciam depopuletur, ne delectus habeat, sit in Senatus populiq3 Ro. potestate.*[b] *Facilè uerò huic denuntiationi parebit, ut in Patrum conscriptorum, atq3 in uestra potestate sit, qui in sua nunquam fuerit?*[c] *Quid enim ille unquam arbitrio suo fecit, semper eò tractus, quò libido rapuit, quò lenitas, quò furor, quò uiolentia? semper eum duo dissimilia genera, lenonum & latronum, ita domesticis stupris, forẽsibus parricidijs delectarunt, ut mulieri citius auariss-imæ paruerit, quàm Senatui populoq3 Romano.*[d] *Itaque, quod paulò antè feci in Senatu, faciam apud uos, testificor, denuntio, antè prædico, nihil M. Antonium eorum quæ sunt legatis mandata, facturum, uastaturum agros, Mutinam obsessurum, delectus, quà possit, habiturum.*[e] *Is est enim ille, qui semper Senatus iudicium & autoritatem, semper uoluntatem uestram potestatemq3 contempserit. An ille id faciat, quod paulò antè decretum est? ut exercitum circa flumen Rubiconem, qui finis est Galliæ, educeret, dum ne proprius urbem Romam* CC. *mil. admoueret? huic denuntiationi ille pareat? ille se fluuio Rubicone* CC. *mil. circumscriptũ esse patiatur? non is est Antonius. nam si esset, non commisisset, ut ei Senatus, tanquã Annibali initio belli Punici,*

a Nunc corrigit & mitigat.

b Exponit legationem, & negat eum pariturũ esse, ex minori.

c Probat hanc rẽ ex vita Antonii. Probatio argumenti ex moribus Antonii.

* *latronum tenuerunt: ita domesticis stupris, forensibus parricidiis delectatur, ut, &c.*

d Cõfirmat coniecturã suã prædictione & ex moribus Antonii, legationi nõ pariturum esse: ergo causam belli integram esse.

e Ex antefactis vel adiunctis.

denũtiaret, ne oppugnaret Saguntũ. Quòd uerò ita auocatur à Mutina, ut ab urbe tanquam pestifera flamma arceatur, quam habet ignominiã? quod iudiciũ Senatus?

a Transit ad cætera explicanda.

[a] quid? quòd à Senatu dantur mandata Legatis, ut D. Brutũ, milites q3 eius adeãt, ijs q3 demonstrent sua in Rẽp. merita, beneficiáq3 eorũ grata esse Senatui populó q3 Ro. eísq3 eam rem magnæ laudi, magnóq3 honori fore? passurúmne cẽ setis Antoniũ intreire Mutinã Legatos? exire inde tutò? nunquã patietur, mihi credite. noui uiolentiã, noui impudentiã, noui audaciã. [c] Nec uerò de illo, sicut de homine aliquo debemus, sed ut de importunissima bellua cogitare. Quæ cùm ita sint, nõ omnino dissolutum est, quod decreuit Senatus. habet atrocitatis aliquid legatio: utinam nihil haberet moræ. nam cùm pleriq3 in rebus gerendis tarditas, & procrastinatio odiosa est: tum hoc bellum indiget celeritatis. succurrendũ est D. Bruto: omnes undiq3 copiæ colligendæ: horã* exhibere nullã in tali ciue liberando sine scelere non possumus. [d] An ille nõ potuit, si Antoniũ Consulẽ, si Galliã Antonij prouinciã iudicasset, legiones Antonio, & prouinciam tradere? domum redire? triumphare? primus in hoc ordine esse, quoad magistratũ iniret? quid negotij fuit? [e] sed cùm se Brutũ esse meminisset, uestræq3 libertati natũ: quid egit aliud, nisi ut penè corpore suo Gallia prohiberet Antonium? Ad hunc utrum legatos, an legiones ire oportebat? [f] Sed præterita omittamus. properent, quod uideo esse facturos. uos saga parate. est enim ita decretum, ut si ille autoritati Senatus non paruisset, ad saga iretur. ibitur: non parebit: nos amissos tot dies rei gerendæ queremur. [g] Non metuo Qu. ne cùm audierit Antonius, me hoc in Senatu, & in concione confirmasse, nunquã illum futurum in Senatus potestate, refellendi mei causa, ut ego nihil uidisse uide

b Iterũ hoc probat ex moribus Antonii.

c Epiphonema quo cõfirmat ea quæ dixit de Antonio.

*In uulgatis exẽplaribus legitur, eximere ullam.

d Delabitur ad laudes Bruti, amplificandi causa.

e ἀντίθεσις potuit facere, sed non fecit.

f Abrumpit hũc locum.

g Occupat dubitationẽ & remouet.

ſe uidear, uertat ſe, Senatui pareat: nunquã faciet: non inuidebit huic meæ gloriæ: malet me ſapientem à uobis, quàm ſe modeſtũ exiſtimari. [a] *quid ipſe ſi uelit, nũ etiam L. fratrem paſſurum arbitramur? nuper quidem dicitur ad Tybur, ut opinor, cũ ei labare M. Antonius uideretur, mortẽ fratri eſſe minitatus. Etiámne ab hoc Myrmillone Aſiatico Senatus mãdata, Legatorũ uerba audientur? nec enim ſecerni à fratre poterit, tãta præſertim autoritate.* [b] *nã hic inter illos Africanus eſt, pluris habetur, quã L. Trebellius, pluris quàm* [c] *T. Plãcius adoleſcẽs nobilis: qui omnibus ſentẽtijs maximo ueſtro plauſu condemnatus, neſcio quomodo ſe coniecit* * *in turbã, atq; ita mœſtus rediit, ut retractus, nõ reuerſus uideretur: ſic contemnit, tanquã ſi illi aqua, & igni interdictũ ſit. aliquãdo negat ei locũ eſſe oportere in curia, qui incenderit curiã. Nã Trebellium ualde iã diligit: oderat tũ, cùm ille tabulis nouis aduerſabatur: iam fert in oculis, poſtquam ipſum Trebellium uidit ſine tabulis nouis ſaluum eſſe non poſſe. audiſſe enim uos arbitror Qu. quod etiam uidere potuiſtis, quotidie ſpõſores & creditores L. Trebellij cõuenire. O fides (hinc enim puto Trebellium ſumpſiſſe cognomen) quæ poteſt eſſe maior fides, quàm fraudare creditores? domo profugere? propter æs alienũ uenire ad arma? ubi plauſus ille in triũpho eſt ſpe ludi? ubi Aedilitas delata ſummo ſtudio bonorũ? quis eſt, qui* [d] *hunc non caſu exiſtimet rectè feciſſe? nequitia eſt, ſcelus eſt.* [e] *Sed redeo ad amores, deliciasq;* * *noſtras L. Antoniũ, qui uos omnes in fidem ſuam* [f] *recepit: negatis? num quiſpiam eſt ueſtrum, qui tribum non habeat? certe nemo. atqui illum quinq; & triginta tribus patronum adoptarũt. rurſus reclamatis? Aſpicite à ſiniſtra illam Equeſtrẽ ſtatuã inauratam: in qua quid inſcriptum eſt? QVINQVE ET*

a Aliud profert ex perſona fratris ſui.

b Delabitur ad inſectationem L. Antonii.

c Is propter æs alienum condemnatus, ad Antonium redierat, cũ eũ antè reliquiſſet: ſed Cicero mirè fingit eum inuitum rediiſſe, quaſi & ipſe damnauerit Antonium.

* *in urbem*

d L. Trebelliũ. Significat Trebellium caſu rectè tum feciſſe, non ſponte ſua & uolũtate: quare laudandus non eſt.

e εἰρωνικῶς loquitur cũ quadam exprobratione.

* *ueſtras*

f Hîc reclamabat populus. Colligit ſyllogiſmis, deeſt concluſio. Interrogat & reſpõdet affirmandi cauſa.

TRIGINTA TRIBVS PATRONO POPVLI RO.[a] *Igitur est patronus*[b] *L. Antonius, malã quidem illi pestem. Clamori enim uestro assentior.*[c] *non modò hic latro: quem clientẽ habere nemo uelit. Sed quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi Ro. uictoris dominiq; omnium gentiũ, tutorem dicere auderet? in foro L. Antonij statuam uidemus, sicut illam Q. Trebellij qui Hernicos deuicit, ante Castoris. O impudentiam incredibilẽ. tantúmne sibi sumpsit, quia* Milasis Myrmillo Thracem iugulauit familiarem suum? quónam modo istum facere possemus, si in hoc foro stantibus nobis depugnasset? Sed hæc una statua. altera ab Equitibus Ro.*equo publico: qui item ascribunt, Patrono. quẽ unquã iste ordo patronũ adoptauit? si quẽ quã, debuit me. sed me omitto: quẽ Censorẽ? quem Imperatorem? agrũ his diuisit. O sordidos, qui acceperunt: improbum, qui dederit. Statuerũt etiã Tribuni militares,* qui in exercitu Cæsaris duo bis fuerunt. Quis est iste ordo? multi fuerũt multis in legionibus per tot annos: his quoq; diuisit Semuriũ. Cãpus Martius restabat, nisi prius cũ fratre fugisset. Sed hæc agrorum assignatio paulo antè Quirites, L. Cæsaris clarissimi uiri & præstantissimi Senatoris sententia dissoluta est. huic enim assensi, Septemuirûm acta sustulimus. Iacent beneficia Nuculæ, friget patronus Antonius. nam possessores animo æquiore discedent: nullam impensam fecerant: nondum instruxerant, partim quia non cõfidebant, partim quia non habebant.*[d] *Sed illa statua palmaris, de qua, si meliora tempora essent, non possem sine risu dicere:** L. ANTONIO, IANO MEDIO PATRONO. *Itáne Ianus Medius in L. Antonij clientela sit? quis unquam in illo Iano inuẽtus est, qui L. Antonio mille nũmûm ferret expẽsũ? Sed*

a Iam infert cõclusionem.

b Rursus reclamabat populus.

c Vide figuram orationis in qua cum enumeratione inceperit, mox vertit in interrogationẽ, & permutat ordinem. Nam rectũ & simplex erat, nemo vnquã tantus fuit, vt dignus esset patronus Pop. Romani, nedum hic latro.

*Trallibus Myr.

*Videnum legendũ, in equo publico.

*qui in exercitib⁹ Cæsaris duobus fuerunt.

d Redit ad statuã cuius antè meminit, & palmarem ironicôs vocat, quasi triumphalem & palma dignam.

*Legẽdum uidetur L. Anto. Iani Medij patronos ex loco sequentis Philippicæ.

[a] Sed nimis multa de nugis: ad causam bellúmq; redeamus: [b] quanquàm non alienũ fuit personas quasdã à uobis recognosci: ut quibuscum bellum gereretur, possitis taciti cogitare. Ego autẽ uos hortor Quir. ut etiãsi melius aliud fuit, tamen Legatorum reditum expectetis animo æquo. Celeritas detracta de causa est, bonitamẽ aliquid accessit ad causam. Cùm enim Legati renũtiarint, quòd certè renuntiabunt, non in uestra potestate, non in Senatus esse Antonium, quis erit tam improbus ciuis, qui illũ ciuem habendum putet? nunc enim sunt pauci illi quidẽ, sed tamen plures quàm Rep. dignum est, qui ita loquantur, Ne Legatos quidem expectabimus? Istam certè uocem, simulationémq; clementiæ, extorquebit his res ipsa publica. Quò etiam, ut confitear uobis Quir. minus hodierno die contendi, minus laborani, ut mihi Senatus assentiens tumultum decerneret, saga sumi iuberet, malui uiginti diebus pòst sententiam meam laudari ab omnibus, quàm à paucis hodie uituperari. Quapropter Quirit. expectate Legatorum reditum, & paucorum dierum molestiam deuorate. qui cùm redierint, si pacem afferẽt, *cupidum me: si bellum, prouidum iudicatote. [c] Anego non prouideam meis ciuibus? non dies noctésq; de uestra libertate, de Reip. salute cogitem? Quid enim non debeo uobis Quirites, quem uos à se ortum, hominibus nobilissimis omnibus honoribus prætulistis? an ingratus sum? quis minus? qui partis honoribus, eosdem gessi in foro labores, quos in petendis, rudis in Republica? quis exercitatior? qui uiginti iam annos bellum gerã cum improbis ciuibus? Quamobrem Quirites consilio, quantum potero, labore plus penè quàm potero, excubabo, uigilabóque pro uobis. Etenim quis est ciuis, præsertim hoc gradu, quo me uos esse uoluistis, tam oblitus beneficij uestri

a Redit ad institutum, & hortatur populum vt ad bellum certũ paratus sit.

b Reddit obiter rationem cur has personas descripserit.

*Stupidum me, legẽdũ uidetur.

c Occurrit Inuidiæ verbi, & cõmendat vigilantiã suam in Rep. atq; eo ipso confirmat animos populi ad bellũ capessendum.

ſtri, tam immemor patriæ, tã inimicus dignitati ſuæ quẽ non excitet, non inflammet tantus ueſter iſte conſenſus? multas magnáſq; habui Conſul conciones, multis interfui: nullam unquam uidi tantã, quanta nunc ueſtra eſt. [a] *unum ſentitis omnes, unum ſtudetis, M. Antonij conatum auertere à Rep. furorem extinguere, opprimere audaciã. idem uolunt omnes ordines: eôdem incumbunt municipia, coloniæ, cuncta Italia. Itaq; Senatũ ſua ſponte bene firmum, firmiorem ueſtra autoritate feciſtis.* [b] *uenit tempus Quirit. ſerius omnino, quàm dignũ Pop. Ro. fuit: ſed tamen ita maturum, ut differri iam hora non poſſit. fuit aliquis fatalis caſus, ut ita dicam: quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit. nunc ſi quis erit, erit uoluntarius. populum Ro. ſeruire fas non eſt, quem dij immortales omnibus gentibus imperare uoluerunt. res in extremum eſt adducta diſcrimen: de libertate decernitur: aut uincatis oportet Quir. quod profectò & pietate ueſtra, & tãta concordia cõſequemini: aut quiduis potius quàm ſeruiatis. Aliæ nationes ſeruitutem pati poſſunt,* [c] *populi Romani eſt propria libertas.*

a Loci deliberatiui in adhortando.

b Poſtremo loco ponit adhortationẽ, ab honeſto.

c Epiphonema.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA SEPTIMA.

ORATIO I.

PARVIS de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis conſulimus P. C. de Appia uia, & de Moneta Conſul, de Lupercis Trib. pleb. refert. quarũ rerũ etſi facilis explicatio uidetur, tamen animus aberrat à ſentẽtia, ſuſpenſus curis maioribus. Adducta eſt enim

P. C. res

P.C.res in maximũ periculum, & extremũ pene discrimen. [a] Nõ sine causa Legatorũ istam missionem semper timui, nunquam probaui: quorũ reditus quid sit allaturus, ignoro: expectatio quidem quantũ afferat languoris animis, quis non uidet? non enim se tenent ij, qui Senatũ dolẽt ad autoritatis pristinæ spem reuiuiscere, coniunctũ huic ordini Po.Ro. conspirantẽ Italiam, paratos exercitus, expeditos duces. iam nunc fingunt Antonij responsa, eadémque defendunt. [b] alij, postulare illum, ut omnes exercitus dimittantur, scilicet Legatos ad eũ misimus, non ut parêret, & dicto audiens esset huic ordini, sed ut conditiones ferret, leges imponeret, reserare nos exteris gẽtibus Italiã iuberet: se præsertim incolumi, à quo maius periculum, quàm ab ullis nationibus extimescendum est. alij remittere eum nobis Galliam citeriorem, illã ultimam postulare. præclarè: ex qua non legiones solùm, sed etiam nationes ad urbem conetur adducere. alij, nihil eũ iam nisi modesti postulare. Macedoniam suam uocat omnino: quoniam C. frater est inde reuocatus. [c] Sed quæ prouincia est, ex qua illa fax excitare non posset incendium? Itaque iidem quasi prouidi ciues, & Senatores diligentes, bellicum me cecinisse dicunt. Suscipiunt partis patrocinium, qui sic disputant, Irritari Antonium non oportuit: nequam est homo ille, atque confidens. multi præterea improbi (quos quidem à se primùm numerare possunt, qui hæc loquuntur) eos cauẽdos esse denuntiant. [d] utrum igitur in nefariis ciuibus ulciscendis, cùm possis, an pertimescendis diligentior est cautio? [e] Atque hæc illi loquuntur, qui quondam propter leuitatem populares appellabantur. ex quo intelligi potest, animo illos abhorruisse semper ab optimo ciuitatis statu, non uoluntate fuisse populares. quî enim conuenit, ut qui in rebus

a Queritur de legatione, & accusat eos qui fauebant Antonio, inter quos erat L. Piso vir consularis.

b Explanat quæ responsa fingãt.

c Negat omnino illã prouinciam Antonio concedendam esse.

d Reprehensio per inuersionem. Non sunt legendi poetæ quia vitia docẽt: imò legendi quia cognitis vitiis nobis cauere possumus. Ita hoc loco est inuersio.

e Notat Pisonẽ consularem.

improbis populares fuerint, iidẽ in re una maximè populari, q̃ eadem salutaris Po. Ro. sit, improbos se, quàm populares esse malint? me quidem semper (ut scitis) aduersatũ multitudinis temeritati, hæc fecit præclarissima causa popularem. Et quidẽ dicuntur, uel potius iidẽ ipsi se dicunt Consulares: quo nomine dignus est nemo, nisi qui tãti honoris nomẽ potest sustinere. [b] *Faueas tu hosti? literas tibi ille mittat de sua spe rerum secundarum? eas tu lætus proferas? recites? describẽdas etiam des improbis ciuibus?* * *augeas eorum animos? bonorum spem, uirtutémque debilites? & te Consularem, aut Senatorem, aut denig3 ciuem putes?* [c] *Accipiet in optimã partem C. Pansa fortissimus Consul, atq3 optimus: etenim dicam animo audacissimo, hunc ipsum mihi hominem familiarissimũ, nisi talis Consul esset, ut omnes uigilias, curas, cogitationes in Reip. salute configeret, Consulem non putarem. quanquàm nos ab ineunte illius ætate usus, consuetudo, studiorum etiam honestissimorum societas similitudóq3 coniunxit: eiusdémq3 curam incredibilem in asperrimis belli ciuilis periculis* * *perspexi non modò salutis, sed etiã dignitatis meæ: tamen eundem, ut dixi, nisi talis Consul esset, negare esse Consulem auderem. idem non modò Consulem esse dico, sed etiam memoria mea præstantissimum atq3 optimum Consulem, non quia non pari uirtute & uoluntate alij fuerint, sed tantam causam non habuerunt, in qua & uirtutem & uolũtatem suam declararent. Huius magnitudini animi, grauitati, sapientiæ, tempestas est oblata formidolosissimi temporis. tum autem illustratur Consulatus, cum gubernat Rẽp. si non optabili, at necessario tempore. magis autem necessariũ P. C. nullum tẽpus unquam fuit.* [d] *Itaq3 ego ille, qui semper pacis autor fui, cuique pax præsertim ciuilis, quan-*

a Dissimile exẽplum ex sua persona.

b Amplificat à persona.

*eorũ furorem augeas

c Auget rem cõparatione, & simul tacitè probat Pisonem consulari nomine indignum esse.

*nide an legendũ, perspexerim

d Nunc parat dicere de bello, & pacẽ omnẽ cum Antonio dissuadere.

quam

quam omnibus bonis, mihi tamen in primis fuit optabilis: omne enim curriculum industriæ nostræ in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis, elaboratum est: hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consecuti sumus: ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus, qui quantuscunq; sum (nihil enim mihi arrogo) sine pace ciuili certè non fuissem (periculosè dico: quemadmodum accepturi P.C. sitis, horreo: sed pro mea perpetua cupiditate uestræ dignitatis retinẽdæ & augendæ, quæso oróq; uos P.C. ut primò si erit uel acerbũ auditu, uel incredibile à M. Cicerone esse dictũ, accipiatis sine offensione quod dixero: néue id prius quàm quale sit explicauero, repudietis.) Ego ille (dicã sæpius) pacis semper laudator, semper autor, [a] *pacem cum M. Antonio esse nolo. magna spe ingredior in reliquam orationem P.C. quoniam periculosissimum locum silentio sum præteruectus. Cur igitur pacem nolo?* [b] *quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. quæ tria dum explico, peto à uobis P.C. ut eadem benignitate, qua soletis, uerba mea audiatis. Quid est inconstantia, mobilitate, leuitate, cũ singulis hominibus, tum uerò uniuerso Senatui, turpius? quid porrò incõstantius, quàm quẽ modò hostem non uerbo, sed re multis decretis iudicauistis, cum hoc subitò pace uelle coniungi?* [c] *quasi uero, cùm C. Cæsari meritos quidem illi honores & debitos, sed tamen singulares & immortales decreuistis unam ob causam, quòd contra M. Antoniũ exercitum cõparauisset, non hostẽ Antoniũ iudicaueritis: nec tum hostis est à uobis iudicatus Antonius, cùm laudati sunt autoritaté uestra ueterani milites, qui Cæsarẽ secuti essent? nec tum hostem Antoniũ iudicauistis, cùm fortissimis legionibus, quòd illũ qui Consul appellabatur, cum esset*

a Hæc est propositio.

b Partitur disputationem in tria.

c Vtitur ironia vt acriùs vrgeat.

esset hostis, reliquissent, uacationes, pecunias, agros spopondistis? quid? [a] cùm Brutũ* omen quoddam illius generis & nominis natum ad Remp. liberandam, exercitúmq; eius pro libertate Pop. Ro. bellum gerentem cum Antonio, prouinciámq; fidelissimam, atq; optimã [b] Galliam laudibus amplissimis affeciſtis, tum non hostem iudicastis Antonium? quid? cùm decreuistis ut COS. alter, ambóue ad bellũ proficiscerentur: quod erat bellum, si hostis Antonius non erat? Quò igitur profectus est uir fortissimus meus collega & familiaris A. Hirtius COS? at qua imbecillitate? qua macie? sed animi uires corporis infirmitas nõ retardauit. æquum credo putauit, uitam, quam Po. Ro. uotis retinuisset, pro libertate Pop. R. in discrimen adducere. Quid? cùm delectus haberi tota Italia iussistis, cũ uacationes omnes sustuliſtis, tum ille hostis nõ est iudicatus? armorum officinas in urbe uidetis, milites cum gladiis *sequuntur. Consuli præsidio sunt specie Consuli, re & ueritate nobis: omnes sine ulla recusatione, summo etiam cum studio nomina dant: parent autoritati uestræ: non est iudicatus hostis Antonius? [c] At legatos misimus. [d] heu me miserum, cur Senatum cogor, quem laudaui semper, reprehẽdere? quid uos censetis P.C. Legatorum missionem Po. Ro. probauisse? non intelligitis, non auditis meam sententiam flagitari? cui cùm pridie frequentes essetis assensi, postridie ad spem estis inanem pacis deuoluti. Quàm turpe porrò est legiones ad Senatum legatos mittere, Senatũ ad Antonium? quanquam illa Legatio non est: denuntiatio est, paratum illi exitium, nisi paruerit huic ordini. quid refert? tamen opinio est grauior. missos enim Legatos omnes uident: decreti uestri non omnes uerba nouerũt. [e] Retinenda est igitur uobis cõstantia, grauitas, perseuerantia. repetenda est

a De Octauio dixit, nunc de Bruto loquitur, qui Reges expulit: ut est apud Liuium.

*omine quodam

b Cisalpinam.

*sequuntur Consulem: præsidio sãt specie, &c.

c Occurrit offensioni.

d Legatos ad Antonii missos reprehendit, & hoc se inuito factum fuisse dicit.

e Conclusio.

est uetus illa seueritas: [a] si quidem autoritas Senatus, decus, honestatem, laudem, dignitatem desiderat: quibus hic ordo nimium caruit diu. sed erat tunc excussatio oppressis, misera illa quidem, sed tamen iusta. *nunc nulla est. liberati tum regio dominatu uidebamur. armis domesticis ea ipsa depulimus. nunc quidem ui extorquenda sunt. quod si non possumus facere (dicam, quod dignum est Senatore, & Romano homine) moriamur. [b] quanta illa erit Reip. turpitudo, quãtum dedecus, quanta labes, dicere in hoc ordine sententiam M. Antonium Consulari loco? cuius ut omittam innumerabilia scelera urbani Consulatus, in quo pecuniã publicam maximam dissipauit, exules sine lege restituit, uectigalia uendidit, prouincias de Po. Ro. imperio sustulit, regna addixit pecunia, leges ciuitati per uim imposuit, armis obsedit, aut excluſit Senatum: ut hæc, inquam, omittam, ne hoc quidem cogitatis, eum, qui Mutinam coloniã Pop. Rom. & Consulem designatum obsederit, depopulatus agros sit, hunc in eum ordinem recipi, à quo toties ob has ipsas causas hostis iudicatus sit, quàm fœdum, flagitiosúmq; sit, uidetis. Satis multa de turpitudine. [c] Dicã deinceps, ut proposui, de periculo: quod si minus est fugiẽdum, quàm turpitudo: tamen offendit animos maioris partis hominũ magis. Poteritis igitur exploratã habere pacem, cùm in ciuitate Antoniũ uideatis, uel potius Antonios? nisi fortè contemnitis Luciũ. ego ne Caium quidẽ, sed, ut uideo, dominabitur Lucius. est enim patronus XXXV. tribuum, quarũ sua lege, qua cum C. Cæsare magistratũ partitus est, suffragiũ sustulit: patronus * Centuriatum equitum, quas idem sine suffragio esse uoluit: patronus eorum qui Tribuni militares fuerunt: patronus Iani medij. ô dij quis huius potẽtiã poterit sustinere? præsertim cùm eosdẽ,

a Amplificatio ex tempore recuperandæ libertatis.

*uera lectio sic habet, nũc nulla est liberatis iã regio dominatu. urgebamur armis domesticis: ea ipsa depulimus.

b Profert indignitatem futuri temporis, si in urbem recipiatur Antonius, & breuiter ex uita illius amplificat.

c Trãsit ad secundum caput, & periculum colligit ex potẽtia & scelere trium Antoniorum.

*Cẽturiarum

in agros

in agros etiã deduxerit. Quis unquam omnes tribus? quis Equites Romanos? quis Tribunos militares? Gracchorum potentiam maiorẽ fuisse arbitramini, quàm huius gladiatoris futura sit? quem gladiatorem non ita appellaui, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed ut appellant ij qui planè & Latinè loquuntur. Myrmillo in Asia depugnauit: cùm ornasset Thraciditis comitẽ & familiarẽ suum, illum miserum fugientem iugulauit: luculẽtam tamen ipse plagam accepit, ut declarat cicatrix. [a] *qui familiarem iugularit, quid hic occasione data faciet inimico? & q. illud animi causa fecerit, hunc præda causa quid facturum putatis? non rursus improbos decuriabit? non solicitabit rursus agrarios? non quæret expulsos? M. uerò Antonius non is erit ad quem omni motu concursus fiat ciuium perditorum? ut nemo sit alius, nisi ij qui unà sunt, & ij qui hîc ei nunc apertè fauent, parúmne erunt multi? præsertim* * *cùm bonorum præsidio cesserint, illi parati sint ad nutum futuri?* [b] *Ego uerò metuo, si hoc tempore consilio lapsi erimus, ne illi breui tempore nimis multi nobis esse uideãtur. Nec ego pacem nolo: sed pacis nomine bellum inuolutũ reformido. quare si pace frui uolumus, bellum gerendum est: si bellum omittemus, pace nunquam fruemur.* [c] *Est autẽ uestri consilii Patres conscripti, in posterum quàm lõgissimè prouidere. idcirco in hac custodia, tanquam in specula, collocati sumus, ut uacuũ metu Po. Ro. nostra uigilia & prouidentia redderemus. Turpe est summo cõsilio orbis terræ, præsertim in re tam perspicua, consilium intelligendi defuisse. Eos Consules habemus, eam Pop. Ro. alacritatẽ, eum consensum Italiæ, eos duces, eos exercitus, ut nullam calamitatẽ Resp. accipere possit sine culpa Senatus. Equidem non deero, monebo, præ*

a Vituperauit Antonium: hanc uituperationẽ nũc accommodat ad causam.

* cùm boni iã præsidiis cesserint.

b ἐπιφώνημα ad asseuerationẽ.

c Cõuertitur ad hortationem.

bo, prædicabo, denuntiabo, & teſtabor ſemper deos homi-
nésq3, quid ſentiã: nec ſolùm fidem meam, quod fortaſſe
uidetur ſatis eſſe, ſed in principe ciue nõ eſt ſatis, curam,
conſilium, uigilantiámq3 præſtabo. Dixi de periculo. do-
cebo ne coagmentari quidem poſſe pacẽ. de tribus enim
quæ propoſui, hoc extremum eſt. Quæ poteſt eſſe pax
M. Antonio primùm cum Senatu? quo ore ille uos pote-
rit, quibus uicisſim uos illũ oculis intueri? quis ueſtrum
illum, quem ille ueſtrum non oderit? age, uos ille ſolùm,
& uos illum? quid? ij qui Mutinam circunſedent, qui
in Gallia delectus habent, qui in noſtras fortunas immi-
nent, amici nobis unquam erunt, aut nos illis? an Equi-
tes Romanos amplectetur? occulta enim fuit eorum uo-
luntas iudiciúmque de M. Antonio? qui frequentiſſimi
in gradibus Concordiæ ſteterunt, qui uos ad libertatem
recuperandam incitauerunt, arma, ſaga, bellum flagi-
tauerunt, me unà cùm Pop. Rom. in concionem uoca-
uerunt. hi Antonium diligent? cum his pacem ſeruabit
Antonius? Nam quid ego de uniuerſo Po. Rom. dicam?
qui pleno ac referto foro, bis me una mente, atq3 uoce in
concionem uocauit, [a] *declarauítque maximam liberta-*
tis recuperandæ cupiditatem. Itaque quod erat optabile
anteà, ut Po. Ro. comitẽ haberemus, nunc habemus du-
cem. Quæ eſt igitur ſpes, qui Mutinã circunſedent Im-
peratorẽ Po. Ro. exercitúmq3 oppugnantes, pacem cum
Po. Ro. habere poſſe? An cum municipiis pax erit, quo-
rum tanta ſtudia cognoſcuntur in decretis faciendis, mi-
litibus dandis, pecuniis pollicendis, ut in ſingulis oppidis
curiam Po. Ro. non deſideretis? Laudãdi ſunt ex huius
ordinis ſententia ★ *Firmani, qui principes pecuniæ polli-*
cendæ fuerũt: reſpondendum honorificè eſt Marrucinis,
qui ignominia notandos cẽſuerunt eos qui militiã ſub-

[a] Acclamatione ſcilicet.

★ *Firmiani uel, Formiani: à Formiis municipio*

terfuge

terfugissent. hæc iam tota Italia fiunt, magna pax Antonio cum eisdem, [a] his cum illo? [b] quæ potest maior esse discordia? in discordia autem pax ciuilis ullo pacto esse potest? ut omittam multitudinem: L. Nasidio Equiti Ro. homini in primis ornato, atque honesto, ciuiq3 semper egregio, cuius ego excubias & custodias mei capitis cognoui in Consulatu meo: qui uicinos suos non cohortatus est solùm, ut milites fierent, sed etiam facultatibus suis subleuauit: huic inquam tali uiro, quem nos Senatus consulto collaudarimus, poteritne esse pacatus Antonius? quid Cæsari? qui illum urbe: quid D. Bruto, qui Gallia prohibuit? [c] Iam uerò ipse se placabit, & leniet prouinciæ Galliæ, à qua exclusus & repudiatus est? [d] omnia uiaebitis P. C. nisi prospicitis, plena odiorum, plena discordiarum, ex quibus oriuntur bella ciuilia. Nolite igitur id uelle, quod fieri non potest: & cauete per deos immortales P. C. ne spe præsentis pacis, perpetuam pacem amittatis. [e] Quorsum hæc omnis spectat oratio? quid enim legati egerint nondum scimus. at uerò erecti, excitati, parati, armati animis iam esse debemus, ne blanda, aut supplici oratione, aut æquitatis simulatione fallamur, omnia fecerit oportet, quæ interdicta, & denuntiata sunt, prius quàm aliquid postulet: Brutum, exercitúmq3 eius oppugnare, urbes, & agros prouinciæ Galliæ populari destiterit: ad Brutum adeundi Legatis potestatem fecerit exercitum citra flumen Rubiconem eduxerit, nec propius urbẽ millia passuum ducenta admouerit: fuerit in Senatus populiq3 Roma. potestate. hæc si fecerit, erit integra potestas nobis deliberandi: si Senatui non paruerit, non illi Senatus, sed ille Po. Ro. bellum indixerit. [f] Sed uos moneo P. C. libertas agitur Pop. Rom. quæ est commendata uobis: uita, & fortunæ optimi ciuisq3, quò cupidi

a Ironia.
b Per subiectionem infert.
c Ironia.
d Epiphonema quo concludit.
e Concludit & disputationẽ accõmodat ad scopum orationis.
f Hortatur Senatum & monet periculum cauendum esse.

cupiditatem infinitam cum immani crudelitate iampridem intendit Antonius: autoritas uestra, quam nullam habebitis, nisi nunc retinueritis. tetram & pestiferam belluam, ne inclusam, & constrictam dimittatis cauete. Te ipsum moneo Pansa (quanquam non eges consilio, quo uales plurimùm: tamen etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus à uectoribus admoneri solent) hunc tuum tantum apparatum, tamq; præclarum, ne ad nihilum recidere patiare. tẽpus habes tale, quale nemo habuit unquam: hac grauitate Senatus, hoc studio Equestris ordinis, hoc ardore Populi Romani potes in perpetuum Rempubli. metu, & periculo liberare.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA OCTAVA.

ORATIO LI.

[a] ONFVSIVS *hesterno die est acta res C. Pansa, quàm postulabat institutũ Cõsulatus tui. Parum mihi uisus es eos, quibus cedere non soles, sustinere. Nam cùm Senatus ea uirtus fuisset, quæ solet, & cũ re uiderẽt omnes esse bellum, quidámq; id uerbum remouendum arbitrarentur: tua uolũtas in discessione fuit ad lenitatem propensior. Victa igitur est propter asperitatẽ te autore nostra sentẽtia. uicit L. Cæsar amplissimus uir, qui uerbi atrocitate dempta, oratione fuit, quàm sentẽtia lenior.* [b] *Quanquam is quidẽ, antequam sententiã diceret, propinquitatẽ excusauit. Idem fecerat me Cõsule in sororis uiro, quod hoc tempore in sororis filio, ut & luctu sororis moueretur, & saluti Reipub. prouideret. Atq; ipse tamen*

a Incipit à reprehẽsione Pansæ & breuiter acta senatus repetit.

b Excusat L. Cæsarem vt cæteros accuset. Nam cæteri non possunt excusari quòd se quuti sint sententiam L. Cæsaris.

tamen Cæſar præcepit nobis quodammodo P. C. ne ſibi aſſentiremini, cùm ita dixit, aliam ſententiam ſe dicturum fuiſſe, eámq; ſe ac Rep. dignam, niſi propinquitate impediretur. [a] *Ergo ille auunculus. nũ etiã nos auunculi, qui illi aſſenſi eſtis?* [b] *At in quo fuit controuerſia? Belli nomen ponendum in ſententia quidam non putabant, tumultum appellare malebant,* [c] *ignari nõ modò rerum, ſed etiam uerborum.* [d] *poteſt enim eſſe bellum ſine tumultu, tumultus eſſe ſine bello non poteſt.* [e] *Quid enim eſt aliud tumultus, niſi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? unde etiam nomen ductum eſt tumultus.* [f] *Itaq; maiores noſtri, tumultũ Italicum, quòd erat domeſticus: tumultum Gallicũ, quòd erat Italiæ finitimus, prætereà nullum tumultũ nominabãt. Grauius autẽ eſſe tumultũ, quàm bellũ, hinc intelligi licet, quòd bello Gallico uacationes ualent, tumultu non ualent. Ita fit, quemadmodũ dixi, ut bellũ ſine tumultu poſſit, tumultus ſine bello eſſe non poſſit.* [g] *Etenim cùm inter bellũ, & pacem medium nihil ſit, neceſſe eſt tumultum ſi belli non ſit, pacis eſſe. quo quid abſurdius dici, aut exiſtimari poteſt?* [h] *Sed nimis multa de uerbo: rem potius uideamus P. C. quam quidem intelligo uerbo fieri interdum deteriorem ſolere. nolumus hoc bellum uideri. quam igitur municipiis & coloniis ad excludẽdum Antoniũ autoritatem damus? quàm ut milites fiant ſine ui, ſine tumultu, ſtudio, & uoluntate? quàm, ut pecunias in Rẽp. polliceantur? Si enim belli nomen tollitur, municipiorum ſtudia tolluntur: conſenſus Po. Ro. qui iam deſcẽdit in cauſam, ſi nos langueſcimus, debilitetur neceſſe eſt. Sed quid plura? D. Brutus oppugnatur: nõ eſt bellũ? Mutina obſidetur: ne hoc quidem bellũ eſt? Gallia uaſtatur: quæ poteſt pax eſſe certior? Illud uerò quis poteſt bellum eſſe dicere, quò fortiſſimum*

[a] I. Cæſar. Concludit.
[b] Proponit rem quam reprehendere inſtituit.
[c] Breuiter ponit diuiſionẽ, & nomine & re bellũ eſſe probat.
[d] Nunc ingreditur diſputationẽ: bellum eſt vt genus, tumultus vt ſpecies.
[e] Breuiter definit rem, vt confirmet.
[f] Confirmat exẽplis.
[g] Argumentatio per diuiſionẽ ex contrario.
[h] Tranſit ad rẽ: ſtatus, Sine bellum decretum.

uirum

*nirum cum exercitu miſimus? qui cùm eſſet infirmus ex graui diuturnóque morbo, nullam ſibi putauit excuſationẽ eſſe oportere, cùm ad Reip. præſidium uocaretur. C. quidem Cæſar non expectauit noſtra decreta, præſertim cùm eſſet illius ætatis: bellum contra Antonium ſua ſponte ſuſcepit. decernendi enim tempus nondum * nouerat: belli autem gerendi tẽpus ſi prætermiſiſſet, uidebat Rep. oppreſſa nihil poſſe decerni.* [a] *Ergo illi nunc, & eorum exercitus in pace uerſantur. non eſt hoſtis is, cuius præſidium Claterna deiecit Hircius: non eſt hoſtis, qui armatus Cõſulem deſignatum oppugnat: nec illa hoſtilia uerba, nec bellica, quæ paulò antè ex Collega literis Pan ſa recitauit,* DEIECI PRAESIDIVM: CLATERNA POTITVS SVM: FVGATI EQVITES: PRAELIVM COMMISSVM: OCCISI ALIQVOT. [b] *quæ pax poteſt eſſe maior? delectus tota Italia decreti ſublatis uacationibus: ſaga cras ſumentur: Conſul ſe cum præſidio deſcenſurum dixit.* [c] *Vtrum hoc bellum non eſt? an etiam tantum bellum, quantum nunquam fuit? Cæteris enim bellis, maximéq; ciuilibus, contentionem Reip. cauſa faciebat. Sylla cũ Sulpitio de iure legũ, quas per uim latas Sylla dicebat: Cinna cũ Octauio de nouorum ciuium ſuffragiis: rurſus cum Mario, & Carbone Sylla, ne dominarẽtur indigni, & ut clariſſimorum hominum crudeliſſimam puniretur necẽ. Horum omnium bellorum cauſæ ex Reip. contentione natæ ſunt. de proximo bello ciuili non libet dicere: ignoro cauſam: deteſtor exitũ. Hoc bellũ quintũ ciuile geritur: atq; omnia in noſtrã ætatem inciderunt, primùm nõ modò in diſſenſione, & diſcordia ciuiũ, ſed in maxima cõſenſione, incredibiliq; cõcordia. omnes idẽ uolunt, idẽ defendunt, idem ſentiunt. Cùm omnes dico, eos excipio, quos nemo*

* uenerat

a Ironicõs.

b Infert per ironiam: hæc omnia ſunt belli propria, & inſignia.

c Confirmat non ſolùm bellum eſſe, ſed maximũ.

a Profert causam huius belli cum amplificatione.

b Contra Antonium: Acerba enumeratione rem amplificat.

c Proprium nomen ex sociis Antonii.

d Conqueritur.

e Auersatio, abominatio, detestatio.

f Redit ad comparationem.

g ἀντίθεσις.

h Multiplicat ἀντίθεσιν.

i Reprehendit aduersarios & nominatim inuadit.

Q. Fusium consularem. Hæc est altera pars orationis.

ciuitate dignos putat.[a] *Quæ est igitur in medio*[b] *belli causa posita? nos deorũ immortalium tẽpla, nos muros, nos domicilia, sedésq; Po. Rom. penates, aras, focos, sepulcra maiorũ, nos leges, iudicia, libertatẽ, coniuges, liberos, patriam defendimus: contrà M. Antonius id molitur, id pugnat, ut hæc omnia perturbet, euertat, prædam Reipu. causam belli putet, fortunas nostras partim dissipet, partim dispartiat parricidis. In hac tã dispari ratione belli miserrimum illud est, quòd ille latronibus suis polliceatur primùm domos: urbẽ enim se diuisurũ confirmat: deinde omnibus portis, quò uelint, deducturũ omnes*[c] *Caphones, omnes Saxa, cæteraq; pestes, quæ sequuntur Antonium, ædes sibi optimas, hortos, Tusculana, Albana definiunt, atq; etiam homines agrestes, si homines sunt illi potius, quam pecudes, inani spe ad aquas usq; Puteolanas prouehuntur. Ergo habet Antonius quod suis polliceatur.*[d] *Quid nos? num quid tale habemus?*[e] *Dij meliora. id enim ipsum agimus, ne quis posthac eiusmodi quicquã possit polliceri. inuitus dico, sed dicendũ est. Hasta Cæsaris Patres conscripti multis improbis & spẽ affert, & audaciã. uiderunt enim ex mendicis fieri repẽtè diuites. itaq; hastam semper uidere cupiunt ij qui nostris bonis imminẽt: quibus omnia pollicetur Antonius.*[f] *Quid nos nostris exercitibus? quid pollicemur? multò meliora, atq; maiora. scelerũ enim promissio &*[g] *iis qui expectant, perniciosa est, & iis qui promittunt. Nos nostris militibus libertatem, iura, leges, iudicia, imperiũ orbis terræ, dignitatem, pacẽ, otium pollicemur.*[h] *Antonij igitur promissa cruẽta, tetra, scelerata, diis, hominibúsq; inuisa, nec diuturna, neq; salutaria: nostra contrà honesta, integra, gloriosa, plena lætitiæ, plena pietatis.*[i] *Hîc mihi etiam Q. Fusius uir fortis, ac strenuus, amicus meus, pacis cõmo-*

da commemorat, quasi uerò, si laudanda pax esset, ego idem facere cõmodè non possem. semel enim pacẽ defendi, non semper otio studui: quod cùm omnibus bonis utile est, tum præcipuè mihi. Quem enim cursum industria mea tenere potuisset sine forensibus causis, sine legibus, sine iudiciis? quæ esse nõ possunt ciuili pace sublata. [a] Sed quæso Calene, quid? tu seruitutem pacẽ uocas? Maiores quidem nostri non modò, ut liberi essent, sed etiam, ut imperarent, arma capiebant: at tu arma abiicienda censes, ut seruiamus. Quæ causa iustior est belli gerendi, quàm seruitutis depulsio? in qua etiam si non sit molestus dominus: tamen est miserrimũ posse, si uelit. imò alia causa iusta, ac necessaria est. [b] nisi fortè ad te hoc nõ putas pertinere, quòd te sociũ fore speras dominationis Antonij. [c] In quo bis falleris: primũ, quòd tuas rationes cõmunibus anteponis: deinde, quòd quicquam stabile in regno aut iucundũ putas. nõ, si tibi antea profuit, semper proderit. Quinetiã de illo homine queri solebas: quid te fœturũ de bellua putas? Atqui es, qui semper pacẽ optaris, & ẽper omnes ciues saluos uolueris. honesta* ratio, sed ita, si bonos, & utiles Reipub. ciues: sin eos, qui natura ciues sunt, uoluntate hostes, saluos uelis, [d] quid tandẽ interest inter te & illos? *Pater tuus, quo utebar sene autore adolescens, homo seuerus, & prudens, primas omniũ ciuium P. Nasicæ, qui Tyb. Gracchũ interfecit, dare solebat? [e] eius enim uirtute, consilio, magnitudine animi, liberatã Remp. arbitrabatur. Quid? nos à patribus num aliter accepimus? Ergo is tibi ciuis, si tẽporibus illis fuisses, nõ probaretur, quia nõ omnes saluos esse uoluisset? [f]* Quòd L. Opimius Consul uerba fecit de Rep. de ea re ita censuerunt, uti Opimius Consul Remp. defenderet. Senatus hæc uerbis, Opimius armis. Num igitur eũ, si tum esses,

a De integra colligit se & cõpellat Fufiũ vt acriùs insectet.
b Amara & criminosa exprobratio.
c Confutat errorem Caleni.
*oratio
d Profert exempla cõtraria, quibus improbos ciues puniẽdos esse confirmat. Hic totus locus pugnat contra sententiam Caleni.
*Quid pater oli tuus, quo utebar sene aut adol. homo seuerus, & prud. non primas omn. ciui. P. Nas. qui Tyb. Grac. interfe. dare solebat?
e αἰτιολογία.
*Videtur nonnihil deesse.
f Aliud exẽplũ, Historiæ sunt apud Plutarchum in vita Gracchorum.

temerariũ ciuem, aut crudelẽ putares? aut Qu. Metellum, cuius quatuor filij Cõsulares? aut P. Lentulum principem *Senatorem? complures alios summos uiros, qui cum L. Opimio Consule armati Gracchũ in Auẽtinum persecuti sunt? quo in prælio Lentulus graue uulnus accepit: interfectus est Gracchus, & M. Fuluius Consularis, eiúsq; duo adolescentuli filij. illi igitur uiri uituperandi? non enim ciues omnes saluos esse uoluerunt.

*Senatus

a Narrat plura exempla.

Ad propiora ueniamus. [a] C. Mario, L. Valerio Consulibus Senatus Rẽp. defendẽdã dedit: L. Saturninus Trib. pleb. Glaucia Prætor est interfectus. omnes illo die Scauri, Metelli, Claudij, Catuli, Scævolæ, Crassi arma sumpserũt. num aut Cõsules illos, aut clarissimos uiros uituperandos putas? Ego Catilinam perire uolui. num tu, qui omnes saluos uis, Catilinã saluum esse uoluisti? Hoc interest Calene inter meã sententiã & tuã: ego nolo quenquam ciuẽ cõmittere, ut morte mulctandus sit: tu, etiam si cõmiserit, conseruandũ putas. In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur, ut membrorũ aliquod potius, quàm totũ corpus intereat: sic in Reip. corpore, ut totum saluũ sit, quicquid est pestiferũ amputetur. [b] Dura nox: multo illa durior, Salui sint improbi, scelerati, impij: deleãtur innocẽtes, honesti, boni, tota Resp. Vno in homine. Qu. Fusi fateor te uidisse plus, quàm me. [c] ego P. Clodium arbitrabar perniciosum ciuem, sceleratum, libidinosum, impium, audacem, facinorosum: tu contrà sanctum, temperantem, innocentem, modestum. retinendum ciuem & optandum. in hoc uno te plurimum uidisse, multum me errasse concedo. [d] Nam me tecũ iracundè agere dixisti solere. nõ est ita. uehemẽter me agere fateor, iracundè nego. omnino iracundi amicis non temerè soleo, ne si merentur quidẽ. Itaq; sine

b ἀνθυποφορά. Opponit quod dici potest & grauius ut infirmet.

c Exprobrat illi lenitatem præteriti temporis. hic locus habet uim exempli.

d Purgat affectionem: sed locus capit ironiam.

uerbo

uerborum contumelia à te dissentire possum, sine animi summo dolore non possum.[a] *parua est enim mihi tecum, aut parua de re dissensio? ego huic uidelicet faueo, tu illi? imò uerò ego D. Bruto faueo, tu M. Antonio: ego conseruare coloniã Pop. Ro. cupio, tu expugnare studes. an hoc negare potes? qui omnes moras interponis, quibus infirmetur Brutus, melior fiat Antonius?*[b] *quousq; enim dicis pacem uelle te? res geritur: conducta uineæ sunt: pugnatur acerrimè: qui intercurrerent, misimus tres principes ciuitatis: hos contempsit, reiecit, repudiauit Antonius: tu tamen permanes constantissimus defensor Antonij.*[c] *Et quidem quò melior Senator uideatur, negat se illi amicum esse debere,*[d] *cum suo magno beneficio uenisse eum contra se. uide quanta charitas sit patriæ. cùm homini sit iratus, tamen Reipu. causa defendit Antonium. Ego te, cùm in Massilienses tam sis acerbus Fusi, non animo æquo audio.*[e] *quousq; enim Massiliam oppugnabis? ne triumphus quidem finem fecit belli? per quem sublata est urbs ea, sine qua nunquam ex Transalpinis gẽtibus maiores nostri triumpharunt. quo quidem tempore Po. Ro. ingemuit. quanquam enim proprios dolores suarum rerum omnes habebant: tamen huius ciuitatis fidelissimæ miserias, nemo erat ciuis, qui à se alienas arbitraretur.*[f] *Cæsar ipse, qui illis fuerat iratissimus, tamen propter singularem eius ciuitatis grauitatem & fidem, quotidie aliquid iracundiæ remittebat: te nulla sua calamitate ciuitas satiare tam fidelis potest?*[g] *Rursus me iam iracundiæ forsan dices: ego autẽ sine iracundia dico, ut omnia, nec tamen sine dolore. Neminem illi ciuitati inimicũ esse arbitror, qui amicus sit huic ciuitati. Excogitare quæ tua ratio sit Calene nõ possum: antea deterrere te, ne popularis esses, nõ poteramus: ut nũc sis popularis, exorare non*

a Aperta ironia.

b Acrius instigat.

c Ironia.

d Tacitè significat Fusiũ præuaricatum fuisse cũ accusaret Antoniũ. Est enim ridicula defensio Fusii, quã occupat orator & improbitatẽ illius ostẽdit.

e Reprehendit crudelitatem Fusii contra Massilienses, & illorũ infortunium deplorat.

f Amplificat ex maiori.

g Sapit ironiam hic locus.

possumus. Satis multa cum Fusio ac sine odio omnia, nihil sine dolore. Credo autem qui generi querelam moderatè ferat, æquo animo laturum amici. [a] Venio nunc ad reliquos Consulares, quorum est nemo, iure meo hoc dico, qui non mecum habeat aliquam coniunctionem gratiæ, alij maximam, alij mediocrem, nemo nullam. [b] quam hesternus dies nobis, Consularibus dico, turpis illuxit? iterum Legatos? quid? ille faceret inducias? ante Consulis, oculósq; Legatorum, tormẽtis Mutinam uerberauit: opus ostendebat, munitionémq; Legatis: ne punctum quidem tẽporis, cùm Legati adessent, oppugnatio respirauit. [c] Ad hunc Legatos? cur? an ut in eorũ reditu uehemẽtius pertimescatis? Equidẽ cùm anteà Legatos decerni non censuissem: hoc me tamen consolabar, quòd cùm illi ab Antonio contẽpti, & reiecti reuertissent, dixissẽntq; Senatui, non modò illum è Gallia non discessisse, ut censuimus, sed ne à Mutina quidẽ recessisse: potestatẽ sibi D. Bruti conueniendi non fuisse: putabam fore, ut omnes inflammati odio, excitati dolore, armis, equis, *uiribus D. Bruto subueniremus. nos etiam languidiores facti sumus, postquã Antonij non solùm audaciam & scelus, sed etiam insolentiam superbiámq; perspeximus. Vtinam L. Cæsar ualeret, Seruius Sulpitius uiueret: multò melius hæc causa ageretur à tribus, quàm nunc agitur ab uno. doleter hoc dicam potius, quàm contumeliosè. deserti, deserti, inquã, sumus P. C. à principibus. sed, ut iã sæpe dixi, omnes in tanto periculo, qui rectè & fortiter sentient, erunt Consulares. animũ nobis afferre Legati debuerunt: timorẽ attulerũt: [d] quanquam mihi quidẽ nullum unquã timorẽ, quãuis illi de illo ad quẽ missi sunt, benè existimẽt: à quo etiã mandata acceperũt. [e] Prò dij immortales, ubi est illemos, uirtúsq; maiorũ? [f] C. Põpilius apud maiores nostros, cùm ad

a Præmunitio ad sequentem locũ est: reprehẽsurus est enim senatũ, ergo præmunit ne senatũ offendat.

b Reprehendit senatus inconstantiam, & ex insolẽtia Antonii amplificat.

c Exprobrat eis timiditatem.

*uiris

d Correctio.

e Exclamatio indignantis.

f Inuehitur in legatos, & rem cõtrario exemplo amplificat.

cùm ad Antiochũ Regem Legatus missus esset, & uerbis Senatus denuntiasset, ut ab Alexandria discederet, quã obsidebat: cùm tẽpus ille differret, uirgula stantẽ circunscripsit, dixítq; se non antè renuntiaturum Senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturus esset, quàm ex illa circunscriptione excederet. præclarè: Senatus enim faciem secum attulerat, autoritatẽ Reip. cui qui non paret, non ab eo mandata accipienda sunt, sed ipse est potius repudiandus.* [a] *An ego ab eo mãdata acciperem, qui Senatus mandata contemneret? aut ei cũ Senatu quicquã commune iudicarem, qui Imperatorem populi Ro. Senatu prohibente obsideret?* [b] *At quæ mandata? qua arrogantia? quo stupore? quo spiritu? Cur autẽ ea Legatis nostris dabat? cùm ad nos Cotylã mitteret ornamentũ, atq; arcem amicorũ suorum,* [c] *hominẽ Aedilitium, si uerò tũ fuit Aedilis, cùm eum iussu Antonij in cõuiuio serui publici loris ceciderunt. At quàm modesta mãdata fert? ij sum*[a] *P. C. qui quicquã huic negemus?* VTRANQVE PROVINCIAM, *inquit,* REMITTO: EXERCITVM DEPONO: PRIVATVS ESSE NON RECVSO. *Hæc sunt enim uerba. redire ad se uidetur.* OMNIA OBLIVISCOR, IN GRATIAM REDEO. *Sed quid adiũgit?* SI LEGIONIBVS MEIS, ET SI EQVITIBVS, ET SI COHORTI PRAETORIAE PRAEDAM AGRVMQVE DEDERITIS. *His etiam præmia postulet, quibus ut ignoscatur si postulet, impudentissimus iudicetur? Addit præterea, quos ipse cum Dolabella dederit agros teneantij quibus dati sunt.* [d] *Hic est Campanus ager, & Leontinus, quæ duo maiores nostri annonæ perfugia ducebant. Cauet mimis, aleatoribus, lenonibus: Caponi etiam & Saxæ cauet: quos Centuriones pugnaces, & la-*

* totus legitur in uulgatis codicibus

a Enthymema ex maiori.

b Pergit exponere mandata Antonii, & indignitatem amplificat. Hæc autẽ omnia pertinent ad reprehendendã senatus indignitatem.

c Ironia ad contemptum.

d Ex agrorũ amplificatione oftẽdit hoc nõ posse fieri, sed indignissimum esse.

certosos inter mimorum & mimarum greges collocauit. Postulat præterea ut chirographorum & commentariorum sua collegæq; sui decreta maneant. Quid laborat? ut habeat quod quisque mercatus est: si quid accepit, habeat qui uendidit: & ne tangantur rationes ad Opis: id est, [a] ne sestertiûm septies millies recuperetur: ne fraudi sit Septemuiris, quod egissent. Nucula hoc, credo, admonuit. uerebatur fortasse, ne amitteret tantas clientelas. Caueri etiam uult iis, qui secum sunt, quicquid cõtra legem commiserũt. Mustellæ & Tyroni prospicit: de se nihil laborat. Quid enim cõmisit unquam? num aut pecuniã publicam attigit? aut hominẽ occidit? aut secum habuit armatos? [b] Sed quid est, quòd de iis laboret? Postulat enim, ne sua iudiciaria lex abrogetur: quo impetrato, quid est quod metuat? an ne suorũ aliquis à Cyda, Lysiade, Curio condemnetur? Neq; tamen nos urget mandatis pluribus. remittit aliquantum & relaxat. GALLIAM, inquit, TOGATAM REMITTO, COMATAM POSTVLO. OTIOSVS VIDELICET ESSE MALO. Cum sex legionibus, inquit, iisq; suppletis ex D. Bruti exercitu, nõ modò ex delectu suo: tandiúque ut obtineat, quandiu *D. Brutus, C. Cassius Consules Próue consules prouincias obtinebunt: huius comitiis C. frater, eius est enim iam annus, iam repulsam tulit. VT QVINQVENNIVM, inquit, OBTINEAM. At istud uetat lex Cæsaris, & tua. [c] Hæc tu mandata L. Piso, & tu L. Philippe principes ciuitatis non dico animo ferre, uerùm auribus accipere potuistis? Sed, ut suspicor, terror erat quidam: nec nos ut Legati apud illum fuistis, nec ut Consulares: nec uestrã, nec Reip. dignitatem tenere potuistis. & tamen nescio quo pacto, sapientia quadam credo, quod ego non possum, non ni-

mis

a Septuagies & quinquies cẽtena millia coronatorum.

b Crebra ironia.

*M. Brutus

c Prorumpit in indignationẽ, & legatorũ inconstantiam reprehendit. Hæc est ἀποστροφὴ ad legatos.

*mis irati reuertistis. uobis M. Antonius nihil tribuit, clarissimis uiris, Legatis Po. Ro. nos quid non Legato Antonij Cotylæ cõcessimus? cui portas huius urbis patere ius non fuit, huic hoc templum patuit, huic aditus in Senatũ fuit, huic hesterno die sententias nostras in codicillos, & omnia uerba referebat. huic, se etiã summis honoribus usi contra dignitatem suam uendităbant. O dij immortales, quàm magnum est personã in Rep. tueri principis! quæ non animis solùm debet, sed etiam oculis seruire ciuium. domũ recipere Legatum hostium, in cubiculũ admittere etiam *reducere, hominis est nihil de dignitate, nimium de periculo cogitantis. Quod autem est periculum? nam si maximum in discrimen uenietur, aut libertas *parta est uictori, aut mors exposita uicto: quorum alterum optabile est, alterum effugere nemo potest. turpis autem fuga mortis omni est morte peior. Nã illud quidem non adducor ut credam, esse quosdam, qui inuideãt alicuius constantiæ, qui laboribus, qui eius perpetuam in Rep. adiuuanda uoluntatem & à Senatu & à populo Rom. probari molestè ferant. Omnes id quidem facere debebamus: eáque erat non modò apud maiores nostros, sed etiam nuper summa laus Consularium, uigilare, cogitare, adesse animo, semper aliquid pro Rep. aut facere, aut dicere. [a] Ego Qu. Scæuolam Augurẽ memoria teneo bello Marsico, cùm esset summa senectute, & perdita ualetudine, quotidie, simulatque luceret, facere omnibus conuenien di sui potestatẽ: neque eum quisquam illo bello uidit in lecto: senéxq; & debilis primus ueniebat in Curiam. Huius industriam maximè equidem uellẽ ut imitarentur ij, quos oportebat: secundo autem loco, ne alterius labori inuiderent. Etenim P. C. cùm in spem libertatis sexennio simus ingressi, diutiúsque seruitutem perpessi,*

*deducere

*parata

a Amplificat exẽplo dissimili.

pessi, quàm captiui frugi & diligentes solent: quas uigilias, quas solicitudines, quos labores liberandi Pop. Ro. causa recusare debemus? Equidem P. C. [a] quãquam hoc honore usi, togati esse solent, cùm est in sagis ciuitas: statui tamen à uobis, cæterísque ciuibus in tanta atrocitate temporis, tantáq; perturbatione *populi Ro. non differre uestitu. Non enim ita gerimus nos hoc bello Consulares, ut æquo animo populus Ro. uisurus sit nostri honoris insignia: [b] cùm partim è nobis ita timidi sint, ut omnem ij populi Ro. beneficiorum memoriam abiecerint: partim ita à Rep. auersi, ut huic se hosti fauere præ se ferãt. Legatos nostros ab Antonio despectos esse, & irrisos facilè patiantur, Legatum Antonij subleuatum uelint. [c] huic enim reditum ad Antonium prohiberi negabant oportere, & in eodem excipiendo sententiam meam corrigebant: quibus geram morem. redeat ad Imperatorẽ suum Varius, sed ea lege, ne unquam Romam reuertatur. cæteris autem, si errorem suum deposuerint, & in Reip. gratiam redierint, ueniam & impunitatem dandam puto. [d] Quas ob res ita censeo: EORVM, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, & aut ad Pãsam, aut ad Hircium Consules, aut ad Decium Brutum Imperatorem, COS. designatum, aut ad C. Cæsarem Proprætorem, ante Idus Martias adierint, eis fraudi ne sit, quòd cum M. Antonio fuerint, si quis eorum, qui cum M. Antonio sunt, fecerit, quo honore, præmióue quis dignus esse uideatur: uti C. Pansa, A. Hircius COSS. alter, ambóue, si eis uideatur, de eius honore, præmióue, primo quoque die ad Senatum referant. Si quis post hoc ad Antonium profectus fuerit præter L. Varium, Senatum existimaturum eum contra Rempublicam fecisse.

a Docet suo exẽplo quid faciendum sit.

*Reipublicæ

b Locutio talis est apud Gelliũ.

c Occasione sumpta redit ad Cæsarem.

d Nunc colligit summam sententiæ suæ & cõcludit.

IN

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA NONA.

ORATIO LII.

selecta

VELLEM [a] *dij immortales feciſſent P.C. ut uiuo potius Ser. Sulpitio gratias agere-mus, quàm mortuo honores quæreremus. Nec uerò dubito, quin ſi ille uir renuntiare legationem potuiſſet, reditus eius & nobis gratus fuerit, & Reip. ſalutaris futurus:* [b] *non quòd L. Philippo & L. Piſoni aut ſtudiũ, aut cura defuerit in tãto officio, tantóq; munere: ſed cùm Seruius Sulpitius ætate illis anteiret, ſapientia omnibus, ſubitò ereptus totam legationem orbam, & debilitatam reliquit.* [c] *Quòd ſi cuiquam iuſtus honos habitus eſt in morte Legato, in nullo iuſtior, quàm in Ser. Sulpitio, reperietur. Cæteri, qui in legatione mortem obierunt, ad incertũ uitæ periculum, ſine ullo mortis metu profecti ſunt: Ser. Sulpitius cũ aliqua perueniendi ad M. Antonium ſpe profectus eſt, nulla reuertendi. qui cùm ita affectus eſſet, ut ſi ad grauem ualetudinem labor uiæ acceſſiſſet, ſibi ipſe diffideret: nõ recuſauit, quò minus uel in extremo ſpiritu, ſi quã opem Reip. ferre poſſet, experiretur. Itaq; non illum uis hyemis, nõ niues, non longitudo itineris, non aſperitas uiarũ, non morbus ingraueſcens retardauit: cúmq; iam ad congreſſum, colloquiúmq; eius peruenisſet, ad quẽ erat miſſus, in ipſa cura & meditatione obeundi ſui numeris exceſſit è uita.* [d] *Vtigitur alia, ſic hoc Panſa præclarè, quòd nos ad ornandum Ser. Sulpitium cohortatus es, & ipſe multa copiosè de illius laude dixiſti. quibus à te dictis, nihil præter ſententiam dicerem, niſi P. Seruilio reſpondendum*

a Incipit à querela de morte Sulpitii. Fit officioſum exordium, & proinde benevolentia dignum.

b Occurrit offenſioni, & interpretatur quod dixit.

c Iam aggreditur & laudat Sulpitium, & meritum eius amplificat.

d Id quod propoſuit, per cõtentionẽ explanat.

e Abrumpit hũc locum, & tranſit ad reprehendendam Seruilii ſententiam.

putaret,

putarem, qui hunc honorem statuæ neminitribuendum censuit,nisi qui ferro esset in legatione interfectus. Ego autem P.C. sic interpretor sensisse maiores nostros, [a] ut causam mortis censuerint, non genus esse quærendum. Etenim cui legatio ipsa morti fuisset, eius monimentum extare uoluerũt,ut in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. Non igitur exempla maiorum quærenda,sed consilium est eorum,à quo ipsa exempla nata sunt,explicandum. * Lartes Tolumnius Rex Veientum quatuor Legatos populi Rom. Fidenis interemit:quorũ statuæ in rostris steterũt usq; ad nostram memoriam.iustus honos.iis enim maiores nostri,qui ob rẽp. mortem obierant,pro breui uita diuturnam memoriam readiderũt.Cn. Octauij clari & magni uiri,qui primus in eam familiam,quæ postea uiris fortissimis floruit,attulit Consulatum, statuam uidemus in rostris: [b] nemo enim tum nouitati inuidebat,nemo uirtutẽ non honorabat. At ea fuit legatio Octauij, in qua periculi suspicio nõ subesset. Nam cùm esset missus à Senatu ad animos Regum perspiciendos, liberorũq; populorũ, maximéq; ut nepotẽ Antiochi Regis,eius qui cũ maioribus nostris bellum gesserat,classes habere,elephantos alere prohiberet: Laodiceæ in gymnasio à quodam Leptine est interfectus. Reddita est ei tum à maioribus statua pro uita, quæ multos per annos progeniẽ eius honestaret,nunc ad tantæ familiæ memoriã sola restaret. Atqui & huic, & Tullo Cluuio, & L.Roscio, & Sp.Antio, & C.Fulcinio,qui à Veientiũ Rege cæsi sunt,nõ sanguis, qui profusus est in morte, sed ipsa mors ob Remp. * habita, honori fuit. Itaq; P.C. si Ser.Sulpitio casus mortẽ attulisset,dolorẽ quidẽ tãto Reip. uulnere, mortẽ uerò eius nõ monumentis,sed luctu publico esse honorandã putarẽ. [c] Nunc autem

a Interpretatur maiorum sententiam, quam probat ex causa finali, & exẽplis confirmat.

*Lar Tolumnius

b Hoc obiter dicit ad correctionem suorum tẽporum.

*obita, non habita

c Concludit per ἀντίθεσιν & confirmat Sulpitium ex legatione obisse & studium eius in Remp. commendat.

autem quis dubitat: quin ei uitã abſtulerit ipſa legatio? ſecum enim ille mortẽ extulit: quam ſi nobiſcũ remanſiſſet, ſua cura, optimi filij, fideliſſimæq; cõiugis diligentia uitare potuiſſet. At ille, cùm uideret, ſi neſtræ autoritati non paruiſſet, diſſimilẽ ſe futurũ ſui: ſi paruiſſet, munus ſibi illud pro Rep. ſuſceptũ uitæ finẽ allaturũ: maluit in maximo Reip. diſcrimine mori, quã minus, quàm potuiſſet, uideri Reip. profuiſſe. Multis illi in urbibus, quà iter faciebat, reficiendi ſe, & curandi poteſtas fuit: aderat & hoſpitum inuitatio liberalis pro dignitate ſummi uiri, & eorum hortatio, qui unà erant miſſi ad requieſcendum, & uitæ ſuæ conſulendũ. At ille properãs, feſtinánsque, mandata noſtra conficere cupiens, in hac cõſtantia morbo aduerſante perſeuerauit. Cuius cùm aduentu maximè perturbatus eſſet Antonius, quòd ea, quæ ſibi iuſſu noſtro denuntiarentur, autoritate erant & ſentẽtia Ser. Sulpitij conſtituta: declarauit quàm odiſſet Senatũ, cùm autorem Senatus extinctũ, latè atq; inſolẽter tulit.[a] Non igitur magis Octauium Leptines, nec Veientium Rex eos, quos modò nominaui, quàm Ser. Sulpitium occidit Antonius.[b] Is enim profectò mortem attulit, qui cauſa mortis fuit.[c] Quocirca ad poſteritatis etiã memoriam pertinere arbitror, extare, quod fuerit de hoc bello iudicium Senatus. erit enim ſtatua ipſa teſtis, bellũ tam graue fuiſſe, ut Legati interitus honoris memoriã cõſecutus ſit.[d] Quòd ſi excuſationem Ser. Sulpitij P.C. legationis obeũdæ recordari uolueritis, nulla dubitatio relinquetur, quin honorẽ mortuo, quam uiuo iniuriã fecimus, ſarciamus.[e] Vos enim P.C. (graue dictu eſt,[f] ſed dicendũ tamen) uos, inquã, Ser. Sulpitiũ uita priuaſtis. Quẽ cũ uideretis ſe magis morbo, quã oratione excuſantẽ, non uos quidẽ crudeles fuiſtis? (quid enim minus in hũc ordinẽ conuenit?)

a Interpretatur mortem Sulpitio allatam.

b Aliud argumentum ex æquo, & hæc omnia ad qualitatem pertinent.

c Argumentum qualitatis ab vtili, ad quam reuertitur.

d Approbatio definitione.

e Hunc locũ declarat.

f Liberius loquitur παῤῥησίᾳ.

conuenit?) sed cùm sperauerétis nihil esse, quod non illius autoritate, & sapiẽtia effici posset, uehementius excusationi obstitistis, atq; eum, qui semper uestrum consensum grauissimũ iudicauisset, de sententia deiecistis. [a] Vt uerò Pansæ Consulis accessit cohortatio grauior, quàm aures Ser. Sulpitij ferre didicissent, tum filium méq; itẽ seduxit, atq; ita locutus est, ut autoritatẽ uestrã uitæ suæ se diceret anteferre. cuius nos uirtutẽ admirati, nõ ausi sumus eius aduersari uolũtati. mouebatur singulari pietate filius: nõ multùm eius perturbationi meus dolor concedebat: sed uterq; nostrum cedere cogebatur magnitudini animi, orationisq; grauitati: cùm quidem ille maxima laude, & gratulatione omniũ uestrũ pollicitus est, se quod uelletis, esse facturũ, neq; eius sententiæ periculũ uitaturum, cuius ipse autor fuisset. quẽ exequi mãdata uestra properantẽ manè postridie prosecuti sumus. qui quidem discedens mecum ita locutus est, ut eius oratio omen fati uideretur. [b] Reddite igitur P.C. ei uitã, cui ademistis. uita enim mortuorũ in memoria uiuorũ est posita. perficite ut is, quẽ uos ad mortem inscij misistis, immortalitatem habeat à uobis. cui si statuã in rostris decreto uestro statueritis, nulla eius * legationis posteritatem inobscurabit obliuio. [c] Nã reliqua Ser. Sulpitij uita multis erit præclarisq; monumentis ad omnem memoriam commendata. semper illius grauitatem, constantiam, fidem, præstantiam, in Rep. tuenda curã, atq; prudentiam, omniũ mortalium fama celebrabit. Nec uerò silebitur admirabilis quædam, & incredibilis, & penè diuina eius in legibus interpretandis, æquitate * explicandis, scientia. Omnes, ex omni ætate qui hac in ciuitate intelligẽtiã iuris habuerũt, si unũ in locũ conferantur, cum Ser. Sulpitio nõ sunt comparãdi. Neq; enim ille magis iuris cõsultus, quàm

a Rem ipsam cõmemorat testificandi causa.

b Conclusio cum cohortatione.

*legationẽ posteritatis inobscurabit

c Delabitur ad cæteras laudes Sulpitii. hic locus sumitur extra causam.

*explicãda

quàm iustitiæ fuit. Itaq; quæ proficiscebãtur à legibus, & à iure ciuili, semper ad facilitatem, æquitatemq; referebat: neq; constituere litium actiones malebat, quàm controuersias tollere. Ergo hoc statuæ monumento non eget: habet alia maiora. hæc enim statua mortis honestæ testis erit, illa memoria uitæ gloriosæ: ut hoc magis monumentum grati Senatus, quàm clari uiri futurũ sit. Multum etiam ualuisse ad patris honorẽ pietas filij uidebitur: qui quanquam afflictus luctu nõ adest, tamẽ sic animati esse debetis, ut ille si adesset. est autẽ ita affectus, ut nemo unquam unici filij mortẽ magis doluerit, quàm ille mœret patris. Equidẽ etiam ad famã Ser. Sulpitij filij arbitror attinere ut uideatur honorem debitum patri præstitisse. quanquàm nullũ monumentũ clarius Ser. Sulpitius relinquere potuerit, quàm effigiem morũ suorum, uirtutis, constantiæ, pietatis, ingenij filium. cuius luctus aut hoc honore uestro, aut nullo solatio leuari potest.[a] Mihi autẽ recordanti Ser. Sulpitij multos in nostra familiaritate sermones, gratior illi uidetur, si quis est sensus in morte, ænea statua futura, & ea pedestris magis, quàm inaurata equestris: qualis est L. Syllæ prima statua. magnificè enim Seruius Sulpitius maiorũ continentiã diligebat, huius seculi insolentiam uituperabat. Vt igitur si ipsum consulam quid uelit, sic pedestrẽ ex ære statuã, tanquam ex eius autoritate, & uoluntate decerno: quæ quidem magnum ciuium dolorem, & desiderium honore monumenti minuet, & leniet.[b] Atq; hanc meã sententiã P.C. P. Seruilij sentẽtia probari necesse est: qui sepulcrũ publicè decernendum Seruio Sulpitio censuit, statuam non censuit.[c] Nam si mors Legati sine cæde, atq; ferro nullũ honorẽ desiderat, cur decernit honorẽ sepulturæ: qui maximus haberi potest mortuo? Sin id tribuit Ser. Sulpitio,

a A voluntate defuncti, ex cuius etiam moribus pedestrem statuã confirmat.

b Ex ipsius Seruilii sentẽtia, cuius vim interpretatur.

c Facit sentẽtiã istã Seruilio contrariã, aduersam interpretando.

quod non est datum Cn. Octauio: cur quod illi datũ est, huic dandum esse non censet? Maiores quidem nostri

a Aliud argumẽtum.

statuas multis decreuerunt, sepulcra paucis. [a] *sed statuæ intereunt tempestate, ui, uetustate: sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla ui moueri, neq; deleri potest: atq; ut cætera extinguuntur, sic sepulcra fiunt sanctiora uetustate.* [b] *Augeatur igitur isto etiam honore is uir, cui nullus honor tribui non debitus potest. gratissimus in eius morte decoranda. cui nullam aliam gratiam referre iam possumus. notetur etiam Antonij nefarium bellũ gerentis scelerata audacia. his enim honoribus habitis Ser. Sulpitio, repudiatæ reiectæq; legationis ab Antonio manebit testificatio sẽpiterna. Quas ob res ita cẽseo:*

b Concludit.

* *Lemoni*

VM *Ser. Sulpitius Qu. F.* Lemonia Rufus difficillimo Reip. tempore, graui, periculosoq; morbo affectus, autoritatem Senatus, salutẽq; pop. Ro. uitæ suæ præposuerit, contraq; uim, grauitatẽq; morbi* [c] *contenderit, ut ad castra Antonij, quò Senatus eum miserat, perueniret, isq; cùm iam prope castra uenisset, ui morbi oppressus, uitam amiserit in maximo Reip. munere, eiusq; mors consentanea uitæ fuerit sanctissimè, honestissimeq; actæ, in qua sæpe magno usui Reip. Ser. Sulpitius & priuatus, & in magistratibus fuerit: cùm talis uir, ob Remp. in legatione mortem obierit, Senatui placere, Ser. Sulpitio statuam pedestrem æneam in rostris ex huius ordinis sententia statui, circumq; eam statuam locũ gladiatoribus,* [d] *ludisq; liberos, posterosq; eius, quaq; uersus pedes quinq; habere, quòd is ob Rẽp. mortẽ obierit, eamq; causam in basi inscribi: utiq; C. Pansa, A. Hircius Cõsules alter, amboue, si eis uidebitur, Quæstoribus urbis imperẽt, ut eã basim, statuamq; faciendã, & in rostris statuendã locent, quãtiq; locarint, tantã pecuniã redemptori soluendã, attribuendamq;*

c i. certauerit. Obiter cõmemorat totam rem.

d Hæc dictio, Ludis, uidetur abundare.

damq̃ curent: cumq̃ antea Senatus autoritatem in uirorum fortium funeribus ornamentisq̃ ostenderit, placere eum quàm amplissimè supremo die suo efferri: & cùm Ser. Sulpitius Qu. F. Lemonia Rufus ita de Rep. meritus sit, ut is ornamentis decorari debeat, Senatũ censere, atq̃ è Rep. existimare, Aediles curules edictum, quod de funeribus habeãt, Ser. Sulpitij Qu. F. Lemoniæ Rufi funeri mittere: utiq̃ locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa Consul, seu quo alio in loco uidetur, pedes triginta quoquo uersus designet, quò Ser. Sulpitius inferatur. Quod sepulcrũ, ipsius, liberorum, posterorumq̃ eius sit: uti quod optimo iure sepulcrum publicè datum est.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DECIMA.

ORATIO LIII.

MAXIMAS[a] *tibi Pansa gratias, omnes & habere & agere debemus: qui, cùm hodierno die Senatum te habiturum non arbitraremur, ut M. Bruti præstãtissimi ciuis literas accepisti, ne minimã quidẽ morã interposuisti, quin quãprimùm maximo gaudio, & gratulatione frueremur. Cùm factũ tuum gratũ omnibus debet esse, tũ uerò oratio, qua recitatis literis usus es. declarasti enim uerũ esse id, quod ego sẽper sensi,*[b] *Neminẽ alterius, q̃ suæ cõfideret, uirtuti inuidere. Itaq̃ mihi, qui plurimis officijs sũ cũ Bruto & maxima familiaritate cõiũctus, minus multa de illo dicẽda sunt. quas enim partes ipse mihi sũpserã, eas præoccupauit oratio tua. Sed mihi P. C. necessitatem*

a Incipit à laude cõsulis, qui senatũ cõuocauerat.

b γνώμη.

attulit paulò plura dicendi, sententia eius, qui rogatus est ante me: à quo ita sæpe dissentio, ut iã uerear, ne id, quod minimè fieri debet, minuere amicitiam nostrã uideatur perpetua dissentio.[a] Quæ est enim ista tua * oratio Calene?[b] quæ mens? qui nũquam post Cal. Ian. idẽ senseris, quod is, qui te sententiam* prius rogat? cur nunquã tam frequens Senatus fuit, ut unus aliquis tuam sententiam secutus sit? cur semper tui dissimiles defendis? cur, cùm te & uita & fortuna tua ad otium, & ad dignitatẽ inuitet, ea probas, ea decernis, ea sentis, quæ sunt inimica & otio communi, & dignitati tuæ? Nam ut superiora omittã, hoc certè, quod mihi maximã admirationẽ mouet, non tacebo. Quod est tibi cũ Brutis bellũ? cur eos, quos omnes penè uenerari debemus,[c] solus oppugnas? alterũ circumsederi non molestè fers, alterũ tua sententia spolias iis copijs, quas ipse suo labore, & periculo ad Reip. non ad suum præsidiũ per se nullo adiuuante confecit.[d] Quis est iste tuus sensus, quæ cogitatio, Brutos ut non probes, Antonios probes? quos omnes clarissimos habent, tu oderis? quos acerbissimè omnes oderunt, tu cõstantissimè diligas? [e] Amplissimæ tibi fortunæ sunt, summus honoris gradus, filius, ut & audio, & spero, natus ad laudẽ: cui cùm Rei. causa faueo, tum etiam tua. Quæro igitur, eum Brutine similem malis, an Antonij? ac permitto, ut de tribus Antoniis eligas, quem uelis. D. Brutus melior est, inquies. Cur igitur non iis faues? cur non eos laudas, quorum similem filium tuum esse uis? simul enim Reip. consules, & propones illi exẽpla ad imitandũ.[f] hoc uerò Qu. Fusi copiosius sine offensione nostræ amicitiæ, sic tecum, ut à te dissentiens, Senator quæro: ita enim dixisti, & quidem de scripto: nam te inopia uerbi lapsum putarẽ, nisi tuam in dicẽdo facultatẽ nossem: literas Bruti rectè, & ordine scriptas

a Inuehitur in Fusiũ & liberius obiurgat.

*Ratio legẽdum uidetur.

b Instat acrius, & singulis non modò sententiis sed etiam verbis argumẽta complectitur.

*primùm, proculdubio legendum: ut cõstat ex alio loco huius Orationis, qui sic habet: Ei, qui primus sententiam dixerit, (neminẽ assensum.)

c ἐνθύμημα ex contrario.

d Perpetua obiurgatio, cum ui tuperatione.

e Vrget exemplo contrario, cuius confessionem extorquet.

f Parat grauius reprehendere & aggreditur sententiam Fusii.

ſcriptas uideri. quod quid eſt aliud, quàm librariũ Bruti laudare, non Brutum? Vſum in Rep. Calene magnum iam habere, & debes, & potes. quãdo ita decerni uidiſti? aut *quo S.C. huius generis (ſunt enim innumerabilia) *quod bene ſcriptas literas decretum à Senatu? quod uerbum tibi nõ excidit, ut ſæpe fit, fortuitu: ſcriptum, meditatum, cogitatum attuliſti. hanc tibi conſuetudinem pleriſq; in rebus bonos obtrectandi ſi quis detraxerit: qui tibi uelit obtrectare, non relinquetur. [a] Quamobrem colligete, placaq; animum aliquando, & mitiga: audi uiros bonos, quibus uteris multum: loquere cum ſapiẽtiſſimo homine genero tuo ſæpius, quàm tu ipſe tecũ: tum deniq; amplisſimi honoris nomen obtinebis. An uerò hoc pro nihilo putas (in quo equidem *pro amicitia tua iure dolere ſoleo) efferri hæc foras, & ad populi Ro. aures peruenire, ei qui primus ſentẽtiam dixerit, neminẽ aſſenſum? quod etiam hodie futurũ arbitror. Legiones abducis à Bruto. quas? nempe eas quas ille ab Antonij ſcelere auertit, & ad Remp. ſua autoritate traduxit. Rurſus igitur uis nudatum illum, atque ſolum ab Rep. relegatum uideri. Vos autem P.C. ſi M. Brutum deſerueritis, & prodideritis, quem tandem ciuem unquam habebitis, quẽ ornabitis? cui fauebitis? niſi fortè eos, qui diadema impoſuerint, cõſeruandos, eos, qui nomen Regis ſuſtulerint, deſerendos putatis. [b] Ac de hac quidẽ diuina, atq; immortali laude Bruti ſilebo: quæ gratiſſima memoria omnium ciuium incluſa, nondum publica autoritate teſtata eſt. [c] tantámne patientiam dij boni, tantam moderationem, tantam in iniuria tranquillitatem, & modeſtiam? qui cùm Prætor urbanus eſſet, urbe caruit, ius nõ dixit, cùm omne ius populi Roma. recuperaſſet, cumq; concurſu quotidiano bonorum omnium, qui admirabilis ad eum fieri ſolebat,

*pro amicitia noſtra tuam uicẽ dol.

a Hortatur benigne, & oſtendit turpitudinem.

b Amplificat dignitatẽ ex meritis Bruti.

c Alius locus ex moderatione Bruti & charitate erga Remp.

præsidioq; Italiæ cunctæ septus posset esse, absens iudicio bonorum defensus esse maluit, quàm præsens manu: qui ne Apollinares quidem ludos, pro sua populiq; Rom. dignitate apparatos præsens fecit, ne quam uiam patefaceret sceleratorum hominum audaciæ: [a] quanquam qui unquam aut ludi, aut dies lætiores fuerunt, quàm cùm in singulis uersibus populus Rom. maximo clamore, & plausu Bruti memoriã prosequebatur? corpus aberat liberatoris: libertatis memoria aderat, in qua Bruti imago cerni uidebatur. Ad hunc his ipsis ludorũ diebus uidebam in insula clarissimi adolescẽtis Luculli propinqui sui nihil nisi de pace, & cõcordia ciuiũ cogitantẽ. eundẽ uidi postea Veliæ cedentem Italiæ, ne qua oriretur belli ciuilis causa propter se. O spectaculum illud non modò hominibus, sed undis ipsis, & lictoribus luctuosum, cedere è patria seruatorem eius, manere in patria proditores!

a Correctio.

*Cassii classis paucis pòst dieb.

*Cassius lapsis paucis pòst diebus consequebatur: ut me puderet P. C. in eam urbem redire, ex qua illi abirent. Sed quo consilio redierim, initio audistis, pòst estis experti. Expectatum igitur tempus à Bruto est. nam quoad uos omnia pati uidit, usus est ipse incredibili patientia: posteaquam uos ad libertatem sensit erectos, præsidia uestræ libertati parauit. [b] Ac cui pesti, quantæq; restitit? Si enim C. Antonius quod animo intenderat, perficere potuisset (potuisset autem, nisi eius sceleri uirtus M. Bruti obstitisset) Macedoniam, Illyricum, Græciam perdidissemus: esset uel receptaculum pulso Antonio, uel agger oppugnãdæ Italiæ Græcia: quæ quidem nunc M. Bruti imperio, autoritate, copiis non instructa solùm, sed etiam ornata, tendit dextram Italiæ, suúmq; ei præsidium pollicetur. Quod qui ab illo abducit, exercitũ pulcherrimũ, & præsidium firmissimum adimit Reip. Equidem cupio

b Ostendit commodum Reip. ex facto Bruti, quod ab Antonio exercitũ abduxerit, & quid facturus fuerit Antonius.

hæc

hæc quamprimùm Antonium audire, ut intelligat non D. Brutum, quẽ uallo circumsedet, sed seipsum obsideri. [a] Tria tenet oppida toto in orbe terrarum: habet inimicissimam Galliam, eos etiam, quibus confidebat, alienissimos Transpadanos: Italia omnis infesta est: exteræ nationes à prima ora Græciæ usque ad Aegyptum optimorum & fortissimorum ciuium imperiis & præsidiis tenentur. Erat ei spes una in C. Antonio: qui duorum fratrum ætatibus medius interiectus, uitiis cum utroque certabat: qui tãquam extruderetur à Senatu in Macedoniam, & non contrà prohiberetur proficisci, ita cucurrit. Quæ tempestas dij immortales, quæ flamma, quæ uastitas, quæ pestis Græciæ fuisset, nisi incredibilis, ac diuina uirtus, furentis hominis conatum, atque audaciam cõpressisset? Quæ celeritas illa Bruti? quæ cura? quæ uirtus? etsi ne illa quidẽ Antonij celeritas contemnenda est: quem nisi in uia caducæ hæreditates retardassent, [b] uolasse eum, non iter fecisse diceres. [c] alios ad negotium publicum ire cùm cupimus, *ui solemus extrudere: hũc retinentes excluſimus. [d] At quid ei cum Apollonia? quid cum Dyrrachio? quid cum Illyrico? quid cum P. Vatinij Imperatoris exercitu? succedebat, ut ipse dicebat, Hortensio. certi fines Macedoniæ, certa conditio, certus erat etiam illius exercitus: cum Illyrico uerò, & cũ Vatinij legionibus quid erat Antonio? ac ne Bruto quidẽ. id enim fortasse quispiam improbus dixerit. omnes legiones, omnes copiæ, quæ ubique sunt, populi Romani sunt. neque enim legiones quæ Antonium reliquerunt, Antonij potius, quàm Reipubl. fuisse dicuntur. Omne enim exercitus, & imperij ius amittit is, qui eo imperio, & exercitu Rempublicam oppugnat. quòd si ipsa Respubl. iudicaret, aut si omne ius decretis eius statueretur,

a Extenuat opes Antonii.

b Amplificat eius celeritatem, vt ostendat periculum.

c Enthymema ex contrariis.

*uix

d Criminatur vltra præscriptum occupauisse, vt consilium belli arguat.

tur, Antoniónе an Bruto legiones populi Ro. adiudicaret? alter adnolaret ſubitò ad direptionem, peſtémq; ſociorum: & quacunq; iret, omnia uaſtaret, diriperet, auferret, exercitu Pop. Ro. contra ipſum populum Rom. uteretur. alter uerò eam ſibi legem ſtatueret, ut quocunque ueniſſet, lux ueniſſe quædã, & ſpes ſalutis uideretur. denig; alter ad euertendam Remp. præſidia quærebat, alter ad conſeruandã. [a] Nec uerò nos hoc magis uidebamus, quàm ipſi milites: à quibus tanta in iudicando prudẽtia non erat poſtulãda. Cum VII. cohortibus iſſe Apolloniã ſcribit Antonium: qui iam aut captus eſt (quod dij dẽt) aut certè homo uerecundus in Macedoniam nõ accedit, ne contra Senatum feciſſe uideatur. Delectus habitus in Iacedonia eſt ſummo Qu. Hortenſii ſtudio, & induſtria. cuius animum egregium, digniúmq; & ipſo & maioribus ſuis ex Bruti literis perſpicere potuiſtis. Legio, quam L. Piſo ducebat, Legatus Antonij, Ciceroniſe filio meo tradidit. equitatus, qui in Syriam ducebatur bipartito, alter eũ, à quo ducebatur, reliquit in Theſſalia, ſeſéq; ad Brutum contulit: alterum in Macedonia Cn. Domitius adoleſcens ſumma uirtute & conſtantia ab Legato Syriaco abduxit. P. autem Vatinius, qui & antè iure laudatus à nobis, & hoc tempore meritò laudandus eſt, aperuit Dirrhachij portas Bruto, & exercitum tradidit. Tenet igitur populus Rom. Macedoniã, tenet Illyricum, tuetur Græciam: noſtræ ſunt legiones, noſtra leuis armatura, noſter equitatus, maximéque noſter eſt Brutus, ſempérq; noſter, cùm ſua excellẽtiſſima uirtute Reip. natus, tum fato quodam paterni, materniq; generis & nominis. [b] Ab hoc igitur quiſquam bellum timet, qui antequam nos id coacti ſuſcepimus, in pace iacere, quàm in bello uigere maluit? [c] quanquam ille quidem

a Laudat obiter milites, & iudicium eorũ probat.

b Reprehendit metum periculi à Bruto, & ex moribus illius & ſingulari uirtute ſuſpicionem remouet.

c Correctio.

num

nunquã iacuit, nec hoc cadere uerbum in tantam uirtutis præstantiã potest. Erat enim in desiderio ciuitatis, in ore, in sermone omnium. Tantum autem aberat à bello, ut cùm cupiditate libertatis Italia arderet, [a]defuerit ciuium studiis potius, quàm eos in armorũ discrimen adduceret. Itaq; illi ipsi, si qui sunt, qui tarditatẽ Bruti reprehendant, tamen iidem moderationem, patientiámq; mirantur. [b] Sed iam uideo, quid loquantur: neq; enim id occultè faciunt. timere se dicunt quomodo ferãt ueterani, exercitum Brutum habere. [c] quasi uerò quicquã interfit inter A. Hircij, C. Pansæ, D. Bruti, C. Cæsaris, & hunc exercitum M. Bruti. Nam si quatuor exercitus ij, de quibus dixi, propterea laudãtur, quòd pro Pop. Ro. libertate arma ceperunt, quid est cur M. Bruti exercitus non in eadem causa reponatur? At enim ueteranis suspectũ est nomen M. Bruti magis quàm Decimi. Equidem non arbitror. etsi est enim Brutorum cõmune factũ & laudis societas æqua: *eò tamen D. Bruto iratiores sunt omnes ij, qui id factum dolebant, quò minus ab illo rem illã dicebant fieri decuisse. Quid ergo nũc agunt tot exercitus, nisi ut obsidione Brutus liberetur? qui autẽ hos exercitus ducũt? [d]hi, credo, qui Cæsaris res actas euerti, qui causam ueteranorum prodi uolunt? si ipse uiueret Cæsar, acrius, credo, acta sua defenderet, quàm uir fortissimus defendit Hircius? *aut amicior causæ potest inueniri, quàm filius? At eorum alter nondum ex longinquitate grauissimi morbi recreatus, quicquid habuit uirium, id in eorum libertatem defendẽdam contulit, quorum uotis iudicauit se à morte reuocatum: alter uirtutis robore firmior, quàm ætatis, cum istis ipsis ueteranis ad D. Brutum liberandum profectus est. igitur illi certissimi, iidémque acerrimi Cæsaris actorum patroni, pro

a Ex antefactis.

b Occurrit & respõdet de uoluntate veteranorũ, quos negat molestè laturos esse quoniam eorum causa & Bruti eadem sit.

c Respondet Cicero per εἰρωνείαν.

*Legitur in uulgatis codicibus. æquius tamen D. Bruto irati sunt omnes hi, &c.

d εἰρωνείᾳ.

*an amicior causæ quisquam potest.

D. Bruti ſalute bellum gerunt: quos ueterani ſequuntur. de libertate enim Po. Ro. nõ de ſuis commodis armis decernendum uident.[a] *Quid eſt igitur, cur iis, qui D. Brutum omnibus copiis conſeruatum uelint, M. Bruti ſit ſuſpectus exercitus? An uerò ſi quid eſſet, quod à M. Bruto timendum uideretur,*[b] *Panſa id non uideret? aut ſi uideret, non laboraret? quis aut ſapientior ad coniecturam rerum futurarum, aut ad propulſandum metũ diligentior?*[c] *Atqui huius animum erga M. Brutum ſtudiúmque uidiſtis. præcepit oratione ſua quid decernere nos de Bruto, quid ſentire oporteret: tantúmq; abfuit, ut periculoſum Reip. M. Bruti putaret exercitum, ut in eo firmiſſimum Reip. præſidium, & grauiſſimum poneret. Scilicet hæc Panſa aut non uidet (hebeti enim ingenio eſt) aut negligit? quæ enim Cæſar egit, ea rata eſſe non curat: de quibus confirmandis, & ſanciẽdis legem comitiis Centuriatis ex autoritate noſtra laturus eſt. Deſinãt igitur aut ij, qui non timent, ſimulare ſe timere, ſe proſpicere Reip. aut ij qui omnia uerentur, nimiũ eſſe timidi: ne illorum ſimulatio, horum ſit ignauia.*[d] *Quæ (malùm) eſt iſta ratio, ſemper optimis cauſis ueteranorum nomẽ opponere? quorum etiam ſi amplecterer uirtutem, ut facio: tamen ſi eſſent arrogantes, non poſſem ferre faſtidium. An nos conantes ſeruitutis uincula rumpere, impediet, ſiquis ueteranos id nolle dixerit? nõ ſunt enim, credo, innumerabiles, qui pro communi libertate arma capiant? nemo eſt præter ueteranos milites uir, qui ad ſeruitutem propulſandã ingenuo dolore excitetur? poteſt igitur ſtare Reſp. freta ueteranis ſine magno ſubſidio iuuentutis? quos quidẽ uos libertatis adiutores complecti debetis, ſeruitutis autores ſequi non debetis.*[e] *Poſtremò (erumpat enim aliquando uera & me digna uox) ſi ueteranorum*

a Accommodat comparationem ad rem.

b Ab autoritate Panſæ, Brutũ metuendũ non eſſe.

c ἀντίθετον.

d Inſurgit acrius & negat ueteranis ſeruiendum eſſe, ſi arrogãtes ſint.

e Deteſtatur turpitudinem ſeruitutis, & delabitur ad incitationem capeſſẽdæ libertatis.

nutu

ciuitu mentes huius ordinis gubernantur, omniáq; ad eorum uoluntatem dicta factáq; nostra referuntur: optanda mors est, quæ ciuibus Romanis semper fuit seruitute potior. omnis est enim misera seruitus: sed fuerit quædã necessaria: ecquódnam principium putatis libertatis capessendæ? an cùm illum necessarium, & fatalem penè casum non tulerimus, hunc feremus uoluntariũ? tota Italia desiderio libertatis exarsit? seruire[a] *diutius non potest ciuitas: serius Pop. Rom. hunc uestitum, atq; arma dedimus, quàm ab eo flagitati sumus: magna nos quidẽ spe, & propè explorata, libertatis causam suscepimus.*[b] *Sed ut concedam incertos exitus esse belli, Martémque communem: tamen pro libertate, uitæ periculo decernendum est. non enim in spiritu uita est, sed ea nulla est omnino seruienti. omnes nationes seruitutem ferre possunt,*[c] *nostra ciuitas non potest: nec ullam aliam ob causam, nisi quòd illæ laborem, dolorémque fugiunt, quibus ut careant, omnia perpeti possunt: nos ita à maioribus instituti, atque imbuti sumus, ut omnia consilia, atq; facta ad uirtutem, & dignitatem referamus. ita præclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda. Quòd si immortalitas consequeretur præsentis periculi fugam, tamen eò magis ea fugienda esse uideretur, quò diuturnior esset, seruitus: cùm uerò dies & noctes omnia nos undique fata circũstent, non est uestri nominísque Romani dubitare, eum spiritum, quẽ naturæ quis debeat, patriæ reddere.*[d] *Concurritur undiq; ad commune incendium restinguẽdum: ueteranique primi Cæsaris autoritatem secuti conatum Antonij repulerunt: pòst eiusdem furorem Martia legio fregit, Quarta afflixit. Sic à suis legionibus cõdemnatus irrupit in Galliam, quam sibi armis, animísq; infestam,*

a A tempore.

b Occurrit oppositioni.

c A virtute & disciplina Romana.

d A facultate opprimẽdi Antonii.

feſtam, inimicámq; cognouit. hunc A. Hircij, C. Cæſaris exercitus inſecuti ſunt: pòſt Panſæ delectus urbem, totámque Italiam erexit: [a] *unus eſt omnium hoſtis: quanquam habet ſecum L. fratrem chariſſimum Pop. Ro. ciuem, cuius deſideriũ ciuitas ferre diutius nõ poteſt. quid illa tetrius bellua? quid immanius? qui ob eã cauſam natus uidetur, ne omnium mortalium turpiſſimus eſſet Antonius. eſt unà Trebellius, qui iam cum tabulis nouis redit in gratiam: T. Plancus, cæteri pares: qui id pugnant, id agunt, ut contra Remp. reſtituti eſſe uideantur: ſolicitant homines imperitos* *Saxa *& Caphones, ipſi ruſtici atque agreſtes, qui hanc Remp. nec uiderunt unquam, nec uidere conſtitutam uolũt: qui non Cæſaris, ſed Antonij acta defendunt, quos auertit agri Campani infinita poſſeſſio: cuius eos non pudere miror, cùm uideant ſe mimos, & mimas habere uicinos.* [b] *Ad has peſtes opprimendas quid eſt cur moleſtè feramus, quòd M. Bruti acceſſit exercitus? immoderati, credò, hominis, & turbulenti, uide, ne nimium penè patientis: etſi in illius uiri conſilijs atque factis, nec nimium, nec parum fuit unquam. Omnis uoluntas M. Bruti P. C. omnis cogitatio, tota mens, autoritatem Senatus, libertatem Po. Ro. intuetur: hæc habet propoſita, hæc tueri uult: tentauit quid patientia proficere poſſet: nihil cùm proficeret, contra uim ui experiendum putauit. Cui quidem P. C. uos idem tribuere hoc tempore debetis, quod ad* XIII. *Cal. Ian. D. Bruto & C. Cæſari me autore tribuiſtis: quorum priuatum de Rep. conſilium & factum autoritate ueſtra eſt comprobatum, atque laudatum, quod idem in M. Bruto facere debetis, à quo inſperatum, & repentinum Reipub. præſidium legionum, equitatus, auxiliorum magnæ & firmæ copiæ comparatæ ſunt: adiungendúsque eſt*

a Cõtemnit vires Antonii, & nominatim quoſdam vituperat.

* Saxa Capho

b Ad Brutum redit.

Hortensius, qui cùm Macedoniam obtineat, adiutorem se Bruto ad comparandũ exercitum fidelissimum, & constantissimum præbuit. nam de M. Apuleio seperatim censeo referẽdum: cui testis est per literas Brutus, eum principem fuisse ad conatum exercitus cõparãdi.

a *Quæ cùm ita sint, quòd C. Pansa Consul uerba fecit de literis, quæ à Qu. Cæpione Qu. F. Bruto Proconſ. allatæ & huic ordini recitatæ sunt, de ea re ita censeo:* CVM *Qu. Cæpionis Bruti Proconsulis opera, consilio, industria, & uirtute, difficillimo Reip. tẽpore prouincia Macedonia, Illyricum, cuncta Græcia, legiones, exercitus, equitatus in Consulum, Senatus, Populíq; Ro. potestate sint: id Qu. Cæpionem Brutũ Proconſ. bene & è Rep. & ex sua, maiorúmq; suorum dignitate, consuetudinéq; Reip. bene gerendæ fecisse, eámq; rem Senatui populóq; Rom. gratam esse & fore: utiq; Qu. Cæpio Brutus Procõſ. prouinciam Macedoniam, Illyricum, totámq; Græciam tueatur, defendat, custodiat, incolumémq; cõseruet, eíq; exercitui, quem ipse constituit, comparauit, præsit, pecuniáque ad rem militarem, siqua opus sit, quæ publica sit, & exigi possit, utatur, exigátq; à quibus uideatur ad rem militarem mutuam sumat, frumentum imperet, operámque det, ut cum suis copiis quàm proximè Italiam sit: cúmque ex literis Qu. Cæpionis Bruti Procõſ. intellectum sit, Qu. Hortensii Proconsulis opera, & uirtute uehementer Rempublicam adiutam, omniáq; eius consilia cum consiliis Qu. Cæpionis Bruti Proconsulis coniuncta fuisse, eámque rem magno usui Reipub. fuisse: Qu. Hortensium Procõſ. rectè, & ordine éxq; Republica fecisse: Senatuíq; placere Qu. Hortẽsium Proconsulẽ cum Qu. Cæpione Procõſ. & legatis suis Macedoniam prouinciã obtinere, quoad ei ex S. C. successum sit.*

a Format sententiã & concludit.

IN M.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA VNDECIMA.

ORATIO LIIII.

a Incipit à deploratione mortis Trebonii, quam statim cõfert ad amplificandã Dolabellæ & Antonii crudelitatem.

MAGNO [a] *in dolore ſum P.C. uel mœrore potius, quem ex crudeli & miſerabili morte C. Trebonij optimi ciuis, moderatiſſimique hominis accepimus: ineſt tamen aliquid, quod Reip. profuturum putem. perſpeximus enim, quanta in iis, qui contra patriam ſcelerata arma ceperunt, ineſſet immanitas. nam duo hæc capita nata ſunt poſt homines natos teterrima & ſpurciſſima, Dolabella, & Antonius: quorũ alter effecit, quod optabat: de altero*

b Contraria exẽpla, quibus amplificat crudelitatẽ Dolabellæ.

patefactum eſt, quid cogitaret. [b] *L. Cinna crudelis: C. Marius in iracundia perſeuerans: L. Sylla uehemens: neq; ullius horũ in ulciſcendo acerbitas progreſſa ultra mortẽ eſt: quæ tamen pœna in ciues nimis crudelis putabatur. Ecce tibi geminũ in ſcelere par, inuſitatum, inauditum, ferum, barbarũ. Itaq; quorum ſummum quõdam inter ipſos odiũ, bellúmq; meminiſtis, eos dẽ poſtea ſingulari inter ſe cõſenſu, & amore deuinxit impuriſſimæ naturæ & turpiſſimæ uitæ ſimilitudo. Ergo id, quod fecit Dolabella, in quo potuit, multis idẽ minatur Antonius. ſed ille cùm procul abeſſet à Cõſulibus, exercitibúſq; noſtris, necdũ Senatum cum Po. Ro. cõſpiraſſe ſenſiſſet: fretus Antonij copijs ea ſcelera ſuſcepit, quæ iã Romæ ſuſcepta arbitrabatur à ſocio* **furoris.* [c] *Quid ergo hunc aliud moliri, quid optare cenſetis? aut quã omnino cauſam eſſe belli?* [d] *omnes, qui liberè de Rep. ſenſimus, qui dignas nobis ſentẽtias diximus, qui Po. Ro. liberũ eſſe noluimus, ſtatuit ille quidẽ nõ inimicos, ſed hoſtes: maiora*

**furoris ſui*

c Amplificat ex conſilio Dolabellæ.

d Reſpõdet per ſubiectionem oratoriã.

in nos, quàm in hostẽ, supplicia meditatur: mortem naturæ pœnam putat esse, iracundiæ tormenta atq; cruciatum. qualis igitur hostis habendus est is, à quo uictore si cruciat⁹ absit, mors in beneficij parte numeretur? [1] *Quã obrem P.C. quanquã hortatore non egetis (ipsi enim nestra sponte exarsistis ad libertatis recuperandæ cupiditatem) tamen eo maiore studio libertatem defendite, quo maiora proposita uictis supplicia seruitutis uidetis. In Galliam inuasit Antonius, in Asiam Dolabella: in alienam uterq; prouinciam: alteri se Brutus obiecit, impetũq; furentis, atq; omnia diuexare & diripere cupientis, uitæ suæ periculo: colligauit, à progressu arcuit, à reditu refrænauit: obsideri se passus ex utraq; parte constrinxit Antonium. alter in Asiã irrupit cursim, *ut in Syriam patebat uia certa, neq; lõga. quid opus fuit cum legione, præmisso Marso nescio quo Octauio, scelerato latrone, atq; egẽte, qui popularetur agros, uexaret urbes, non ad spem constituendæ rei familiaris, quam tenere eum posse negant qui norunt (mihi enim hic Senator ignotus est) sed ad præsentem pastum mendicitatis suæ? Consecutus est Dolabella nulla suspicione belli. quis enim id putaret?* [b] *secutæ collocutiones familiarissimæ cum Trebonio: complexú; q; summæ beneuolentiæ falsi indices extiterunt in amore simulato: dextræ, quæ fidei testes esse solebant, perfidia sunt & scelere uiolatæ. Qui nocturnus introitus in Smyrnã, quasi in hostium urbem, quæ est fidelissimorum antiquissimorúmq; sociorum? oppressus Trebonius, si ut ab eo, qui aperte hostis esset, incautus: si ut ab eo, qui ciuis etiam tum speciem haberet, miser.* [c] *Ex quo nimirum documentum nos capere fortuna uoluit, quid esset uictis extimescendum. Consularem hominem Cõsulari imperio prouinciam Asiam obtinentem Samario exuli tradi*

* cui in Syr.

a Hortatur à communi periculo, vt caueant ab Antonio & libertatem defendant.

b Obiter excusat imprudẽtiã Trebonii in insidiis cauendis.

c Conuertit narrationem ad scopum.

tradidit: interficere statim captum noluit, ne nimis, crédo, in uictoriis liberalis uideretur: cùm uerborum contumeliis optimum uirum incesto ore lacerasset, tum uerberibus ac tormentis quæstionem habuit pecuniæ publicæ, idq; per biduũ pòst ceruicibus caput abscidit, idq; fixum gestari iussit in pilo: reliquum corpus tractum atq; laceratum abiecit in mare. Cum hoste hoc bellandum est, cuius teterrima crudelitate omnis Barbaria superata est.

a Prorumpit in affectum & parẽ crudelitatẽ confert in Antoniũ.

a Quid loquar de cæde ciuũ Ro. de direptione fanorũ? quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? & nunc tota Asia uagatur, uolitat ut Rex, nos alio bello detineri putat. quasi uerò non unũ idémq; bellum sit contra hoc iugum impiorum nefarium. Imaginem Antonij crudelitatis in Dolabella cernitis: ex hoc illa effecta est: ab hoc illa Dolabellæ scelerum præcepta sunt tradita. num leniorẽ, quàm in Asia Dolabella fuit, in Italia, si liceat, fore putatis Antonium? mihi quidem & ille peruenisse uidetur, quoad progredi potuerit feri hominis amentia: neq; Antonius ullius supplicij adhibendi, si potestatem habeat, ullam partem est relicturus.

b Facit ὑποθύπωσιν.

b Ponite igitur ante oculos P. C. miseram quidem illam & flebilem speciem, sed adincitãdos animos uestros necessariam, nocturnum impetum in urbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum in Trebonij domũ, cùm ille miser prius latronum gladios uideret, quàm quæ res esset, audisset: furentis introitum Dolabellæ, uocẽ impuram, atq; os illud infame, uincula, uerbera, eculeũ, carnificem, tortorémq; Samariũ, quæ tulisse illum fortiter, & patienter ferunt. Magna laus, meóq; iudicio omniũ maxima. c *est enim sapiẽtis, quicquid homini accidere possit, id præmeditari* ★ *ferẽdũ modicè, si aduenerit, esse. maioris est omnino consilij, prouidere, ne quid tale accidat: sed ani-*

c Locus communis.

★ *ferendum modicè esse, si euenerit.*

ſed animi non minoris, fortiter ferre ſi euenerit. Ac Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis, quanquàm eius nunquam particeps fuerit, ut ſuam inſatiabilem crudelitatem exercuerit non ſolùm in uiuo, ſed etiã in mortuo, ac in eius corpore lacerando atque uexando, cùm animum ſatiare non poſſet, oculos pauerit ſuos. [a] *ô multò miſerior Dolabella, quàm ille, quẽ tu miſerrimum eſſe uoluiſti.* [b] *Dolores Trebonius pertulit magnos: multi, ex morbi grauitate maiores: quos tamen non miſeros, ſed laborioſos dicere ſolemus. longus fuit dolor bidui: at compluribus hominibus annorum ſæpe multorum, nec uerò grauiora ſunt carnificum tormenta, quàm interdũ cruciamenta morborum. Alia ſunt, alia, inquam, ô perditiſſimi homines, & amentiſſimi, multò miſeriora. Nam quò maior uis eſt animi, quàm corporis, hoc ſunt grauiora ea, quæ concipiuntur animo, quàm illa, quæ corpore.* [c] *miſerior igitur, qui ſuſcipit in ſe ſcelus, quàm is, qui alterius facinus ſubire cogitur. Cruciatus eſt à Dolabella Trebonius: & quidem à Carthaginienſibus Regulus. in qua re cũ crudeliſſimi Pœni iudicati ſint in hoſte,* [d] *quid in ciue Dolabella iudicandus eſt? An uerò hoc conferendum eſt? an dubitandum uter miſerior: íſne, cuius mortem Senatus populúſq; Ro. ulciſcetur: an is, qui cuncti Senatus ſententia hoſtis eſt iudicatus?* [e] *nam cæteris quidem uitæ partibus, quis eſt, qui poſſit ſine Trebonij maxima contumelia conferre uitam Trebonij cũ Dolabella?* [f] *alterius conſilium, ingenium, humanitatem, innocentiam, magnitudinẽ animi in patria liberanda, quis ignorat? alteri à puero pro delicijs crudelitas fuit: deinde ea libidinũ turpitudo, ut in hoc ſit ſemper lætatus, q; ea faceret, quæ ſibi obiici ne ab inimico quidem poſſent uerecundo.* [g] *Et hic, dij immortales, aliquãdo fuit meus amicus.*

a Conuertitur ad Dolabellam.

b Eſt locus communis ex philoſophia.

c Epiphonema.

d Ex minori.

e Negat vllam collationem eſſe poſſe. Totus locus affectum habet duplicem, alterum Dolabellæ, & alterũ Trebonii. Eſt rhetorica apophaſis, augendi cauſa.

f Hoc dicit, quia ſocius fuit coniurationis in C. Cæſarem.

g Purgatio ab imprudentia, quòd aliquãdo amicus fuerit Dolabellæ.

occulta enim erant uitia non inquirenti. neq; nunc fortasse alienus ob eo essem, nisi ille uobis, nisi mœnibus patriæ, nisi huic urbi, nisi diis penatibus, nisi aris, & focis omnium nostrum, nisi denique naturæ & humanitati inuentus esset inimicus. à quo admoniti diligentius & uigilantius caueamus Antonium. [a] *Etenim Dolabella non ita multos secum habuit notos, ac insignes latrones: at uidetis quos & quàm multos habeat Antonius: primùm L. fratrem, quam facem dij immortales? quod facinus? quod scelus? quem gurgitem? quam uoraginem? quid eũ non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cuius sanguinem non bibere censetis? in cuius possessiones atq; fortunas, non impudentissimos oculos spe, & mente dejigere? Quid Censorinum, qui se uerbo Prætorem esse urbanum cupere dicebat, re certè noluit? quid Bestiam, qui se Consulatum in Bruti locũ petere profitetur? atq; hoc quidẽ detestabile omẽ auertat Iupiter. quã absurdũ autem, qui Prætor fieri non potuerit, eũ petere Consulatũ? nisi fortè dãnationẽ pro Prætura putat. Alter Cæsar, Vopiscus, ille homo summo ingenio, summa potentia, qui ex Aedilitate Consulatũ petit, soluatur legibus: quanquã leges eum non tenẽt. credo dignitate. at hic me defendẽte quinquies absolutus est. sexta palma urbana etiam in gladiatore difficilis. sed hæc iudicum culpa, non mea est. ego defendi fide optima: illi debuerũt clarissimũ, & præstantissimũ Senatorẽ in ciuitate retinere. qui tamen nũc nihil aliud agere uidetur, nisi ut intelligam illos iudices, quorũ res iudicatas irritas fecimus, bene, & è Rep. iudicauisse. Neq; hoc in hoc uno est. sunt alij in eisdem castris honestè cõdemnati, turpiter restituti. quod horũ consiliũ, qui omnibus bonis hostes sunt, nisi crudelissimũ putatis fore? Accedit Saxa nescio quis, quẽ nobis Cæsar ex ultima Celti*

[a] Redit ad Antonium, & monet etiã amplius ab eo cauendum esse: demonstrat quot habeat socios sceleris impulsores.

ma Celtiberia Trib.pleb.dedit, castrorũ anteà metator, nunc,ut sperat,urbis:à qua cùm sit alienissimus,* captis aliys nobis dominetur. Cum hoc ueteranus Caplo: quo neminem ueterani peius oderunt. His,quasi præter dotẽ, quam in ciuilibus malis acceperant, agrũ Campanum est largitus Antonius,ut haberẽt* aliquorum nutriculas prædiorum:quibus utinã contenti essent:ferremus: etsi intolerabile non erat: sed quidnis patiendum fuit,ut hoc terrimum bellum non haberemus.[a] Quid illa castrorum M. Antonij lumina, nónne ante oculos proponitis?primùm duos Collegas Antoniorũ, & Dolabellæ, Nuculã, et Lentonẽ, Italiæ diuisores lege ea,quã Senatus per uim latã iudicauit. quorũ alter cõmentatus est Mimos, alter egit Tragœdiã. Quid dicam de Appulo Domitio?cuius bona modò proscripta uidimus: tanta procuratorum est negligentia. At hic nuper sororis filio insudit uenenum, non dedit.[b] Sed non possunt non prodigè uiuere, qui nostra bona sperant, cùm effundunt sua. Videte etiam P. Decij auctionem[c] clarissimi uiri qui maiorum suorum exempla persequens,* pro alieno se ære deuouit.[d] emptor tamen in ea auctione inuentus est nemo. ô hominem ridiculum, qui se exire ære alieno putaret posse cùm uenderet aliena. Nam quid ego de Trebellio dicam? * quàm multæ uidentur furiæ debitorũ? uindicis enim tabularũ nouarũ nouã tabulã uidimus. quid de Plãco? * qui præstãtissimos ciues Aquila, Pollẽtia expulit, & quidẽ crure fracto: quod utinam antè illi accidisset, ne huc redire potuisset. Lumen & decus illius exercitus penè prætery, Caninium Cimbrũ Lysidici filiũ,[e] Lysidicũ ipsum Graco uerbo, qui omnia iura dissoluit: nisi fortè iure germanũ Cimber occidit. Cùm hanc, & huius generis copiã tantã habeat Antonius, quod scelus omittet, cũ Dolabella tãtis

* suo capiti salutis nobis ominetur, * reliquorũ

a Ordine propenitit plures

b Perstat in ioco.

c Ironia.

* Quidã codices sic habẽt: pro alieno se ære deuouit emptori. ô hominem ridicul.

d Ironia. Nemo voluit emere bona illius clarissimi viri præter Antoniũ. Potest etiam non esse ironia.

* Melius sic: quẽ uliæ uidẽtur furiæ debitorum.

* quẽ præstãtissimus ciuis Aquila, & c. Ita legendũ esse cõstat ex 12. Philipp.

e Quasi iure dissolutum à verbo λύω soluo, & δίκη ius.

se obstrinxerit parricidiis nequaquam pari latronum manu & copia? [a] Quapropter ut inuitus sæpe dissensi à Q. Fusio, ita sum eius sententiæ libenter assensus. ex quo iudicare debetis, me nõ cũ homine solere, sed cum causa dissidere. Itaq; non assentior solùm, sed etiam gratias ago Qu. Fusio. dixit enim seueram, grauem, Repu. dignam sententiam: iudicauit hostem Dolabellã: bona eius censuit publicè possidenda. quo cùm addi nihil posset (quid enim atrocius potuit, quid seuerius decernere?) dixit tamen, si quis eorũ, qui post se rogati essent, grauiorem sententiam dixisset, in eam se iturum. quam seueritatẽ quis potest non laudare? [b] Nunc quoniã iudicatus est hostis Dolabella, bello est persequendus. neq; enim quiescet: habet legionẽ, habet fugitiuos, habet sceleratam impiorum manum: est ipse confidens, impotens, gladiatorio generi mortis addictus. Quamobrẽm quoniam cum Dolabella hesterno die hoste decreto bellum gerendũ est, Imperator est deligendus. [c] Duæ dictæ sunt sentẽtiæ: quarũ neutram probo: alteram, quia semper, nisi cùm est necesse, periculosam arbitror: alteram, quia alienam his temporibus existimo. [d] Nam extraordinarium semper Imperium populare atq; uentosum est, minimè uestræ grauitatis, minimè huius ordinis. [e] Bello Antiochi magno & graui cùm L. Scipioni Publij filio obuenisset Asia, parúmq; in eo putaretur esse animi, parum roboris, Senatúsq; ad Collegam eius C. Lælium huius sapientis patrẽ negotium deferret: surrexit P. Africanꝰ frater maior L. Scipionis, & illam ignominiã familiæ deprecatus est: dixitq; & in fratre suo summã uirtutem esse, summúmq; consiliũ, neq; se ei Legatum id ætatis, iisq; rebus gestis defuturũ. quod cùm ab eo esset dictũ, nihil est de Scipionis prouincia cõmutatũ: nec plus extraordinariũ Imperiũ ad id bellum

quæsi

a Comprobat Fusij sententiam. & suspicionem leuitatis remouet.

b Trapsit ad alteram partem de imperatore eligendo.

c Propositio bipartita.

d Proposuit duas sententias, nunc pergit improbare.

e Exemplo probat extraordinarium Imperium semper à maioribus improbatum fuisse semperque ordinarium quæsitum.

quæsitum, quàm duobus antea maximis Punicis bellis, quæ à Consulibus aut à Dictatoribus gesta* & consummata sunt: aut quàm Pyrrhi, quàm Philippi, quàm pòst Achaico bello, [a] quàm Punico tertio: ad quod Pop. Ro. ita ipse sibi delegit idoneum ducem P. Scipionem, ut eum tamen bellum gerere Consulem uellet. Cum Aristonico bellum gerendum fuit L. Valerio, P. Licinio Consulibus. rogatus populus, quem id bellum gerere placeret: Crassus Consul, Pontifex Max. Flacco Collegæ Flaminì Martiali mulctam dixit, si à sacris discessisset. quã mulctam Populus remisit, Pontifici tamen Flaminẽ parêre iussit. sed ne tum quidem Pop. Ro. ad priuatum detulit bellum: quanquàm erat Africanus, qui anno antè de Numantinis triumphauerat: qui cũ longè omnes belli gloria & uirtute superaret, duas tantùm tribus tulit. Ita Pop. Ro. Consuli potius Crasso, quàm priuato Africano bellum gerendum dedit. [b] De Cn. Põpeij imperijs summi uiri, atq; omnium principis, Tribuni plebis [c] turbulenti tulerunt. nam Sertorianum bellum à Senatu priuato datum est, quia Cõsules recusabant: cum L. Philippus pro Consulibus se eum mittere dixit, nõ* Procõsulem. Quæ igitur hæc comitia? aut quam ambitionem constantissimus & grauissimus ciuis L. Cæsar in Senatum introduxit? clarissimo uirõ atque innocentissimo decreuit Imperium, priuato tamẽ. in quo maximũ nobis onus imposuit. assensero. ambitionem induxero in Curiam. negauero: uidebor suffragio meo, tanquam comitiis, honorem homini amicissimo denegauisse. Quòd si comitia placet in Senatu habere, petamus, ambiamus, * tabula modò noua detur nobis, sicut populo data est. cur comitiis Cæsar? ita ut aut præstantissimus uir, si tibi non sit assensum, repulsam tulisse uideatur: aut unusquisq; nostrũ præteritus si

* & cõsummat. duæ hæ dictiones in quibusdã codicibus non leguntur.

a Colligit multa exempla.

b Occurrit contrario exemplo Pompeii & dissimilitudinẽ ostendit.

c In verbo est posita infirmatio. Fuerunt Gabinius & Mummius, quorum alter Piraticum, alter Mithridaticũ lege ad populum lata mandauerat.

* pro Cõsule

* modò tabella detur nobis

cùm pari dignitate ſimus, eodem honore digni non putemur.[a] At enim (nam id exaudio) C. Cæſari adoleſcentulo imperium extraordinariũ mea ſententia dedit. Ille enim mihi præſidium extraordinarium dederat. cùm dico mihi, Senatui dico, populóq; Ro. A quo Reſp. præſidium ne cogitatum quidem tantum haberet, ut ſine eo ſalua eſſe non poſſet, huic extraordinarium Imperium non darem? aut exercitus adimẽdus, aut imperium dandum fuit. quæ eſt enim ratio? aut quî poteſt fieri, ut ſine Imperio teneatur exercitus? Non igitur, quod ereptum non eſt, eſt id exiſtimandum eſſe datum. eripuiſſetis C. Cæſari P. C. imperium, niſi dediſſetis. milites ueterani, cui illius autoritatem, imperium, nomen ſecuti pro Rep. arma ceperãt, uolebant ſibi ab illo imperari: legio Martia, & Quarta, ita ſe contulerat ad autoritatẽ Senatus, populíq; Ro. dignitatem, ut eũ deposcerent Imperatorẽ, & ducem. Cæſari bellum neceſſitas, faſces Senatus dedit. otioſo uerò, nihil agenti, priuato,[b] obſecro te L. Cæſar (cũ peritiſſimo homine mihi res eſt) quando imperium Senatus dedit?[c] Sed de hoc quidem hactenus, ne refragari homini amiciſſimo, ac de me optimè merito uidear. et ſi quis poteſt refragari non modò non petenti, uerùm etiam recuſanti?[d] Illa uerò P. C. aliena Conſulum dignitate, aliena temporum grauitate ſententia eſt. Vt Conſules Dolabellæ perſequendi cauſa Aſiam & Syriam ſortiãtur. Dicam cur inutile Reip. ſed prius, quam turpe Cõſulibus ſit, uidete. Cùm Conſul deſignatus obſideatur, ineóq; liberando ſalus ſit poſita Reip. cúmq; à Repu. peſtiferi ciues, parricidæq; deſciuerint: cúmq; id bellũ geram, quo bello de dignitate, de libertate, de uita decernamus, & ſi in poteſtatem quis Antonij uenerit, propoſita ſint tormẽta, atq; crucitatus: cúmq; harũ rerũ omniũ decertatio Con

a Occurrit obiectioni & diſſimilitudinẽ in Octauio Cæſare oſtẽdit. idem fecit ſupra de Pompeio.

b Κατηγορῶν.

c Abrumpit hîc locum.

d Venit ad alteram ſententiam, quam bifariam reprehendit.

tio Consulibus optimis & fortissimis commissa, & commendata sit: Asiæ & Syriæ mentio fiet, ut aut suspicioni crimen, aut inuidiæ[a] materiã dedisse uideamur?[b] At uerò ita decernunt, ut liberato Bruto, id enim restabat, ut relicto, deserto, prodito. Ego uerò mentionẽ omnino prouinciarũ factam dico alienissimo tẽpore. quanuis enim intẽtus animus tum sit C. Pansa, sicut est, ad fortissimũ uirum, & omnium clarissimũ liberandum: tamen rerũ [c]natura cogit te necessariò referre animum aliquãdo ad Dolabellam persequendũ, & partẽ aliquam in Asiã & Syriam deriuare curæ & cogitationis tuæ. Si autem fieri posset, uel plures te animos habere uellẽ, quos omnes ad Mutinam intẽderes. quod quoniam fieri nõ potest, *isto animo, quem habes præstãtissimum, atq; optimum, nihil uolumus nisi de Bruto cogitare. facis tu id quidẽ, & eò maximè incumbis: duas tamen res, magnas præsertim, nõ modò agere uno tempore, sed ne cogitãdo quidẽ explicare quisquam potest. incitare, & inflammare tuũ istud præstantissimum studium, non ad aliam ulla ex parte curam trãsferre debemus. [d] Adde istuc sermones hominũ, adde suspiciones, adde inuidiã. imitarè me, quem tu semper laudasti: qui instructã, ornatámq; à Senatu prouinciam deposui, ut incendium patriæ omissa omni cogitatione restinguerem. nemo erit, præter unum me, quicum profectò, si quid interesse putasses tua, pro summa familiaritate nostra cõmunicasses, qui credat te inuito prouinciam tibi esse decretã. Hanc quæso pro tua singulari sapientia reprime famã atq; effice, ne id quod non curas, cupere uideare. Quod quidem uehementius eò tibi laborandum est, quia in eandem cadere suspicionẽ [e] collega uir clarissimus non potest: nihil horum scit, nihil suspicatur: bellum gerit: in acie stat: de sanguine, & de spiritu decertat: an

a Hoc addit epiphonematicôs.
b Occurrit defensioni & negat cõmittendum esse, vt Pansæ animus à cura liberandi Bruti distrahatur, neque id fieri posse.
c Conditio rerum subest. ἀνθυποφορὰ in hac sententia.
* isto te animo
d Obtẽdit turpe fore Pãsæ, si Bruto deserto Syriã expetisse videatur.
e Auget comparatione collegæ.

tat: antè prouinciã sibi decretam audiet, quàm potuerit tempus ei rei datũ suspicari. [a] Vereor ne exercitus quoq; nostri, qui non delectus necessitate, sed uoluntariis studiis se ad Remp. contulerunt, tardentur animis, si quicquam aliud à nobis, nisi de instanti bello cogitatum putabunt. [b] Quòd si prouinciæ Cõsulibus expetendæ uidẽtur, sicut sæpe multis clarissimis uiris expetitæ sunt: reddite prius nobis Brutum, lumen & decus ciuitatis: quo ita conseruandus est, ut id signum, quod de cœlo delapsum Vestæ custodiis continetur: quo saluo, saluissimus futuri. *hũc uel in cælũ, si fieri poterit, humeris nostris tollemus: prouincias certè dignissimas uobis deligemus. nunc quod agitur agamus. agitur autẽ libertine uiuamus, an mortem obeamus: quæ certè seruituti anteponenda est. Quid si etiã affert tarditatem ista sententia ad Dolabellã persequendũ? quando enim ueniet Cõsul? an id expectamus, quòd ne uestigiũ quidẽ Asiæ ciuitatum, atq; urbiũ relinquatur? [c] At mittent aliquem de suo numero. ualde mihi probari potest, qui paulò antè clarissimo uiro priuato imperiũ extra ordinẽ non dedi. [d] At hominẽ dignũ mittẽt. num P. Seruilio dignioreẽ? at eum quidẽ ciuitas nõ habet. Quod ergo ipse nemini putat dandũ, ne à Senatu quidẽ, id ego [e] unius iudicio delatũ comprobẽ? [f] Expedito nobis homine, & parato P. C. opus est, & eo, qui imperiũ legitimũ habeat: qui præterea autoritatẽ, nomẽ, exercitum, perspectũ animum in Rep. liberanda. Quis igitur is est? aut M. Brutus, aut C. Cassius, aut uterq;. Decernerem planè sicut multa. Consulẽ alterum, ambósue, nihil Brutũ colligassemus in Græcia, & eius auxiliũ ad Italiam uergere, quàm ad Asiam maluissemus: nõ ut ex ea acie auxilium haberemus, sed ut ipsa acies subsidiũ haberet etiã transmarinũ. Præterea P. C. M. Brutũ retinet etiã nunc

a Addit incõmodũ turpitudini.

b Occurrit improbationi; & pollicetur Coss. prouincias in aliud tempus.

*tũc uel in cœlũ uos, si fieri

c Occurrit oppositioni.

d Alia oppositio: Sophistæ replicam vocant.

e Ex maiori ad minus.

f Exantithesi venit ad suã sententiam, & decernit Cassio & Bruto imperium mandandum esse.

nunc. C. Antonius, qui tenet Apolloniã magnam urbẽ, & grauem: tenet, opinor, *Hellidem: tenet Amantiam: instat Epiro: urget *Oricum: habet aliquot cohortes, habet equitatum. hinc si Brutus erit traductus ad aliud bellum, Græciã certè amiserimus. Est autem etiã de Brundusio, atq; illa ora Italiæ prouidendum. [a] quanquã miror tandiu morari Antonium. solet enim accipere ipse manicas, nec diutius obsidionis metum sustinere. quod si cõfecerit Brutus, & intellexerit plus se Reip. profuturum, si Dolabellam persequatur, quam si in Græcia maneat: aget ipse per sese. ut adhuc quoq; fecit: neq; in tot incẽdiis, quibus cõfestim succurrendum est, expectabit Senatum. Nam & Brutus, & Cassius multis iã in rebus ipse sibi Senatus fuit. [b] necesse est enim in tanta conuersione & perturbatione omnium rerum, tẽporibus potius parêre, quam moribus. nec enim nunc primùm aut Brutus, aut Cassius salutem libertatémq; patriæ, legem sanctissimã, & morem optimum iudicauit. Itaq; si ad nos nihil referretur de Dolabella persequendo, tamen ego pro decreto putarem, cùm essent tales uirtute, autoritate, nobilitate summi uiri, quorum alterius iam notus nobis est exercitus, alterius auditus. Non igitur Brutus expectauit decreta nostra, cùm studia nosset. neq; enim est in prouinciam suam Cretam profectus: in Macedoniã alienam aduolauit: omnia sua putauit, quæ uos uestra esse uelletis: legiones conscripsit nouas, excepit ueteres: equitatum ad se abduxit Dolabellæ, atq; eum nondum tanto parricidio oblitum, hostem sua sententia iudicauit. nam ni ita esset, quo iure equitatum à Consule abduceret? Quid C. Cassius pari magnitudine animi, & consilij præditus, nónne eo ex Italia consilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam? qua lege? quo iure? eo, quod Iupiter ipse

*Byllidem
*Illyricum

a Facit correctionem, ne videatur confirmare partes aduersariorũ.

b Permittit rem consilio Bruti, & hinc utiliter delabitur ad cõparationem eorum quæ ab illo & Cassio priuato consilio in Græcia & Asia acta fuerãt. Locus habet vim defensionis contra obtrectatores Cassii & Bruti.

ſanxit, ut omnia quæ Reip. ſalutaria eſſent, legitima &
a Elegans definitio & veriſsima. *iuſta haberentur.*[a] *Eſt enim lex nihil aliud, niſi recta, &*
à numine deorũ tracta ratio, imperans honeſta, prohibẽs
cõtraria. Huic igitur legi paruit Caſſius, cùm eſt in Sy-
riam profectus, alienam prouinciam, ſi homines legibus
ſcriptis uterentur: his uerò oppreſſis, ſuã lege naturæ. Sed
b Colligit ſentẽtiam ſuam, & imperium Caſsio decernit. *ut ex ueſtra quoq; autoritate firmetur, cenſeo:*[b] CVM
P. Dolabella, quíq; eius crudeliſſimi, & teterrimi faci-
noris miniſtri, ſocij, adiutores fuerunt, hoſtes Pop. Ro. à
Senatu iudicati ſunt, cúmq; Senatus P. Dolabellã bello
perſequendum ſenſuerit, ut is, qui omnia deorum homi-
númq; iura nouo, inaudito, inexpiabili ſcelere polluerit,
nefarióq; patriæ ſe parricidio obſtrinxerit, pœnas diis, ho
minibúſq; meritas, debitáſq; perſoluat: Senatui placere
C. Caſſium Proconſulem prouinciam Syriam obtinere,
uti qui eam optimo iure prouinciam obtinuerit: eúmq; à
*Statio *Qu. Martio Criſpo Procõſule, L.* Scauro Procõſule,*
*Allieno *A.* Plotio Legato exercitus accipere, eóſque ei tradere:*
cúmq; his copiis, & ſi quas præterea parauerit, bello P.
Dolabellam terra maríq; perſequi: eius belli gerendi cau
ſa, quibus ei uideatur, naues: nautas, pecunias, cæteráq;
quæ ad bellum gerendũ pertineant, ut imperandi in Sy-
ria, Aſia, Bithynia, Ponto, ius poteſtatémq; habeat: útq;
quancunque in prouinciam eius belli gerendi cauſa ad-
uenerit, ibi maius imperium C. Caſſii Procõſ. ſit, quàm
eius erit qui eam prouinciã tum obtinebit. Cùm C. Caſ-
ſius Procõſ. in eam prouinciã uenerit: Regem Deiotarũ
patrem, & Regem Deiotarum filium, ſi ut multis bellis
ſæpenumero imperium populi Ro. iuuerint, item C. Caſ-
ſium Proconſulem copiis ſuis opibúſque iuuiſſent, Sena-
tui populóque Ro. gratum eſſe facturos: itémque ſi cæteri
Reges, Tetrarchæ, Dynaſtæq; feciſſent, S.P.Q.R. *eorum*

officij

officij non immemorem futurũ: utiq; C. Pansa, A. Hircius Consules, alter amboue, si eis uideretur, Rep. recuperata, de prouinciis Consularibus, Prætoriis, ad hunc ordinem primo quoq; tẽpore referãt: interea prouinciæ ab iis à quibus obtinentur, obtineãtur, quoad cuiq; ex S. C. successum sit.[a] Hoc S. cõsulto ardentẽ inflammabitis, & armatum armabitis Cassiũ. nec enim animũ eius potestis ignorare, nec copias. animus is est, quẽ uidetis: copiæ, quas audistis, fortis, & constantis uiri, qui ne uiuo quidem Trebonio Dolabellæ latrociniũ in Syriam penetrare siuisset.[b] Alienus familiaris, & necessarius meus post interitum Trebonij profectus, ne dici quidem se Legatum Dolabellæ uolet. Est Qu. Cæcilij Bassi priuati illius quidem, sed fortis, & præclari uiri, robustus & uictor exercitus. Deiotari Regis & patris, & filij, & magnus, & nostro more [c] instructus exercitus: summa in filio spes, summa ingenij indoles, summáq; uirtus. quid de patre dicã? cuius beneuolentia in populum Ro. est ipsius æquali s ætati: qui nõ solũ socius Imperatorũ nostrorũ fuit in bellis, uerũ etiam dux copiarũ suarũ. quæ de illo uiro Sylla, quæ Muræna, quæ Seruilius, quæ Lucullus, quàm ornatè, quàm honorificè, quàm grauiter sæpe in Senatu prædicauerunt? Quid de Cn. Pompeio loquar? qui unũ Deiotarum in toto orbe terrarũ ex animo amicum ueréque beneuolum, unum fidelem populo Ro. iudicauit. [d] Fuimus imperatores ego, & M. Bibulus in propinquis finitimisq; prouinciis. ab eodem Rege adiuti sumus, & equitatu, & pedestribus copiis. secutum est hoc acerbissimum, & clamitosissimum ciuile bellũ. [e] in quo quid faciendũ Deiotaro? quid omnino rectius fuerit, dicere nõ est necesse: præsertim, cùm contrà, ac Deiotarus sensit, uictoria belli iudicauit: quo in bello si fuit error, communis ei

a Confirmatio ab animo & copiis Cassii.

b Enumerat copias Cassii & amplificat.

c Laudat ab vtili ad amplificandum.

d Colligit testimonia.

e Deiotarus Põpeii partes secutus fuerat quanuis pax melior bello fuisset.

nis ei fuit cum Senatu: sin recta sententia, ne uicta quidem causa uituperanda est. Ad has copias accedent alij Reges, etiam delectus accedẽt. neq; uerò classes deerunt: tanti Tyrij Cassium faciunt, tanti eius in Syria nomen, atq; Phœnicia est. Paratum habet Imperatorẽ C. Cassium P.C. Resp. contra Dolabellam, nec paratũ solùm, a *sed peritum, atq; fortem. magnas ille res gessit ante Bibuli summi uiri aduentũ, cùm Parthorum nobilissimos duces, maximásq; copias fudit, Syriámq; immani Parthorum impetu liberauit. maximã eius, & singularem laudem prætermitto. cuius enim prædicatio nondum omnibus grata est, hanc memoriæ potius, quàm uocis testimonio cõseruemus.* b *Animaduerti P.C. dici iam à quibusdã, exornari etiã nimiùm à me Brutũ, nimiùm Cassium ornari: Cassio uerò sentẽtia mea dominatũ, & principatum dari. Quos ego orno? nẽpe eos, qui ipsi sunt ornamẽta Reip. Quid D. Brutũ, nónne omnibus sentẽtijs semper ornaui? num igitur reprehenditis?* c *an Antonios potius ornarẽ, nõ modò suarũ familiarũ, sed Ro. nominis probra, atq; dedecorà? an Censorinũ ornem in bello hostẽ, in pace sectorẽ? an cætera ex eodem latrocinio naufragia colligam?* d *Ego uerò istos otij, concordiæ, legum, iudiciorum, libertatis inimicos tãtum abest ut ornem, ut effici non possit, quin eos tam oderim, quàm Remp. diligo. Vide, inquit, ne ueteranos offendas. hoc enim uel maximè exaudio.* e *Ego autem ueteranos tueri debeo: sed hos, quibus sanitas est, certè timere non debeo: eos ueteranos, qui pro Rep. arma ceperũt, secutíq; sunt C. Cæsarẽ autoritate beneficiorũ paternorum, hodiéq; Remp. defendunt cum magno periculo, non tueri solùm, sed etiam commodis augere debeo: qui autem quiescunt, ut* VI. *&* VIII. *legio, in magna gloria, & laude ponendos puto: comites*

a A persona Cassij.

b Occurrit reprehẽsioni, & à personis defendit.

c Sunt argumenta ex repugnãtibus & ex pari.

d Anteuertit & aliam obiectionem, quã primò negat, deinde defendit.

e Colligit summam diuisionis, quam fecit.

uerò

uerò Antonij, qui postquam beneficia Cæsaris comederunt, Consulem designatum obsident. huic urbi ferrum, ignémq; minitantur, Saxæ se & Caphoni tradiderunt, ad facinus prædámq; natis, num quis est qui tuendos putet? Ergo aut boni sunt, quos etiã ornare: aut quieti, quos conseruare debemus: aut impij, quorũ contra furorem & bellum, & iusta arma suscepimus. Quorũ igitur ueteranorũ animos ne offendamus, ueremur? eorúmne, qui D. Brutum obsidione cupiunt liberare? quibus cùm Bruti salus chara sit, quî possunt Cassii nomẽ odisse? an eorum, qui utrisq; armis uacant? nõ uereor ne acerbus ciuis quisquam istorum sit, qui otio delectantur. Tertio uerò genere non militum ueteranorum, sed importunissimorũ hostium, cupio quàm acerbissimũ dolorem inurere. [a] quanquam P.C. quousq; dicemus sententias ueteranorum arbitratu? quod eorum tantum fastidium est? quæ tanta arrogantia? ut ad arbitrium illorum Imperatorem etiam deligamus? Ego autem (dicendum est enim P.C. quod sentio) non tam ueteranos intuendos nobis arbitror, quã quid tirones milites, flos Italiæ, quid nouæ legiones ad liberandum patriam paratissimæ, quid cuncta Italia de uestra grauitate sentiat. nihil enim semper floret: ætas succedit ætati: diu legiones Cæsaris uiguerunt, nunc uigent Pansæ, uigent Hircij, uigent Cæsaris filij, uigẽt Plãci: uincunt numero, uincunt ætatibus, nimirum etiam auctoritate uincunt. id enim bellum gerunt, quod ab omnibus gentibus comprobatur. Itaque his præmia promissa sunt: illis persoluta. fruantur his illi, persoluantur his, quæ spopondimus. id enim deos immortales spero æquissimum iudicare. Quæ cùm ita sint, eam quam dixi sententiam, nobis P.C. censeo comprobandam.

a Defensio contra veteranos ab indigno & vtilitatis conditione.

IN

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA XII.

ORATIO LV.

[a] Excusat errorẽ suum & culpam confert in fautores Antonii L. Pisonẽ & Calenũ.

ETSI[a] *minimè decere uidetur P. C. falli, decipi, errare eum, cui uos maximis ſæpe de rebus aſſentiamini: conſolor me tamen, quoniã uobiſcum pariter, & unà cum ſapientiſſimo Conſule*[b] *erraui. Nam cùm duo Cõſulares ſpem honeſtæ pacis nobis attuliſſent, quòd erant familiares M. Antonij, quòd domeſtici, noſſe aliquod eius uultus, quod nobis ignotũ eſſet, uidebantur. apud alterum uxor, liberi: alter quotidie literas mittere, accipere, apertè fauere Antonio. Hi ſubitò hortari ad pacẽ, quod iandiu nõ feciſſent, nõ ſine cauſa uidebãtur.*[c] *acceſſit Cõſul hortator. at qui Cõſul? ſi prudentiã quærimus, qui minimè falli poſſet: ſi uirtutem,*[d] *qui nullam pacem probaret, niſi Antonio cedente, atque uicto: ſi magnitudinẽ animi, qui præferret mortem ſeruituti. Vos autẽ P. C. non tam immemores ueſtrorũ grauiſſimorũ decretorũ uidebamini, quàm ſpe allata deditionis, quã amici pacẽ appellare mallent, de imponendis, non de accipiẽdis legibus cogitare.*[e] *Auxerat autẽ meã quidẽ ſpem, credo itẽ ueſtram, quod domũ Antonii afflictã mœſtitia audiebã, lamẽtari uxorẽ. hinc etiã fautores Antonij, quorũ in uultu habitãt oculi mei, triſtiores uidebã.*[f] *Quod ſi nõ ita eſt, cur à Piſone, & à Caleno potiſſimũ, cur hoc tẽpore, cur tam improuiſo, cur tã repẽtè pacis eſt facta mẽtio? Negat Piſo ſe ſcire, negat audiſſe quicquã: negat Calenus rẽ ullã nouã allatã eſſe. atq; id nũc negãt, poſteaquã nos pacificatoria legatione implicatos putãt. Quid ergo opus eſt*

[b] Habet vim ex pari.

[c] Hæc omnia pertinent ad excuſationem Ciceronis.

[d] Schema per ſubiectionem.

[e] Hæc erãt ſigna mutatæ voluntatis Antonii.

[f] Cõfirmat quæ dixit ex anteactis & coarguit diſſimulationem Piſonis & Caleni ut fraudem oſtẽdat.

nouo

nono consilio, si in re nihil omnino noui est? [a] Decepti, decepti, inquam, sumus Patres conscripti: Antonij est acta causa ab amicis eius, nõ publica. quod uidebã equidem, sed quasi per caliginem perstrinxerat aciem animi D. Bruti salus. Quòd si in bello dari uicarij solerẽt, libẽter me, ut D. Brutus emitteretur, pro illo includi paterer. Atqui hac uoce Qu. Fusij capti sumus: Ne si à Mutina quidem recesserit, audiemus Antoniũ? ne si in Senatus potestate futurũ se dixerit? durũ uidebatur, itaq; fracti sumus: cessimus. [b] recedit igitur à Mutina? nescio. pareret Senatui? credo, inquit Calenus, sed ita, ut teneat dignitatẽ. [c] Valde uobis hercule laborandũ est P.C. ut uestrã dignitatẽ amittatis, quæ maxima est: Antonij, quæ neque est ulla, neq; esse potest, retineatis: ut eam per uos recuperet, quã per se perdidit. Si iacẽs id nobiscũ ageret, audirẽ fortasse: [d] quanquã (sed hoc malo dicere) audirẽ. instanti resistẽdum est, aut cõcedẽda unà cum dignitate libertas. [e] At non est integrũ, constituta legatio est. Quid autem integrũ non est sapiẽti, quod restitui potest? cuiusuis hominis est errare: nullius, nisi insipiẽtis, in errore perseuerare. Posteriores enim cogitationes (ut aiunt) sapientiores solent esse. [f] discussa est illa caligo, quã paulò antè dixi: diluxit, patet, uidemus omnia, neq; per nos solũ, sed admonemur à nostris. Attendistis paulò antè præstãtissimi uiri quæ esset oratio. Mœstam, inquit, domũ offendi, cõiugem, liberos. admirabãtur boni uiri, accusabãt amici, quòd spe pacis legationem suscepissem. nec mirũ P. Seruili. tuis enim ueris simis grauissimisq; sententiis omni est non dico dignitate, sed etiã spe salutis spoliatus Antonius. ad eum ire te Legatum quis non miraretur? de me experior: cuius idem consilium, quod tuum, sentio quàm reprehẽdatur. nos reprehẽdimur soli? quid uir fortissimus

a Prorumpit in id quod confitendum est.

b Inducit' fermocinationẽ ad maiorẽ inuidiã. Nã hæc dicebant Piso & Calenus in senatu.

c Ironia ad indignationem.

d Erat aliquid dicturus, sed supprimit.

e Occurrit obiectioni, & reprehendit ab honesto & utili.

f Ostendit rem apertam esse & consensu hominum confirmat.

Pansa sine causa tam accuratè paulò antè locutus est tandiu? quid egit, nisi uti falsam à se suspicionem depelleret? unde autẽ est ista suspicio? ex pacis patrocinio repẽtino, quod subitò suscepit eodem captus errore, quo nos. [a] *Quòd si est erratum P.C. spe falsa, atq; fallaci, redeamus in uiam. optimus est portus pœnitenti mutatio consilii. Quid enim per deos immortales potest Reip. prodesse nostra legatio?* [b] *prodesse dico? quid si etiam obfutura est? obfutura? quid si etiam nocuit? an uos acerrimam illam, & fortissimam populi Ro. libertatis recuperãdæ cupiditatẽ, non imminutam ac debilitatam putatis legatione pacis audita? quid municipia censetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio, quo contra commune incendium exarserat? an nõ putamus fore, ut eos pœniteat professos esse, & præ se tulisse odium in Antonium, qui pecunias polliciti sunt, qui arma, qui se totos & animis, & corporibus in salutem Reip. contulerunt? Quemadmodum uestrum hoc consiliũ Capua probabit, quæ temporibus his Roma altera est?* [c] *illa impios ciues iudicauit, eiecit, exclusit. illi, illi, inquam, urbi fortissimè conanti, è manibus est ereptus Antonius. Quid? legionum nostrarum neruos nónne his consiliis incidimus? quis est enim, qui ad bellum inflammato animo sit futurus spe pacis oblata? ipsa illa Martia, cælestis & diuina legio, hoc nuntio langueſcet, & mollietur, atq; illud pulcherrimũ Martiũ nomen amittet: excidẽt gladii: fluẽt arma de manibus. Senatũ enim secuta non arbitrabitur se grauiore odio in Antoniũ esse debere, quã Senatũ. Pudet huius legionis, pudet Quartæ, quæ pari uirtute nostram autoritatem probans, non ut Consulem, & Imperatorem suũ, sed ut hostem, & oppugnatorem patriæ reliquit Antonium: pudet optimi exercitus, qui con*

a Improbat legationem, quòd debilitet & auertat animos à studio belli, & quòd turpis sit, & quòd pax fieri non possit.

b Correctio ad amplificationẽ, simul facit gradationem.

c Commemorat merita, vt rẽ indigniorem ostendat.

cõunctus est ex duobus, qui iam lustratus, qui profectus ad Mutinam est: qui si pacis, id est, timoris nostri nomen audiuerit, ut non referat pedem, *insistet certè. quis enim reuocãte, & receptui canẽte Senatu properet dimicare? Quid autem hoc iniustius, quàm nos inscientibus ijs, qui bellum gerunt, de pace decernere? nec solùm inscientibus, sed etiã inuitis? An nos A. Hirciũ præclarissimũ Consulem, C. Cæsarem deorũ beneficio natum ad hæc tempora, quorum epistolas spẽ uictoriæ declarantes in manu teneo, pacem uelle censetis? [a] uincere illi expetunt: pacisq; dulcissimũ & pulcherrimũ nomen non pactione, sed uictoria cõcupierunt. Quid? [b] Galliã quo tandẽ animo hanc rẽ auditurã putatis? illa enim huius belli propulsandi, administrãdi, sustinendi principatũ tenet. Gallia D. Bruti nutũ ipsum, ne dicã imperiũ secuta, armis, uiris, pecunia belli principia firmauit: eadẽ crudelitati M. Antonij suũ totũ corpus obiecit: exhauritur, uastatur, uritur: omneis æquo animo belli patitur iniurias, dũmodò repellat periculũ seruitutis. Et ut omittã reliquas partes Galliæ, nã sunt omnes pares, Patauini alios excluserũt, alios eiecerũt missos ab Antonio: pecunia, militibus, &, quod maximè deerat, armis nostros duces adiuuerũt. fecerũt idẽ reliqui, qui quondã in eadẽ causa erãt, & propter multorũ annorũ [c] iniurias alienati à Senatu putabãtur. quos minimè mirũ est cõmunicata cum his Rep. fideles esse, qui etiã expertes eius fidẽ suã sẽper præstiterunt. His igitur omnibus uictoriã sperantibus pacis nomẽ afferemus, id est desperationẽ uictoriæ? Quid, si ne potest quidem ulla esse pax? qua enim est cõditio pacis, in qua ei, cum quo pacẽ facias, nihil cõcedi potest? Multis rebus à nobis est inuitatus ad pacẽ Antonius: bellũ tamẽ [d] maluit, missi Legati repugnãte me: sed tamen missi: delata

* subsistet

a Antithesis.

b Admiscet laudes turpitudini.

c Iniurias propter negatum ius suffragii, vnde bellũ sociale ortum fuit.

d Coniectura ex anteactis, & voluntate Antonii.

lata mandata: non paruit. denuntiatum est, ne Brutum obsideret, à Mutina discederet: oppugnauit etiã uehemẽtius, & ad eũ Legatos de pace mittemus, [a] *qui pacis nuntios repudiauit? uerecũdiorémne coràm putamus in postulando fore, quàm fuerit tũ: cùm misit mãdata ad Senatum? Atqui tũ ea petebat, quæ uidebantur improba omnino, sed tamen aliquo modo posse cõcedi, nondũ erat uestris tã grauissimis, tamq; multis iudicijs, ignominijsq; conciſus: nunc ea petit, quæ dare nullo modo possumus, nisi prius uolumus nos bello uictos confiteri.* [b] *Senatus consulta* **falsa delata ab eo iudicauimus, num ea uera possumus iudicare? Leges statuimus per uim, & contra auspicia latas: ijsq; nec populum, nec plebẽ teneri: num eas restitui posse censetis?* [c] *Sestertiũm sexties millies auertisse Antoniũ pecuniæ publicæ iudicauistis: nũ fraude poterit carere peculatus? Immunitates ab eo, ciuitates, sacerdotia, regna uenierunt: num figẽtur rursus eæ tabulæ, quas uos decretis uestris refixistis? Quòd si ea, quæ decreuimus, obruere uolumus, num etiam memoriã rerũ delere possumus? quãdo enim obliuiscetur ulla posteritas, cuius scelere in hac uestitus fœditate fuerimus?* [d] *ut Centurionũ legionis Martiæ Brũdusii profusus sanguis eluatur, nũ elui prædicatio crudelitatis poterit? ut media præteream, quæ uetustas tollet operũ circa Mutinã tetra monumẽta, sceleris indicia, latrociniiq; uestigia? Huic igitur importuno atq; impuro parricidæ, quid habemus per deos immortales, quod remittamus? An Galliã ultimã & exercitũ? quid est aliud, q̃ nõ pacẽ facere, sed differre bellum? nec solũ prorogare bellũ, sed concedere etiã uictoriã?* [e] *An ille nõ uicerit, quacunq; conditione in hãc urbẽ cum suis armis uenerit? Nũc omnia tenemus: autoritate ualemus plurimùm: absũt tot perditi ciues nefariũ secuti ducẽ tamen*

a Enthymema ad indignitatem.

b Descendit in turpitudinem senatus.

*falsò relata

c Septuagies quinquies cẽtena millia coronatorum.

d A futura infamia.

e Ironia, qua occurrit & reprehẽdit.

men eorum ora, sermones, qui ex eo numero in urbe relicti sunt, ferre non possumus? quid censetis, [a] cùm tot uno tempore irruperint? nos arma posuerimus, illi non? nónne uos uestris consilijs uictos in perpetuum fore? Ponite ante oculos M. Antonium Consularẽ: sperantem Consulatũ Lucium adiungite, supplete cæteros, neq; nostri ordinis solum, honores & imperia meditãtes: nolite ne [b] Tyrones quidem Numisios, & Mustellas, Saxásue contẽnere. cum his facta pax, non erit [c] pax, sed pactio seruitutis. L. Pisonis amplissimi uiri præclara uox à te non solùm in hoc ordine Pansa, sed etiã in concione iure laudata est: Excessurũ se ex Italia dixit, deos penates, & sedes patrias relicturum, si (quod dij omen auerterẽt) Remp. oppressisset Antonius. Quæro igitur à te Piso, nónne oppressam Rẽp. putes, si tot, tam impij, tã audaces, tã facinorosi recepti sint? [d] quos nondũ tantis parricidijs contaminatos uix ferebamus, hos nunc omni scelere coopertos, tolerabiles censes ciuitati fore? Aut isto tuo mihi crede consilio erit [illegible]tendum, ut cedamus, abeamus, uitã inopem, & uagam persequamur, aut ceruices latronibus dãdæ, atq; in patria cadendum est. [e] Vbi sunt C. Pansa illæ cohortationes pulcherrimæ tuæ, quibus à te excitatus Senatus, inflammatus populus Ro. non solùm audiuit, sed etiam didicit, nihil esse homini Romano fœdius seruitute? Idcircóne saga sumpsimus, arma cepimus, iuuentutem omnem ex tota Italia exciuimus, ut de exercitu florentissimo, & maximo Legati ad pacem mitterentur? si postulandam, quid timemus? si accipiendam, [f] cur nõ rogamur? [g] in hac ego legatione sim, aut ad id cõsilium admiscear in quo, ne si dissensero quidem à cæteris, sciturus populus Ro. sit. Ita fiet, ut si quid remissũ, aut cõcessum sit, meo sẽper periculo peccet Antonius, cùm ei peccãdi potestas

a Contentione augetur & amplificatur periculũ.

b Viliores homines.

c Agnominatio.

d Enthymema ex minori.

e Delabitur ad ignominiã & turpitudinem huius pacis.

f Cõplexio rhetorica.

g Descendit in alterum caput de legatione sua, & ostẽdit quàm turpe & periculosum sibi sit, si ipse legatus mittatur.

testas à me concessa uideatur. Quòd si habenda cũ Antonij latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen persona ad istam pacem conciliandam minimè fuit deligenda. ego nunquam Legatos mittendos censui: ego ante Legatorũ reditum ausus sum dicere, Pacem ipsum si afferret, quoniam sub nomine pacis bellum lateret, repudiandam: ego princeps sagorum: ego semper illum hostem appellaui, cùm alij aduersarium, semper hoc bellum, cùm alij tumultum. nec hæc in Senatu solùm, eadem ad populum semper egi, nec solùm in ipsum, sed in eius socios, facinorum ministros & præsẽtes, & eos, qui unà sunt: in totam denique M. Antonij domum sum semper inuectus. Itaq; ut alacres, & læti spe pacis oblatæ inter se impij ciues, quasi uicissent, gratulabantur: sic me iniquũ eiurabant, de me querebantur: diffidebant etiam Seruilio: meminerant eius sententijs confixum Antonium: L. Cæsarem fortem quidẽ illum & constantem Senatorem, auunculum tamẽ, Calenum procuratorem, Pisonẽ familiarem, te ipsum Pansa uehementissimũ & fortissimũ Consulẽ, factum iam putant leniorẽ:[a] non quò ita sit, aut esse possit: sed mentio à te facta pacis suspicionem multis attulit immutatæ uoluntatis. Inter has personas me interiectum amici Antonij molestè ferunt: quibus gerendus mos est, quoniam semel liberales esse cœpimus. proficiscantur Legati optimis ominibus: sed ij proficiscantur, in quibus non offendatur Antonius.[b] Quòd si de Antonio non laboratis, mihi certè P.C. consulere debetis. parcite oculis saltem meis, & aliquam ueniam iusto dolori date. quo enim aspectu uidere potero, mitto hostem patriæ ex quo mihi odium in illum commune uobiscum est, quomodo aspiciam mihi uni crudelissimum hostem, ut declarant eius de me acerbissimæ cõciones? Adeóne me fer-

a Occurrit ne cõfirmet quod turpe esset Pansæ.

b Deprecatur pudorem suum in conueniendo Antonio, & odiũ illius in se commemorat.

reum

reum putatis, ut cũ eo cõgredi, aut illum aſpicere poſſim? qui nuper cùm in concione donaret eos, qui ei de parricidis audaciſſimi uidebantur, mea bona donare ſe dixit Petiſſio Vrbinati, qui ex naufragio luculenti patrimonij ad hæc Antoniana ſaxa proiectus eſt? An L. Antonium aſpicere potero, cuius ego crudelitatem effugere non potuiſſem, niſi me mœnibus, & portis, & ſtudio municipij mei defendiſſem? Atque idem hic Myrmillo Aſiaticus latro Italiæ, collega Lentonis, & Nuculæ, cum Aquilæ primipili numos aureos daret, de meis bonis ſe dare dixit. ſi enim de ſuis dixiſſet, ne Aquilam quidem ipſam creditura putauit. Non ferent, inquã, oculi Saxam, Caphonem, non duos Prætores, non Trib. pl. non duos deſignatos Tribunos, nõ Beſtiã, non Trebelliũ, non Plancii. non poſſum animo æquo uidere tot, tam importunos, tam ſceleratos hoſtes: nec id fit faſtidio meo, ſed charitate Reipub.[a] Sed uincam animum, mihiq; imperabo: dolorem iniuſtiſſimum, ſi non potero frangere, occultabo. quid? uitæ cenſetisne P. C. habendam mihi aliquam eſſe rationem? quæ mihi quidem minimè chara eſt, præſertim cùm Dolabella fecerit, ut optanda mors eſſet, modò ſine cruciatu, atq; tormentis: uobis tamen & populo Ro. utilis eſſe ſpiritus meus non debet. is enim ſum, niſi fortè me fallo, qui uigilijs, curis, ſententijs, periculis etiam, quæ plurima adij propter acerbiſſimũ omnium in me odium impiorum, perfecerim, ut non obſtarent Reipu. ne quid arrogantius uidear dicere. Quod cùm ita ſit, nihilne mihi de periculo meo cogitãdũ putatis?[b] hîc cùm in urbe eſſem ac domi, tamẽ multa ſæpe tentata ſunt, ubi me non ſolùm amicorũ fidelitas, ſed etiam uniuerſæ ciuitatis oculi cuſtodiunt. quid cenſetis, cùm iter ingreſſus ero, longum præſertim, nullásne inſidias pertimeſcendas?[c] Tres uiæ ſunt

a Oſtendit uitæ periculum quod uarie colligit ex itinere, ex audacia Antonij, & ex militũ offenſione.

b Colligit ſentẽtiam ex minori.

c Colligit inſidias itineris, uiarũ enumeratione. Totus locus ad facultatẽ coniecturalem pertinet.

sunt ad Mutinã, quò festinat animus, ut quàm primum [a] *illud pignus libertatis pop. Ro. D. Brutum aspicere possim: cuius in complexu libenter extremum uitæ spiritum ediderim, cùm omnes actiones bonorum, omnes sententiæ meæ peruenerint ad eum exitum, qui mihi fuit propositus. tres ergo, ut dixi, uiæ: à supero mari, Flaminia: ab infero, Aurelia: media, Cassia. Nunc quæso attendite, num aberret à coniectura suspicio periculi mei. Hetruriam discriminat Cassia. scimúsne igitur Pansa, quibus in locis nunc sit Lentonis Cesenij Septemuiralis autoritas? nobiscum nec animo certè est, nec corpore. si autem aut domi est, aut non longè è domo, certè in Hetruria est, id est in uia. Quis igitur mihi præstat, Lentonem uno capite esse contentũ? Dic mihi præterea Pansa, Vẽtidius ubi sit, cui fui semper amicus, antequam ille Reip. bonisq; omnibus tã apertè est factus inimicus. Possum Cassiam uitare, tenere Flaminiam. quid? si Anconam, ut dicitur, Ventidius uenerit, poteróne Ariminum tutò accedere? Restat Aurelia. hîc quidẽ etiam præsidia habeo. possessiones enim sunt P. Clodij:* [b] *tota familia occurret, hospitio inuitabit propter familiaritatem notissimam.* [c] *Hisce ego me uijs cõmittam, qui Terminalibus nuper in suburbium, ut eodem die reuerterer, ire nõ ausus sim? domesticis me parietibus uix tueor sine amicorum custodijs. Itaq; in urbe maneo: si licebit, manebo. hæc mea sedes est, hæc uigilia, hæc custodia, hoc præsidiũ statiuum. teneãt alij castra, regna, res bellicas, oderint hostẽ: nos ut dicimus, semperq; fecimus, urbem, & res urbanas uobiscum pariter tuebimur.* [d] *Neque uerò recuso munus hoc: quanquam populũ Ro. uideo pro me recusare. nemo me minus timidus, nemo cautior. res declarat. uigesimus annus est, cùm omnes scelerati me unum petũt. itaque ipsi,*

ne

a Obiter delabitur in laudẽ Bruti & affectum.

b Ironicõs loquitur.

c Infert intẽtionem & cõfirmat.

d Rursus colligit quæ dixit.

[a] ne dicam mihi, Reipu. pœnas dederunt: me saluum adhuc Resp. conseruauit sibi. [b] Timidè hoc dicã: scio enim quiduis homini accidere posse: ueruntamen semel circunsessus lectis ualẽtissimorum hominũ uiribus cecidi sciẽs, ut honestissimè exurgere possem. Possúmne igitur satis uideri cautus, satis prouidus, si me huic itineri tam infesto, támque periculoso committo? [c] gloriam in morte debent ij, qui in Rep. uersantur, non culpæ reprehensionem, & stultitiæ uituperationẽ relinquere. [d] Quis bonus non luget mortem Trebonij? quis non dolet interitũ talis & ciuis, & uiri? At sunt qui dicant (durè illi quidem, sed tamen dicunt) minus dolendũ, quòd ab homine impuro, nefarióque non cauerit. etenim qui multorũ custodẽ se profiteatur, eum sapientes sui primũ capitis aiunt custodem esse oportere. [e] Cùm septus sis legibus, & iudiciorum metu, non sunt omnia timenda, neque ad omnes insidias præsidia quærenda. quis enim audeat luci, quis in militari uia, quis bene comitatum, quis illustrem aggredi? Hæc neque hoc tempore, neque in me ualẽt. non modò enim pœnam non extimesceret, qui mihi uim attulerit: sed etiã gloriã sperabit à latronum gregibus, & præmia. [f] Hæc ergo in urbe præuideo: facilis est circunspectus, unde exeam, quò progrediar, quid ad dextram, quid ad sinistram sit. num idem in Apennini tramitibus facere potero? in quibus, etiã si nõ erunt insidiæ, quæ facillimè esse poterunt, animus tamen erit solicitus, ut nihil possit de officijs legationis attendere. [g] Sed effugi insidias: perrupi Apenninũ. nempe in Antonij cõgressum, colloquiúmque ueniendũ est. quinam locus capietur? si extra castra, cæteri uiderint, ego mortem actutum futurã puto. noui hominis furorẽ, noui effrænatam uiolentiam. Cuius acerbitas morum, immanitásque naturæ, ne uino quidẽ permista

a Corrigit vt modestius loquatur.
b Occurrit obiectioni & defendit.
c Hic locus habet tacitam occupationem obiectionis.
d Confirmat exẽplo.
e Occurrit obiectioni quam soluit temporis & personæ exceptione.
f Alia obiectio ex persona aduersarii.
g Ex abundanti cõcedit quæ obtinuit.

misſta temperari ſolet: hic ira dementiáq3 inflammatus, adhibito fratre Lucio teterrima bellua, nunquàm profectò à me ſacrilegas manus, atq3 impias abſtinebit. [a] Memini colloquia & cũ acerrimis hoſtibus, & cum grauiſſimè diſſentientibus ciuibus. Cn. Pompeius Sexti filius Cõſul me præſente, cùm eſſem tyro in eius exercitu, cùm P. Vectio Catone duce Marſorum inter bina caſtra collocutus eſt. quò quidem memini Sex. Pompeium fratrẽ Cõſulis ad colloquium ipſum Roma uenire, doctum uirum, atq3 ſapientem: quẽ Cato cùm ſalutaſſet, Quem te appellem? inquit. At ille, Voluntate hoſpitẽ, neceſſitate hoſtem. Erat in illo colloquio æquitas: nullus timor, nulla ſuberat ſuſpicio, mediocre etiã odium. non enim ut eriperent nobis ſocij ciuitatem, ſed ut in eam reciperentur, petebant. [b] Sylla cum Scipione inter Cales, & Theanum, cùm alter nobilitatis florem, alter belli ſocios adhibuiſſet, de autoritate Senãtus, de ſuffragiis populi, & de iure ciuitatis, legis inter ſe conditiones contulerunt. non tenuit omnino colloquium illud fidem: à uitamen, periculóque abfuit. [c] Poſſumúſne igitur in Antonij latrocinio æquè eſſe, ut hi? non poſſumus: aut ſi cæteri poſſunt, me poſſe diffido. [d] Quòd ſi non extra caſtra cõgrediemur, quæ ad colloquium caſtra ſumentur? in noſtra ille nunquam ueniet, multò minus nos in illius. reliquum eſt, ut & accipiantur & remittãtur poſtulata per literas. ergo erimus in caſtris. mea ad omnia poſtulata una ſententia: quam cùm hîc uobis audiẽtibus dixero, iſſe & rediſſe me putato tote. Legationem * confero. omnia ad Senatum mea ſententia reiiciã, quæcunq3 poſtulabit Antonius: neq3 enim licet aliter, neq3 permiſſum eſt nobis ab hoc ordine, ut bellis confectis decem Legatis permitti ſolet more maiorum: neque ulla omnino à Senatu mandata accepimus. quæ cùm

a Amplificat diſſimilibus exemplis.

b Aliud exemplum.

c Accómodat Antonii colloquiũ cum huiuſmodi exemplis.

d Perſequitur alterum membrum diuiſionis.

* confecero

cùm agam in consilio, nonnullis, ut arbitror, repugnantibus, nónne metuendum est, [a] ne imperita militum multitudo per me pacẽ distineri putet? Facite hoc meum consilium legiones nouas non implorare: nam Martiam, & Quartam nihil præter dignitatem, & decus probaturas esse certè [b] scio. quid? ueteranos non ueremur? nam timeri se ipsi quidẽ uolunt, sed quónam modo accipient seueritatem meam? Multa enim falsa de me audierũt: multa ad eos improbi detulerunt. quorum commoda, ut uos optimi testes estis, semper ego sententia, autoritate, oratione firmaui: sed credunt improbis, credunt turbulentis, credunt suis. Sunt autem fortes illi quidem, sed propter memoriã rerum quas gesserunt pro populi Romani libertate, & salute Reip. nimis feroces, & ad suam uim omnia nostra consilia reuocantes. Horum ego cogitationem non uereor. impetum pertimesco. Hæc quoq; pericula tanta si effugero, satísne tutum reditum putatis fore? [c] Cùm enim & uestra autoritate, & meo me more defendero, & meam fidem Reip. constantiámq; præstitero, tum erunt mihi nõ hi solùm, qui me oderunt, sed illi etiã qui inuident, extimescendi. [d] Custodiatur igitur mea uita Reipublicæ, eáque quoad uel dignitas, uel natura patietur, patriæ reseruetur: mors autẽ necessitatem habeat fati, aut si antè oppetẽda est, oppetatur cum gloria. Hæc cùm ita sint, etsi hanc legationem Resp. ut leuissimè dicam, non desiderat, tamen si tutò licebit ire, proficiscar. omnino P. C. totum huiusce rei consilium non periculo meo, sed utilitate Reipublicæ metiar. de qua mihi quoniam liberum est spatium, multum etiam atque etiam considerandum puto, ídq; potissimum faciendum, quod maximè interesse Reipublicæ iudicauero.

a Periculum à militibus: tertiũ caput.

b Ironia.

c Periculum in reditu.

d Concludit.

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DECIMATERTIA.

ORATIO LVI.

IN*PRINCIPIO[a] huius belli P.C. quod cũ impiis ciuibus, sceleratisq; suscepimus, timui, ne conditio insidiosa pacis, libertatis recuperãdæ studia restingueret. dulce enim nomẽ est pacis, res uerò ipsa, cùm iucunda, tũ salutaris. Nã nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere potest, quem discordiæ, quẽ cædes ciuiũ, quẽ bellũ ciuile delectat: eúmque ex numero hominũ eiiciẽdũ, ex finibus humanæ naturæ exterminãdũ puto.[b] Itaque siue Sylla, siue Marius, siue uterq;, siue Octauius, siue Cinna, siue iterum Sylla, siue alter Marius, & Carbo, siue quis alius ciuile bellum optauit, eum detestabilẽ ciuem Reip. natũ iudico. Nã quid ego de proximo dicã? cuius acta defendimus, cùm ipsum iure cæsum fateamur. Nihil igitur hoc ciue, nihil hoc homine tetrius: si aut ciuis, aut homo habendus est, qui ciuile bellũ cõcupiscit.[c] Sed hoc primùm uidendũ est P.C.[d] cũ omnibúsne pax esse possit, an sit aliquod bellũ* expiabile, in quo pactio pacis, lex sit seruitutis. Pacẽ cũ* Scipione Sylla faciebat. non erat desperandũ, si cõuenissent, fore aliquẽ tolerabilem statum ciuitatis. Cinna si concordiã cum Octauio cõfirmare uoluisset, hominũ in Repu. sanitas remanere potuisset. Proximo bello si aliquid de summa grauitate Pompeius, multùm de cupiditate Cæsar dimisisset, & pacẽ stabilẽ, & aliquã Remp. nobis habere licuisset. hoc uerò quid est? cũ Antoniis pax potest esse?[e] cum Cẽsorino, Vẽtidio, Trebellio, Bestia, Nucula, Numat

* *aliàs, Principio, nulla præeunte præpositione.*

a Arcessa incipit, & dicit se semper pacis studiosũ fuisse: quã amplificat, sed negat pacem cum Antonio fieri posse.

b Amplificat exẽplis & enumerat duces bellorũ ciuilium.

c Hic totus locus figuratur κατ' ἀνθυποφοράν.

d Negat pacem cum Antonio fieri posse, & periculum eius ostendit, amplificans dissimilibus exẽplis, & socios Antoniani sceleris commemorans.

* *inexpiabile*

* *Cepione*

e Enumerat socios Antonii homines inimicissimos Reip.

Numatio, Lentone, Saxa? exempli causa paucos nominaui: genus infinitum, immanitatémque ipsi cernitis reliquorum. addite illam naufragia Cæsaris amicorum, Barbas, Cassios, Barbatios, Polliones: addite Antonij collusores, & sodales, Eutrapelum, Melam, Cæliũ, Pontiũ, Crassitiũ, Tyronem, Mustellam, Petissium: comitatum relinquo, duces nomino. huc accedunt Alaudæ, cæteriq; ueterani, seminarium iudicum tertiæ decuriæ, qui, suis rebus exhaustis, beneficiis Cæsaris deuoratis, fortunas nostras concupierunt. [a] *ô fidam dexteram Antonij, qua ille plurimos ciues trucidauit! ô ratum religiosúmq; fœdus, quod cum his fecerimus! hoc si M. Antonius uiolare conabitur, Lucii eum sanctitas à scelere reuocabit.* [b] *Illis locus si in hac urbe fuerit, urbi ipsi locus non erit.* [c] *Ora uobis eorum ponite P.C. ante oculos, & maximè Antoniorum, incessum, aspectum, uultum, spiritum, late ra tegentes alios, sequentes alios, alios prægredientes amicos.* * *quã uim anhelitus? quas contumelias fore censetis, minásq; uerborum?* [d] *nisi fortè eos pax ipsa leniet, maximéque cùm in hunc ordinem uenerint:* [e] *salutabunt benignè, comiter appellabunt unumquenque* * *uestrum. Non recordamini per deos immortales quas in eos sententias dixeritis? acta Antonii rescidistis, leges refixistis, per uim, & contra auspicia latas decreuistis: totius Italiæ delectus excitastis: collegam & socium scelerum omnium, hostem iudicauistis. cum hoc quæ pax esse potest?* [f] *Si esset externus hostis, tamen id ipsum uix talibus factis posset aliquo modo.* [g] *sed si maria, montes, regionum magnitudines interessent, odisses eum, quem non uideres: hi in oculis hærebunt, & cùm licebit, in faucibus, quibus enim septis tam immanes belluas cõtinebimus?* [h] *At incertus exitus belli est. Est omnino fortium uirorum*

* *Munatio*

a Ironica exclamatio.

b Epiphonema.

c Hypotyposis qua exprimit Antonianorum insolentiam.

* *quẽ uim anhelitũ?*

d Hæc omnia ad cõfecturam pertinent & qualitatem.

e Ironia.

* *nostrum*

f Exminoriam plificat.

g Antithesis.

h Occurrit periculo belli & negat fortibus fortunam belli extimescendam esse, sed potius pro libertate moriendum.

uirorum, quales uos esse debetis, uirtute præstare tãtum, ut possint fortunæ culpam non extimescere. sed quoniam ab hoc ordine non fortitudo solùm, uerumetiam sapientia postulatur: [a] quãquam uidentur hæc non posse seiungi, seiungamus tamen: fortitudo dimicare iubet, iustum odium incendit, ad confligendum impellit, uocat ad periculum. quid sapientia? cautioribus utitur consiliis, in posterum prouidet, est omni ratione protectior. quid igitur censet? parendũ est enim, atq; id optimũ iudicandũ, quod sit sapientissimè constitutum. si hoc præcipit, ne quid uita existimem antiquius, ne decernam capitis periculo, fugiam omne discrimen: quæram ex ea, etiámne fuerit, cùm id fecero, seruiendum. si annuerit, næ ego istam sapientiam, quanuis sit erudita, non audiam: sin respondeerit, tu uerò ita uitam, corpúsq; seruato, ita fortunas, ita rem familiarem, ut hæc posteriora libertate ducas, itaq; his uti uelis, si liberare Remp. possis: nec pro his libertatem, sed pro libertate hæc proiicias, tãquam pignora iniuriæ: tum sapientiæ uocem audire uidear, eiq; ut * deo, paream. Itaque si receptis illis, possumus esse liberi, uincamus odium, pacémque potiamur: sin liber uiuis his, incolumibúsq; esse nullus potest: lætemur decertandi oblatam esse fortunã. [b] aut enim uictis his fruemur uictrice Repub. aut oppressi, (quod omen auertat Iupiter) si nõ spiritu, at uirtutis laude uiuemus. [c] At enim nos M. Lepidus Imperator iterum, Pontifex Maximus, optimè proximo ciuili bello de Rep. meritus ad pacẽ adhortatur. Nullius apud me Patres cõscripti autoritas maior est, quàm M. Lepidi, uel propter ipsius uirtutẽ, uel propter familiæ dignitatẽ. accedunt eôdem multa priuata, magna eius in me merita, ac mea quædã in illum. maximũ uerò eius beneficiũ numero, quòd hoc animo in Rẽp.

est, quæ

a Separatim loquitur de fortitudine & sapientia quantumuis sint cõiuncta: hîc seiungit docendi causa.

* debeo

b Epiphonema.

c Occurrit autoritati Lepidi, & primũ voluntatẽ ciuilius erga Rẽp. laudat, & amplificat merita ex restitutione Pompeii cuius ille autor fuerat: Deinde opponit autoritati periculum Reip. & scelera Antonianorum, quos cum Põpeio confert, negãs parem Antonii & Pompeii causam esse, interim laudans Senatusconsultum quod de Pompeio factum fuerat.

est, quæ mihi uita mea semper fuit charior. Nam cùm Magnum Pompeium clarissimum adolescentem præstantissimi uiri filiũ autoritate adduxit ad pacẽ, Rémq; publicam sine armis maximo ciuilis belli periculo liberauit, tum me eius beneficio plus quàm pro uirili parte obligatum puto. [a] *Itaq; ei & honores decreui, quàm potui amplissimos: in quibus uos mihi estis assensi: nec unquam de illo & sperare optimè, & loqui destiti. magnis & multis pignoribus M. Lepidum Resp. obligatũ tenet. summa nobilitas est hominis, summi honores, amplissimum sacerdotium, plurima urbis ornamenta, ipsius, fratris, maiorúmq; monumenta, probatissima uxor, optatissimi liberi, res familiaris cùm ampla, tum casta à cruore ciuili. nemo ab eo ciuis uiolatus, multi beneficio & misericordia liberati. Talis igitur uir & ciuis opinione tibi potest, uoluntate à Rep. dissidere nullo pacto potest. Pacem uult M. Lepidus. præclarè, si talem potest efficere, qualem nuper effecit:* [b] *qua pace Cn. Pompeij filium Resp. asbiciet, súoque sinu complexúque recipiet: neque solùm illum, sed cum illo seipsam sibi restitutam putabit.* [c] *Hæc causa fuit, cur decerneretis statuã in rostris cum inscriptione præclara, cur absenti triumphũ. quanquam enim magnas res bellicas gesserat, & triũpho dignas, nõ erat tamen ei tribuẽdum, quod nec L. Aemilio, nec Aemiliano Scipioni, nec superiori Africano, nec Mario, nec Põpeio, qui maiora bella gesserũt: sed quòd silẽtio ciuile bellum cõfecerat,* * *primũ ut licuit, honores in eum maximos contulistis.* [d] *Existimásne igitur M. Lepide qualem Pompeium Resp. habitura sit ciuẽ, tales futuros Antonios? in altero pudor, grauitas, moderatio, integritas: in illis (& cùm hos compello, præterea omnino ex grege latrocinij neminem) libidines, scelera, ad omne*

a Amplificat. hi honores sunt in tertia Philip.

b Explanat dissimilitudine.

c Amplificat hũc locũ ex honoribus decretis M. Lepido. Vide testim. Philipp.

* *cùm primũ licuit,*

b Alloquitur absentem & cõfert Antonios cũ Põpeio. Nam aduersarii exemplo cẽsebant & Antonio restituendũ quod ex dissimilitudine reprehenditur.

facinus

facinus immanis audacia. Deinde obsecro uos Patres conscripti quis hoc uestrũ non uidet, quod fortuna ipsa, quæ dicitur cæca, uidit? saluis enim actis Cæsaris, quæ concordiæ causa defendimus, Pompeio sua domus patebit: eámq; non minoris, quàm emit Antonius, redimet:

a Prorumpit in commiserationẽ eius rei, & locum abrumpit.

[a] redimet, inquam, Cn. Pompeij domum filius. ô rem acerbam! Sed hæc satis diu, multúmq; defleta sunt. Decreuistis tantã pecuniam Pompeio, quantam ex bonis patriis in prædæ dissipatione inimicus uictor redegisset. sed hanc mihi dispensationem *dissipationem pro paterna necessitudine, & coniunctione deposco. redimet hortos, ædes, urbana quædam quæ possidet Antonius. nam argentum, uestem, supellectilem uinum amittet æquo animo, quæ ille helluo dissipauit. Albanum, Formianum, à Dolabella recuperabit, etiam ab Antonio Tusculanum. hiq; qui nũc Mutinam oppugnant, D. Brutum obsident. de Falerno anseres depellentur. Sunt alij plures fortasse: sed mea memoria dilabuntur. ego etiam eos dico, qui hostium numero non sunt, Põpeianas possessiones, quanti emerint, filio reddituros. satis incõsiderati fuit, ne dicã audacis, rem ullam ex illis attingere. retinere uerò quis poterit, clarissimo domino restituto? An is non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, [b] quasi thesaurũ draco, Pompeii seruus, libertus Cæsaris, agri Lucani possessiones occupauit? Atq; illud [c] septies millies, quod adolescenti P. C. spopõdistis, ita describite, ut uideatur à nobis Cn. Põpeij filius in patrimonio suo collocatus. Hæc Senatus: reliqua Po. Ro. in ea familia, quam uidit amplissimam, persequetur: [d] in primis paternum Auguratus locum: [e] in quo ego eum, ut, quod à patre accepi filio reddam, mea nominatione cooptabo. Vtrũ igitur Augurẽ Iouis optimi Maximi, cuius interpretes internũtiiq; constituti*

dispensationem

b Odiosa cõparatio, sumpta ex poetis.

c Septuagies quinquies cẽtena mil Nacoronatorum.

d Enumerat quæ proposuit.

e Inferit causam honestam.

sumus

sumus, utrum Po. Rom. libentius sanciet, Pompeium, an Antonium? mihi quidē numine deorum immortalium uidetur hoc fortuna uoluisse, ut actis Cæsaris firmis ac ratis, Cn. Pompeij filius posset & dignitatem, & fortunas patrias recuperare. [a] *Ac ne illud quidem silentio P. C. prætereundum puto, quod clarissimi uiri Legati L. Paulus, Qu. Thermus, C. Fannius, quorum habetis cognitam uoluntatem in Remp. eámq; perpetuam atque constantem, nuntiant, se Pompeij conueniendi causa diuertisse Massiliā, eúmq; cognouisse paratissimo animo, ut cum suis copiis iret ad Mutinam, ni uereretur ueteranorū animos offendere.* [b] *est uerò eius patris filius, qui sapienter faciebat non minus multa, quàm fortiter. itaque intelligitis & animum ei præsto fuisse, nec consilium defuisse.* [c] *Atq; etiam hoc M. Lepido prouidendum est, ne quid arrogantius, quàm eius mores ferunt, facere uideatur. Si enim nos exercitu terret, non meminit illum exercitum Senatus, Populíq; Ro. atq; uniuersæ Reip. esse, non suum. At uti potest pro suo. quid tum? omniáne uiris bonis, quæ facere possunt, facienda sunt? etiámne si turpia, si pernicioſa erunt, si facere omnino non licebit? Quid autē turpius, aut fœdius, aut quod minus deceat, quàm contra Senatū, contra ciues, contra patriam exercitum ducere? quid uerò magis uituperandum, quàm id facere, quod non liceat? licet autem nemini contra patriam ducere exercitum: si quidē licere id dicimus, quod legibus, quod more maiorum institutíſq; conceditur. Neq; enim quod quisq; potest, id ei licet: nec si non obstatur, propterea etiam permittitur.* [d] *tibi enim exercitum Lepide, tāquam maioribus tuis, patria pro se dedit: hoc tu arcebis hostem: fines imperij propagabis, Senatui populóq; Ro. parebis: si quam ad aliā rem te fortè traduxerit. Hæc si*

a Laudat Pompeii voluntatem erga Remp.

b Laudat hoc & filium Pompeii.

c Per occasionē Pōpeii disputat de Lepidi officio, quod illū facere decet erga Remp. quia aduersarii dixerant timendū esse ne se cum Antonio coniungeret.

d Alloquitur absentem, & officii sui admonet.

cogitas, es M. Lepide Pontifex maximus, M. Lepidi Pontificis maximi pronepos: sin hominibus tantũ licere iudicas, quantum possunt, uide ne alienis exemplis, iisq; recentibus uti, quàm antiquis & domesticis malle uideare.[a] Quòd si autoritatem interponis, sine armis, magis quidem laudo: sed uide ne hoc ipsum non sit necesse.[b] Quanquam enim est tanta in te autoritas, quanta debet in homine nobilissimo, tamen Senatus se ipse non cõtemnit: nec uerò fuit unquã grauior, constantior, fortior. incensi omnes rapimur ad libertatem recuperandam: nõ potest ullius autoritate tantus Senatus populiq; Ro. ardor extingui: odimus: irati pugnamus: extorqueri de manibus arma non possunt: receptui signũ, aut reuocationẽ à bello audire non possumus: speramus optima: pati uel difficillima malumus, quã seruire. Cæsar cõfecit inuictum exercitum: duo fortissimi Consules adsunt cum copiis: L. Planci COS. designati uaria, & magna auxilia non desunt: de D. Bruti salute certatur: unus furiosus gladiator cum teterrimorũ latronum manu, contra patriã, contra deos penates, contra aras, & focos, contra[c] quatuor Consules gerit bellũ. huic cedamus? huius cõditiones audiamus? cum hoc pacẽ fieri posse credamus?[d] at periculũ est, ne opprimamur. Non metuo, ne is qui suis amplissimis fortunis, nisi bonis saluis frui non potest, prodat salutem suã. bonos ciues primũ natura efficit, adiuuat deinde fortuna. omnibus enim bonis expedit saluã esse Remp. sed in iis, qui fortunati sunt, magis id apparet.[e] Quis fortunatior Lepido, ut antè dixi? quis eodem senior? uidit eius mœstitiã, atq; lacrymas Po. Ro. Lupercalibus: uidit, quàm abiectus, quàm cõfectus esset, cùm Cæsari diadema imponens Antonius, seruum se illius, quàm collegã esse malebat. qui si reliquis flagitiis, & sceleribus abstinere

a Autoritatem Senatus anteponit Lepido, quare ne autoritatẽ quidẽ Lepidi paci cum Antonio interponendam esse censet.

b Declarat & ità anteponit autoritatem Senatus, vt tamen non cõtemnat Lepidi autoritatem.

c Duos designatos & duos iam consulatũ gerentes.

d Renouat obiectionem de Lepido, & coniectura voluntatis refellit. hæc coniectura aperta est à metu incõmodi.

e Quasi absumptio.

f Addit exempla anteacti tẽporis in Lepido, & exaggerat scelera Antonii.

nere potuisset, tamen unum ab hoc factum dignum illum omni pœna putarem. nam si ipse seruire poterat, nobis dominum cur imponebat? & si eius pueritia pertulerat libidines eorũ, qui erant in eum[a] *Tyranni, etiamne in nostros liberos dominum & tyrannum comparabat? Itaque illo interfecto, qualem eum in nos esse uoluit, talis ipse in cæteros extitit. qua enim in barbaria quisquã tam teter, tam crudelis Tyrannus, quàm in hac urbe armis barbarorum stipatus Antonius?*[b] *Cæsare dominante ueniebamus in Senatũ, si nõ liberè, attamẽ tutò. hoc archipirata (quid enim dicã Tyranno?) hæc subsellia ab Ithyreis occupabantur. Prorupit subitò Brundusiũ, ut inde agmine quadrato ad urbem accederet: lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum Suessam, fortissimorum militum sanguine impleuit: Brundusii in sinu non modò auarissimæ, sed etiam crudelissimæ uxoris delectos Martiæ legionis Centuriones trucidauit. Inde se quo furore, quo ardore, ad urbem, id est, ad cædem optimi cuiusque rapiebat? Quo tempore dij immortales ipsi præsidium improuisum nec opinantibus nobis obtulerunt. Cæsaris enim incredibilis ac diuina uirtus latronis impetus crudeles ac furibundos retardauit. quem tum ille demens lædere se putabat edictis: ignorans quæcunq; falsò is diceret in sanctissimum adolescentem, ea uerè recidere in memoriam pueritiæ suæ. Ingressus urbem est: quo comitatu, uel potius agmine? cùm dextra, sinistra, gemente Populo Rom. minaretur dominis, notaret domos, diuisurum se urbem palàm suis polliceretur. Redit ad milites: ibi pestifera illa Tyburi concio. inde ad urbem cursus: Senatus in Capitolium: parata de circunscribendo adolescente sententia*[c] *Consularis: cùm repentè (nam Martiam legio-*

a Intelligit C. Curionem.

b Confert Antonium cũ Cæsare.

c Opinor Qu. Fufii.

nem Albæ consedisse sciebat) affertur ei de Quarta nuntius, quo perculsus, abiecit consilium referẽdi ad Senatum de Cæsare: egressus est non uiis, sed tramitibus paludatus: eóque die ipso innumerabilia Senatusconsulta fecit: quæ quidem omnia citius lecta, quàm scripta sunt. Ex eo non iter, sed cursus, & fuga in Galliam. Cæsarẽ sequi arbitrabatur cum legione Martia, cum Quarta, cum ueteranis, quorum ille nomen præ metu ferre non poterat: eíque in Galliam penetranti, D. se Brutus obiecit: qui se totius belli fluctibus circũiri, quàm illum aut regredi, aut progredi maluit, Mutinámq; illi exultãti, tanquam frænos furoris iniecit. quam cùm operibus munitionibúsque sepsisset, nec eum florentissimæ Coloniæ dignitas, neque COS. designati maiestas à parricidio deterreret: tum me, testor & uos, & Popu. Roma. & omnes deos, qui huic urbi præsident, inuito & repugnante, Legati missi tres Consulares ad latronem M. Antoniũ, gladiatorũ ducem. Quis tam barbarus unquam? tã immanis? tam ferus? nõ audiuit: nõ respondit: neq; eos solùm præsentes, sed multò magis nos, à quibus illi erant missi, spreuit, & pro nihilo putauit. Postea quod scelus, quod facinus parricida non edidit? circunsedit colonos uestros, exercitum Po. Ro. Imperatorem COS. designatum: agros diuexat ciuium optimorum: hostis teterrimus omnibus bonis cruces ac tormenta minitatur. Cum hoc M. Lepide pax esse quæ potest? cuius ne supplicio quidem ullo satiari uidetur posse Popu. Roma.

a Persequitur institutionẽ Antonii, & literas eiusdem recitat, quibus explicandis incẽdit odiũ senatus, & demõstrat pacẽm cum tali inimico nullam fieri posse.

a Quòd si quis adhuc dubitare potuit, quin nulla societas huic ordini populóq; Ro. cum illa importunissima bellua possit esse: desinat profectò dubitare, his cognitis literis, quas mihi missas ab Hircio COS. modò accepi. Eas dũ recito, dũq; de singulis sententiis breuiter disputo uelim P. C. ut ad

ut adhuc feciſtis,[a] *me attentè audiatis.* ANTONIVS HIRCIO ET CAESARI. *Neq; ſe Imperatorẽ, neq; Hircium Conſulem, nec Propr. Cæſarem. ſatis hoc quidem ſcitè, deponere alienum nomen ipſe maluit, quàm illis ſuum reddere.* COGNITA MORTE C. TREBONII, NON PLVS GAVISVS SVM, QVAM DOLVI. *Videte quid ſe gauiſum, quid ſe doluiſſe dicat: facilius de pace deliberabitis.* DEDISSE POENAS SCELERATVM CINERI ATQVE OSSIBVS CLARISSIMI VIRI, ET APPARVISSE NVMEN DEORVN INTRA FINEM ANNIVERTENTIS, AVT IAM SOLVTO SVPPLICIO * PARRICIDAE, AVT IMPENDENTE, LAETANDVM EST. *ô Spartace, quem enim te potius appellem? cuius propter nefanda ſcelera tolerabilis fuiſſe uidetur*[b] *Catilina: lætandum eſſe auſus es ſcribere Treboniũ dediſſe pœnas? ſceleratum Trebonium? quo ſelere?*[c] *niſi q te Idibus Martiis à debita tibi peſte ſeduxit? Age hoc lætaris: uideamus quid moleſtè feras.* HOSTEM IVDICATVM HOC TEMPORE DOLABELLAM, EO QVOD[d] SICARIVM OCCIDERIT, ET VIDERI CHARIOREM POPV. ROMA. FILIVM SCVRRAE, QVAM C. CAESAREM PATRIAE PARENTEM, INGEMISCENDVM EST. *Quid ingemiſcis hoſtẽ Dolabellã iudicatũ? quid? te nõ intelligis delectu tota Italia habito, Conſulibus miſſis, Cæſare ornato, ſagis denique ſumptis, hoſtem iudicatum? quid eſt autem ſcelerate quòd gemas hoſtem Dolabellam iudicatum à Senatu? quem tu ordinẽ omnino eſſe nullum putas. ſed eam tibi cauſam belli gerendi proponis, ut Senatum funditus deleas, reliqui boni, & locupletes omnes ſummum ordinem ſubſequantur. At ſcurræ filiũ appellat:*

a Poſtulat attentionem.

* *parricidij*

b Cõparatio eſt.

c Cùm interficeretur Cæſar, Trebonius Antonũ ante cutiam, vt abeſſet, longo ſermone detinuerat.

d Treboniũ, quĩ conſcius fuit cõiurationis in Cæſaris necem.

a Ironia.

a *quasi uerò ignotus nobis fuerit splendidus Eques Rom. Treboniy pater. Is autẽ humilitatẽ despicere audet cuiusquam, qui ex* eadem sustulerit liberos?* ACERBISSIMVM VERO EST, TE A. HIRCI ORNATVM BENEFICIIS CAESARIS, ET TALEM AB EO RELICTVM QVALEM IPSE MIRARIS. *Equidem negare non possum à Cæsare Hirciũ ornatum: sed illa*[b] *ornamenta in uirtute & industria posita lucẽt: tu uerò, qui te ab eodẽ Cæsare ornatũ negare non potes, quid esses, si tibi ille non tam multa tribuisset? ecquò te tua uirtus prouexisset? ecquò genus? in lustris, popinis, alea, uino, tempus ætatis omne consumpsisses, ut faciebas, cùm in gremiis mimarum,*[c] *mentum, mentemq; deponeres.* ET TE O PVER. *Puerũ appellat, quẽ nõ modò uirũ, sed etiã fortissimum uirũ sensit & sentiet. est istud quidem nomen ætatis, sed ab eo minimè usurpandũ, qui suã amentiã puero huic præbet ad gloriam.* QVI OMNIA EIVS NOMINI DEBES. *Debet uerò, soluitq; præclarè. si enim ille patriæ pater est, ut tu appellas, ego quid sentiam, uidero: cur non hic parens uerior, à quò certè uitam habemus è tuis facinorosissimis manibus ereptam?* ID AGERE, VT IVRE DAMNATVS SIT DOLABELLA? *Turpem uerò actionem, qua defenditur amplissimi autoritas ordinis contra crudelissimi gladiatoris amentiam.* ET VT VENEFICVS HAC LIBERETVR OBSIDIONE: *Veneficum audes appellare eum uirum, qui tuis ueneficiis remedia inuenit? quẽ ita obsides noue Annibal, aut si quis acutior Imperator fuit, ut te ipse obsideas, neq; te istinc, si cupias, possis explicare. recesseris: undique omnes insequentur. manseris: hærebis. nimirum rectè ueneficum appellas, à quo tibi præsentẽ pestem uides cõparatam.* VT QVAM POTENTISSIMVS

* *Fadia, legendũ. Intelligit enĩ filiã Q. Fadij hominis libertini, quam Antonius, cùm liberos ex ea suscepisset, repudiauit.*

b Scilicet honorum quæ Hircius consequutus est. Confert Antonium cũ Hircio, vt contrario vel dissimili exemplo vituperet. Duplex reprehensio, altera directa, altera indirecta.

c Facit agnominationem ad festiuitatẽ orationis.

MVS SIT CASSIVS, ATQVE BRVTVS, *Putes Censorinũ dicere, aut Ventidiũ, aut etiam ipsos Antonios. cur autem nolint potentes esse non modò optimos, & nobilissimos uiros, sed secũ etiã in Reip. defensione cõunctos?* NIMIRVM EODEM MODO HAEC ASPICITIS, VT PRIORA. *Quæ tandẽ?* CASTRA POMPEII SENATVM APPELLATIS? *An uerò tua castra potius Senatũ appellaremus? in quibus tu es uidelicet Cõsularis, cuius totus Cõsulatus est ex omni monumẽtorum memoria reuulsus: duo Prætores sine causa diffisi se aliquid habituros (nos enim Cæsaris beneficia defendimus) *Prætorij Philadelphus Annius & innocẽs Gallius, Aedilitij *Coricus laterum, & uocis meæ testis Bestia, & fidei patronus, fraudator creditorũ Trebellius, & homo diruptus dirutúsq; Qu. Cælius, columénq; amicorũ Antonij, Cotyla Varius: quos Antonius deliciarum causa loris in cõuiuio cædi iubebat *à suis publicè: Septẽuirales Lento Nucula, tum deliciæ atq; amores Po. Ro. L. Antonius: tribunitij primùm duo designati, T. Hostilius, qui suo iure in porta nomen inscripsit: qui cùm prodere Imperatorem suum non potuisset, reliquit. alter est designatus, Viseius nescio quis, fortis (ut aiunt) latro, quem tamen temperantem fuisse ferunt Isauri balneatorẽ. Sequuntur alij Tribunitij, T. Plancus in primis: qui si Senatum dilexisset, nunquam Curiam incẽdisset. quo scelere damnatus, in eam urbẽ rediit armis, à qua excesserat legibus. sed hoc ei commune cum plurimis dissimillimis. illud tamen uerum, quod in hoc Planco prouerbij loco dici solet, perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent. fracta sunt, & uiuit. hoc tamen, ut alia multa, Aquilæ fertur acceptũ. Est etiã ibi Decius ab illis, ut opinor, * maioribus Decius. itaque*

* *Prætorij non legitur in codice antiquo.*

* *C. Oricus* * *à seruis publicis legendum: ut constat ex octaua Philip. ubi eadẽ penè legũtur uerba*

* *Muribus legendum uidetur. Illud enim erat cognomẽ Deciorum qui se pro legionibus deuouerunt.*

Cæsaris munere Deciorũ quidẽ multo interuallo per hunc præclarum uirũ memoria renouata est. Saxam uerò Decidium præterire quî possum, hominem deductum ex ultimis gentibus? ut eum Tribunũ pleb. uideremus, quem ciuem nunquã uideramus. Est quidem alter Soseranus: sed omnes tamen tantã habent similitudinẽ inter se, ut in eorũ prænominibus errẽ. Nec uerò Exitius Philadelphi frater Quæstor prætermittendus est, ne si de clarissimo adolescente siluero, inuidisse uidear Antonio. Est etiã Asinius quidam Senator uolũtarius, lectus ipse à se. apertam curiam uidit post Cæsaris mortem: mutauit calceos: pater cõscriptus repẽtè factus est. Non noui Sex. Albediũ: sed tamen neminem tam maledicũ offendi, qui illum negaret dignũ Antonij Senatu. arbitror me aliquos præteriisse: de iis tamen qui occurrebant tacere nõ potui. hoc igitur fretus Senatu, Pompeianum Senatũ despicit: in quo decem fuimus Consulares: qui si omnes uiuerent, bellum omnino hoc nõ fuisset: autoritati cessisset audacia. Sed quantũ præsidij fuerit in cæteris, hinc intelligi potest, quòd ego unus relictus è multis, contudi, & fregi adiuuantibus uobis, exultantis prædonis audaciam. Quòd si fortuna nobis modò non eripuisset Ser. Sulpitiũ, eiúsq; Collegã ante M. Marcellum, quos ciues? quos uiros? si duos Cõsules amicissimos patriæ, simul ex Italia eiectos, si L. Afraniũ summũ ducem, si P. Lentulum ciuẽ cũ in cæteris rebus, tum in salute mea singularẽ, si Bibulum, cuius est in Remp. meritò semper laudata cõstantia, si L. Domitium præstantissimum ciuem, si Appium Claudium pari nobilitate, & uoluntate præditum, si P. Scipionem clarissimũ uirũ, maiorúmq; suorum simillimum Respu. tenere potuisset: certe his Consularibus non esset Pompeianus despiciẽdus Senatus. Vtrum igitur

æquius,

æquius, utrum melius Reip. fuit, Cn. Pompeium, an sectorem Cn. Pōpeij uiuere Antoniū? Qui uerò Prætorij? quorum princeps M. Cato, idémque omnium gentiū uirtute princeps. Quid reliquos clarissimos uiros commemorem? nostis omnes. magis uereor ne longum me in enumerando, quàm ne ingratum in prætereūdo putetis. qui Aedilitij? qui Tribunitij? quid multa? talis Senatorum & dignitas, & multitudo fuit, ut magna excusatione opus iis sit, qui illa in castra non uenerunt. Nunc reliqua attendite. VICTVM CICERONEM DVCEM * HABVISTIS. *Eò libentius ducem audio, quod certè ille dicit inuitus. nam de uicto nihil laboro. fatū enim meum est, sine Rep. nec uinci posse, nec uincere.* MACEDONIAM MVNITIS EXERCITIBVS. *Eam quidem fratri tuo, qui à nobis nihil degenerat, extorsimus.* AFRICAM COMMISISTIS VARO BIS CAPTO. *Hic cum C. fratre putat se litigare.* IN SYRIAM CASSIVM MISISTIS. *Non igitur sentis, huic causæ orbem terræ parêre, te extra munitiones tuas, uestigium ubi imprimas non habere?* CASCAM TRIBVNATVM GERERE PASSI ESTIS. *Quid ergo? ut * M. Arullū, ut Casetium etiam, à Rep. remouere-mus eum, per quem ut neq; idē hoc posthac, neq; multa huiusmodi accidere possent, consecuti sumus?* VECTIGALIA IVLIANA LVPERCIS ADEMISTIS. *Lupercorum mētionem facere audet? neque illius diei memoriā perhorrescit, quo ausus est obrutus uino, unguentis oblitus, nudus, gemētem Po. Ro. ad seruitutem cohortari?* VETERANORVM COLONIAS DEDVCTAS LEGE, SENATVSCONSVLTO SVSTVLISTIS. *Nos sustulimus? an contra * legē comitiis Centuriatis latam sanximus? uide ne tu Veteranos, tamen eos qui erāt perditi, perdideris, in eúmq; locū*

**sequimini*

** Marrullum, ut Cesennium*

** lege comitiis cēturiatis lata sanximus?*

deduxeris, ex quo iam ipsi sentiunt se nunquam exituros. MASSILIENSIBVS IVRE BELLI ADEMPTA REDDITVROS VOS POLLICEMINI. *Nihil disputo de iure belli. magis facilis disputatio est, quàm necessaria. illud tamẽ aduertite P.C. quàm sit huic Reip. natus hostis Antonius, qui tantopere eam ciuitatem oderit, quam scit huic Reipubl. semper fuisse amicissimam.* NEMINEM POMPEIANVM, QVI VIVAT, TENERE LEGE HIRCIA DIGNITATES? * *Quisquam iam legis Hirciæ mentionẽ facit? cuius nõ minus arbitror latorẽ ipsum, quàm eos, de quibus lata est, pœnitere. omnino mea quidem sentẽtia legẽ illã appellare fas non est: & ut sit lex, non debemus illam Hircy legẽ putare.* APVLEIANA PECVNIA BRVTVM SVBORNASTIS. *Quid si omnibus suis copiis excellentem uirũ Resp. armasset, quem tandem bonũ pœniteret? nec enim sine pecunia exercitũ alere, nec sine exercitu fratrẽ tuũ capere potuisset.* SECVRI PERCVSSOS PAETVM ET MENEDEMVM CIVITATE DONATOS, ET HOSPITES CAESARIS, LAVDASTIS. *Non laudamus, quod ne audiuimus quidẽ. ualde enim nobis in tanta perturbatione Reip. de duobus nequissimis Græculis cogitandum fuit?* THEOPOMPVM NVDVM EXPVLSVM A TREBONIO CONFVGERE ALEXANDRIAM NEGLEXISTIS. *Magnum crimen Senatus. de Theopõpo summo homine negleximus: qui ubi terrarum sit, quid agat, uiuat denique, an mortuus sit, quis aut scit, aut curat?* SER. GALBAM EODEM PVGIONE SVCCINCTVM IN CASTRIS VIDETIS. *Nihil tibi de Galba respondeo fortissimo & constãtissimo ciue: corã aderit: præsens tibi ipse, & ille, quem insimulas, pugio respondebit.* MILITES AVT MEOS, AVT VETERANOS CONTRAXISTIS, TANQVAM

* *quisquam iã, duo hæc uerba nõ legũtur in codice antiquo. Quædã uerò exẽplaria habent, Qui quæso legis, &c.*

QVAM AD EXITIVM EORVM QVI CAESAREM OCCIDERANT: ET EOSDEM NEC OPINANTES AD QVAESTORIS SVI, AVT IMPERATORIS, AVT COMMILITONVM SVORVM PERICVLA IMPVLISTIS. *Scilicet uerba dedimus, decepimus: ignorabat legio Martia, Quarta: ignorabãt ueterani quid ageretur. nõ illi Senatus autoritatem aut libertatem populi Rom. sequebantur: Cæsaris mortem ulciſci uolebant, quam omnes fatalẽ fuiſſe arbitrabantur: te uidelicet ſaluum, beatum, florentem eſſe cupiebant. O miſer cùm re, tum hocipſo quòd non ſentis, quàm miſer ſis. Sed maximũ crimen audite.* DENIQVE QVID NON AVT PROBAVISTIS, AVT FECISTIS? QVID FACIAT, SI REVIVISCAT? *Quis? credo enim afferet aliquod ſcelerati hominis exemplum.* CN. POMPEIVS IPSE. *O nos turpes, ſi quidem Cn. Põpeium imitaturi ſumus.* AVT FILIVS EIVS, SI DOMI POSSIT. *Poterit, mihi crede. nam paucis diebus & in domum, & in hortos paternos immigrabit.* POSTREMO NEGATIS PACEM POSSE FIERI NISI AVT EMISERO BRVTVM, AVT FRVMENTO IVVERO. *Alij iſtud negant: ego uerò, ne ſi iſta quidem feceris, unquã tecum pacem huic ciuitati futuram puto.* QVID? HOC PLACETNE VETERANIS ISTIS? QVIBVS ADHVC OMNIA INTEGRA SVNT. *Nihil uidi tam integrũ, quàm ut oppugnare Imperatorẽ incipiant, quem tanto ſtudio, conſenſuq; offenderint.* QVONIAM VOS ASSENTATIONIBVS, ET VENENATIS MVNERIBVS VENISTIS. *Deprauati aut corrupti ſunt, quibus perſuaſum eſt fœdiſſimũ hoſtem iuſtiſſimo bello perſequi?* AT MILITIBVS INCLVSIS OPEM FERTIS. NIHIL MOROR EOS SALVOS ESSE,

SE, ETIRE QVO LVBET: SI TAMEN PATIVNTVR PERIREEVM, QVI MERVIT. *Quàm benignè denique usi liberalitate Antonij milites imperatorem reliquerunt, & se ad hostem metu perterriti contulerunt: per quos si non stetisset, non Dolabella prius imperatori suo, quàm Antonius etiam collegæ parentasset.* CONCORDIAE FACTAM ESSE MENTIONEM SCRIBITIS IN SENATV, ET LEGATOS ESSE CONSVLARES QVINQVE. DIFFICILE EST CREDERE, EOS, QVI ME PRAECIPITEM EGERINT, AEQVISSIMAS CONDITIONES FERENTEM, ET TAMEN EX HIS ALIQVID REMITTERE COGITANTEM, PVTARE ALIQVID MODERATE AVT HVMANE ESSE FACTVROS. VIX ETIAM VERISIMILE EST QVI IVDICAVERINT HOSTEM DOLABELLAM OB RECTISSIMVM FACINVS, EOSDEM NOBIS PARCERE POSSE IDEM SENTIENTIBVS. *Parúmne uidetur apertè omnium facinorũ sibi cum Dolabella societatem initam confiteri? nónne cernitis ex uno fonte omnia scelera manare? Ipse denique fatetur, hoc quidem satis acutè, non posse eos, qui hostem Dolabellam iudicauerint ob rectissimũ facinus, ita enim uidetur Antonio, sibi parcere idem sentienti. quid huic facias, qui hæc literis memoriæq; mandarit, ita sibi conueniſſe cum Dolabella, ut ille Treboniũ, & si posset etiam Brutum, Cassium, discruciatos necaret, eadémq; adhiberet supplicia nobis? Conseruandus ciuis cum tam pio iustóque fœdere. Is etiam queritur conditiones suas repudiatas*

diatas, æquas quidem & uerecundas, ut haberet Galliam ultimam: aptissimam ad bellum renouandum instruendúmque prouinciam: ut Alaudæ in tertia decuria iudicarent, id est, ut perfugium scelerum esset cum turpissimis Reipubl. sordibus: ut acta sua rata essent, cuius nullum remanet cõsulatus uestigium. cauebat etiam L. Antonio, qui fuerat æquissimus agri priuati & publici decempedator, Nucula & Lentone Collega. QVAMOBREM VOS POTIVS ANIMADVERTITE, VTRVM SIT ELEGANTIVS, ET PARTIBVS VTILIVS, TREBONII MORTEM PERSEQVI, AN CAESARIS: ET VTRVM SIT AEQVIVS, CONCVRRERE NOS, QVO FACILIVS REVIVISCAT POMPEIANORVM CAVSA, TOTIES IVGVLATA: AN CONSENTIRE, NE LVDIBRIO SIMVS INIMICIS. *Si esset iugulata, nũquam exurgeret: quod tibi, tuísque contingat. Vtrum, inquit, elegantius.* * *atque hoc bello de elegantia quæritur. & partibus utilius. partes furiosè dicuntur in foro, in curia. bellum contra patriam nefarium suscepisti: oppugnas Mutinam: circumsedes* COS. *designatum: bellum contra te duo* COSS. *gerunt, cúmque his Propr. Cæsar: cuncta contra te Italia armata est: istas tu partes potius,* * *quàm populi Roma. defensionẽ uocas? Potiúsne Trebonij mortem, quàm Cæsaris persequamur? Trebonij satis persecuti sumus, hoste iudicato Dolabella: Cæsaris mors facillimè defenditur obliuione, & silẽtio. Sed uidete, quid moliatur: cùm mortem Cæsaris ulciscẽdam putat, mortem proponit non iys solùm, qui illã rem gesserunt, sed iys etiam, si qui non molestè tulerunt.* QVIBVS VTRI NOSTRVM CECIDERINT,

* *atqui*

* *quàm à pop. Ro. defectionẽ uocas?*

RINT, LVCRO FVTVRVM EST. QVOD SPECTACVLVM ADHVC IPSA FORTVNA VITAVIT, NE VIDERET VNIVS CORPORIS DVAS ACIES LANISTA CICERONE DIMICANTES: QVI VSQVE EO FELIX EST, VT IISDEM ORNAMENTIS DECEPERIT VOS, QVIBVS DECEPTVM CAESAREM GLORIATVS EST. *Pergit in mea maledicta: quasi uerò ei pulcherrimè priora processerint, quem ego iniustũ ueriſſimis maledictorum notis tradam hominũ memoriæ ſempiternæ. Ego laniſta? & quidem non inſipiens. deteriores enim iugulari cupio, meliores uincere. Vtri ceciderint, ſcribit lucro nobis futurum. O præclarum lucrum* * *quo te victore (quod dij omen auertant) beata mors eorũ futura ſit, qui è uita exceſſerint ſine tormentis. A me deceptos ait, eiſdem ornamentis Hircium, & Cæſarem. Quod quæſo adhuc à me eſt Tributum Hircio ornamentũ? nam Cæſari plura & maiora debentur. Deceptum autẽ patrem à me Cæſarem dicere audes? tu, tu, inquam, illum occidiſti Lupercalibus: cuius homo ingratiſſime Flaminium cur reliquiſti? Sed iã uidete magni & clari uiri admirabilẽ grauitatem atq; conſtantiam.* MIHI QVIDEM CONSTAT, NEC MEAM CONTVMELIAM, NEC MEORVM FERRE: NEC DESERERE PARTES QVAS POMPEIVS ODIVIT, NEC VETERANOS SEDIBVS SVIS MOVERI PATI, NEC SINGVLOS AD CRVCIATVM TRAHI, NEC FALLERE FIDEM, QVAM DEDI DOLABELLAE. *Omitto alia: fidem Dolabellæ ſanctiſſimi uiri deſerere homo pius non poteſt.*

*cum te

poteſt. quam fidem? an optimi cuiuſq; cædis, urbis, & Italiæ partitionis, ſuis dandarum diripiendarúmque prouinciarum? nam quid erat aliud, quod inter Antoniũ & Dolabellam impuriſſimos parricidas fœdere ac fide ſanciretur? NEC LEPIDI SOCIETATEM VIOLARE PIISSIMI HOMINIS. *Tibi cum Lepido ſocietas? aut cum ullo, non dicam bono ciue, ſicut ille eſt, ſed homine ſano? Id agis, ut Lepidũ aut impiũ, aut inſanum exiſtimari uelis. Nihil agis. quanquã affirmare aliter difficile eſt, de Lepido præſertim, quem ego meuã nunquam, bene ſperabo dũ licebit. Reuocare te à furore Lepidus uoluit, non adiutor eſſe dementiæ. tu porrò ne pios quidem, ſed piſſimos quæris: & quod uerbum omnino nullum in lingua Latina eſt, id propter tuam diuinã pietatẽ nouum inducis.* NEC PLANCVM PRODERE PARTICIPEM CONSILIORVM. *Plancum participem? cuius memorabilis ac diuina uirtus lucẽ affert Reipublicæ, niſi fortè ſubſidio tibi uenire arbitraris cum fortiſſimis legionibus, magno equitatu peditatuq; Gallorum: quiq;, niſi ante eius aduentum Reipublicæ pœnas dederis, ille huius belli feret principatum. Quãquam enim prima præſidia utiliora Reipubl. ſunt, tamẽ extrema ſunt gratiora. Sed iam ſe colligit, & ad extremũ incipit philoſophari.* SI ME RECTIS SENSIBVS EVNTEM DII IMMORTALES, VT SPERO, ADIVVERINT, VIVAM LIBENTER: SIN AVTEM ALIVD ME FATVM MANET, PRAECIPIO GAVDIA SVPPLICIORVM VESTRORVM. NANQVE SI VICTI POMPEIANI TAM INSOLENTES SVNT, VICTORES QVALES FVTVRI SINT, VOS POTIVS

TIVS EXPERIEMINI. *Præcipias licet gaudia: non enim tibi cum Pompeianis, sed cum uniuersa Repub. bellũ est. omnes te dij, homines, summi, medij, infimi, ciues, peregrini, uiri, mulieres, liberi, serui oderunt. sensimus hoc nuper falso nuntio, uero propediem sentiemus. quæ si tecum ipse recolis, æquiore animo, & maiore consolatione moriere.* DENIQVE SVMMA IVDICII MEI SPECTAT HVC, VT MEORVM INIVRIAS FERRE POSSIM, SI AVT OBLIVISCI VELINT IPSI FECISSE, AVT VLCISCI PARATI SINT VNA NOBISCVM CAESARIS MORTEM. *Hac Antonij sententia cognita, dubitaturósne A. Hircium, C. Pansam Cõsules putatis, quin ad Antonium transeant? Brutũ obsideãt, Mutinam expugnare cupiant? Quid de Pansa, & Hircio loquar? Cæsar singulari pietate adolescẽs poterítne se tenere, quin D. Bruti sanguine pœnas patrias persequatur? Itaque fecerunt, uti his literis lectis ad munitiones propius accederent.* **quo maiore adolescẽs Cæsar deorum* *Quo maior adolescens Cæsar maiore deorũ immortalium beneficio Reipublicæ natus est, qui nulla specie paterni nominis, nec pietate abductus unquam est. intelligit maximam pietatem cõseruatione patriæ contineri. Quòd si partium certamen esset, quarum omnino nomen extinctum est: Antoniúsne potius, & Ventidius partes Cæsaris defenderent, quàm primùm Cæsar adolescens summa pietate, & memoria parentis sui? deinde Pansa, & Hircius, qui quasi cornua duo tenuerũt Cæsaris, tum cùm illæ uerè partes uocabantur? hæ uerò quæ sunt partes, cùm alteris Senatus autoritas, po. Ro. libertas, Reipub. salus proposita sit: alteris cædes bonorum, urbis, Italiæq; partitio? Veniamus aliquando ad clausulam.* LEGATOS VENIRE NON

NON CREDO. *Bene me nouit. Bellum quò ueniat. Propoſito præſertim exemplo Dolabellæ, ſanctiores erunt, credo, iure Legati, quàm duo Conſules, contra quos arma fert: quàm Cæſar, cuius patris Flamen eſt: quàm* COS. *deſignatus, quẽ oppugnat: quàm Mutina, quã obſidet: quàm patria, cui ignem ferrúmq; minitatur.* CVM VENERINT, QVAE POSTVLANT, COGNOSCAM. *Quin tu abis in malam peſtem, malúmq; cruciatum. ad te quiſquam ueniat, niſi Ventidij ſimilis? oriens incendiũ qui reſtinguerent, ſummos uiros miſimus: repudiaſti: nunc in tantam flammam, támq; inueteratã mittamus, cùm locum tibi reliquum non modò ad pacem, ſed ne ad deditionem quidem feceris? Hanc ego epiſtolam P.C. non quò illum dignum putarem recitaui, ſed ut confeſſionibus ipſius omnia patefacta eius parricidia uideretis. Cũ hoc pacẽ M. Lepidus uir ornatiſſimus omnibus uirtutis et fortunæ bonis, ſi hæc uideret, deniq; aut uellet, aut fieri poſſe arbitraretur? *prius undas flammámq;, ut ait poeta neſcio quis, prius denique omnia, quàm aut cum Antonijs Reſp. aut cum Rep. Antonij redeant in gratiam. Monſtra quædam ſunt iſta, & portenta, & prodigia Reip. moueri ſedibus ſuis huic urbi melius eſt, atque in alias, ſi fieri poſſit, terras demigrare, unde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat, quàm illos Cæſaris uirtute eiectos, Brutiretẽtos, intra hæc mœnia uidere. Optatiſſimum eſt uincere: ſecundum eſt, nullũ caſum pro dignitate, & libertate patriæ non ferendum putare. quod reliquum eſt, non eſt tertiũ, ſed poſtremum omnium, maximam turpitudinẽ ſuſcipere uitæ cupiditate. Quæ cùm ita ſint, de mandatis literíſque M. Lepidi uiri clariſſimi, Seruilio aſſentior: & hoc amplius cẽſeo, Magnum Pompeium Cn. F. pro patris, maiorúmq;*

*Sunt qui legãt, prius unda flammáq; coierint ut ait. alij ſic, prius undis flamma.

rúmq3 ſuorum animo, ſtudióq3 in Remp. ſuáque priſtina uirtute, induſtria, uoluntate feciſſe, quòd ſuam eorúmque, quos ſecum haberet, operam Senatui populóq3 Rom. pollicitus eſſet, eámq3 rem S.P.Q.R. *gratã acceptámq3 eſſe, eíq3 honori, dignitatíq3 eam rem fore. Hoc uel coniũgi cum hoc Senatuſconſulto licet, uel ſeiungi poteſt, ſeparatimq3 perſcribi, ut proprio Senatuſconſulto Pompeius collaudatus eſſe uideatur.*

IN M. ANTONIVM PHILIPPICA DECIMAQVARTA.

ORATIO LVII.

a Ab ipſa re incipit & negat ſaga ponenda eſſe, antequam cõſtet Brutum liberatũ eſſe, & ante confectã victoriam.

SI,[a] VT ex literis, quæ recitatæ ſunt P.C. ſceleratiſſimorum hoſtium exercitum cæſum, fuſúmq3 cognoui, ſic id, quod & omnes maximè optamus, & ex ea victoria, quæ parta eſt, cõſecutum arbitramur, D. Brutũ egreſſum iam Mutina eſſe cognouiſſem: propter cuius periculum ad ſaga iſſemus, propter eiuſdem ſalutem redeundum ad priſtinum ueſtitum ſine ulla dubitatione cenſerem.[b] *Antè uerò quàm ea res, quam auidiſſimè ciuitas expectat, allata ſit, lætitiæ* * *riſus ſatis eſt maximæ præclariſſimæq3 pugnæ: reditum ad ueſtitum confectæ victoriæ reſeruate. confectio autem huius belli eſt*[c] *D. Bruti ſalus. Quæ autem eſt iſta ſententia, ut in hodiernum diem ueſtitus mutetur, deinde cras ſagati prodeamus? Nos uerò cùm ſemel ad eum, quẽ cupimus optamúsq3 ueſtitum, redierimus, id agamus, ut eum in perpetuũ retineamus. nã hoc quidem cùm turpe eſt, tum ne diis quidem immortalibus gratum ab eorundem aris, ad quas togati adierimus, ad ſaga ſumend*

b Antitheſis.

*uſus

c Reprehendit inconſtantiam ex contraria ſententia à turpi & religioſo.

mẽda discedere.*[a] Atq; animaduerto P.C. quosdã huic fauere sentẽtiæ: quorum ea mens, idq; consiliũ est, ut cùm uideãt illum glorioſissimũ D. Bruto futurum diem, quo die propter eius salutem redierimus ad uestitum, hunc ei fructum eripere cupiant, ne memoriæ posteritatiq; prodatur, propter unius ciuis periculũ Po. Ro. ad saga ysse, propter eiusdem salutem redisse ad togas. Tollite hanc, nullam tam prauæ sententiæ causam reperietis.[b] Vos uerò P.C. conseruate autoritatem uestram, manete in sententia, tenete uestra memoria, quod sæpe ostendistis, huius totius belli in unius uiri fortissimi, & maximi uita positum esse discrimen. Ad D. Brutum liberandum Legati missi principes ciuitatis, qui illi hosti ac parricidæ denuntiarent, ut à Mutina discederet: eiusdẽ D. Bruti conseruandi gratia Cõsules sortiti, ad bellũ profectus A. Hircius, cuius imbecillitatẽ ualetudinis, animi uirtus, & spes uictoriæ cõfirmauit: Cæsar cùm exercitu per se tũ cõparato primis pestibus Rẽp. liberasset, ne quid posteà sceleris oriretur, profectus est ad eundem Brutũ liberãdum, uicitq; dolorẽ aliquem domesticũ patriæ charitate. Quid C. Pansa egit aliud delectibus habendis, pecunijs comparandis, Senatusconsultis faciendis grauissimis in Antonium, nobis cohortandis, pop. Ro. ad causam libertatis uocando, nisi ut D. Brutus liberaretur? à quo pop. Rom. frequens ita salutem D. Bruti una uoce depoposcit, ut eam nõ solùm cõmodis suis, sed etiam necessitati uictus anteferret. quod sperare nos quidem debemus P.C. aut *inibi esse, autiam confectũ:* & spei fructũ rei conuenit & euentui reseruari, ne aut deorum immortaliũ beneficiũ festinatione præripuisse, aut uim fortunæ stultitia eõtempsisse uideamur. Sed quoniã significatio uestra satis declarat, quid hac de re sentiatis: ad literas ueniã quæ

*Atqui

a Arguit quorũdam erga Brutũ maleuolẽtiã qui nondũ liberato Bruto ponenda esse saga cõstituebant, nempe vt non tàm Bruti quàm reip. causa sumpta fuisse videretur.

b Hortatur ad constantiam.

* inceptum esse

*Sed spei

sunt à Consulibus & à Proprætore missæ, si pauca antè, quæ ad ipsas literas pertineant, dixero. Imbuti sanguine gladij P.C. legionum, exercituumq; nostrorum, uel madefacti potius duorum Consulum, tertio Cæsaris prælio. si hostium fuit ille sanguis, summa militum pietas, nefarium scelus, si ciuium. [a] *Quousq; igitur is, qui omnes hostes scelere superauit, nomine hostis carebit? nisi mucrones etiam nostrorum militum tremere uultis, & dubitare utrum in ciue, an in hoste figantur. Supplicationem decernitis, hostẽ nõ appellatis. gratæ uerò nostræ dijs immortalibus gratulationes erunt, gratæ uictimæ, cùm interfecta sit ciuium multitudo?* [b] *De improbis, inquit, & audacibus. nam sic eos appellat clarissimus uir. quæ sunt urbanarum maledicta litiũ, non iniustæ belli internecini notæ. testamenta credo subijciũt, aut eijciunt uicinos, aut adolescentulos circunscribunt.* [c] *his enim uitijs affectos & talibus, malos & audaces appellare consuetudo solet. bellum inexpiabile infert quatuor* COSS. *unus omnium latronum teterrimus: gerit idem bellum cum Senatu populoq; Ro. omnibus, quanquã ruit ipse suis cladibus, pestem, uastitatẽ, cruciatũ, tormenta denuntiat: Dolabellæ ferum, & immane facinus, quod nulla barbaria posset ignoscere, id deorũ consilio factũ esse testatur: quæq; esset facturus in hac urbe, nisi eum hinc ipse Iupiter ab hoc templo atq; mœnibus repulisset, declarauit in Parmensiũ calamitate, quos optimos uiros, honestissimosq; homines, maximè cũ autoritate huius ordinis populiq; Ro. dignitate coniunctos, crudelissimis exẽplis interemit,* *prodigiũ *præludiũ illud, & portentũ L. Antonius, insigne odium omniũ hominum, uel, si etiam dij oderint quos oportet, omniũ deorum. Refugit animus P.C. eaq; formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmensium liberis, & cõiugibus effecerit.*

a Subest finitio huius loci an Antonius sit hostis. hoc confirmat.

b Refert verba vt opinor Seruilii, vt absurditatem & indignitatem ostẽdat: quẽ etiam reprehendit sed modestius quàm alios.

c Commemorat scelera Antonianorum cum amplificatione vt hostium nomine dignos ostendat. Subest status finitionis, si quis requirat.

quas

quas enim turpitudines Antonij libẽter ſubierunt, eaſdẽ per uim lætantur alijs ſe intuliſſe. Sed uis calamitoſa eſt, quam illis intulerunt: libido flagitioſa, qua Antoniorum oblita eſt uita. [a] *Eſt igitur quiſquam, qui hoſtes appellare non audeat, quorum ſcelere crudelitatẽ Carthaginienſium uictam eſſe fateatur? qua enim in urbe tam immanis Annibal capta, quàm in Parma ſurrepta Antonius? niſi fortè huius coloniæ, & cæterarum, in quas eodẽ eſt animo, non eſt hoſtis Antonius putandus. Si uerò coloniarum & municipiorũ ſine ulla dubitatione hoſtis eſt, quid tandẽ huius cẽſetis urbis, quam ille ad* expiandas egeſtates latrocinij ſui cõcupiuit? quã iam peritus metator, & callidus decempeda ſua Saxa diuiſerat? Recordamini per deos immortales P.C. quid hoc biduo timuerimus, à domeſticis hoſtibus, id eſt, qui intra mœnia hoſtes ſunt, rumoribus improbiſſimis diſſipatis. quis liberos, quis coniugem aſpicere poterat ſine fletu? quis domum? quis tecta? quis larem familiarem? Iam aut fœdiſſimam mortem omnes, aut miſerabilem fugam cogitabũt.* [b] *hæc à quibus timebantur, eos hoſtes appellare dubitamus? grauius ſi quis attulerit nomen, libenter aſſentiar: hoc uulgari contentus uix ſum, leniore non utar: Itaq; cùm ſupplicationes iuſtiſſimas ex his literis, quæ recitatæ ſunt, decernere debeamus, Seruiliúsq; decreuerit, augebo omnino numerũ dierũ, præſertim cùm non uni, ſed tribus ducibus ſint decernendæ. Sed hoc primùm faciam, ut Imperatores appellem eos, quorum uirtute, conſilio, felicitate, maximis periculis ſeruitutis, atq; interitus liberati ſumus. Etenim cui uiginti his annis ſupplicatio decreta eſt,* [c] *ut non Imperator appellaretur, aut minimis rebus geſtis, aut plerunq; nullis? Quamobrem aut ſupplicatio ab eo, qui antẽ dixit, decernenda non fuit: aut uſitatus ho-*

a Infert intentionem.

* explẽdas

b Vrget intẽtionem.

c Duplex argumẽtum, alterum ex minore, alterum ex cõnexis.

nos, peruulgatusq; tribuendus ijs, quibus etiam noui, & singulares debentur.* At si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracũ mille aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quæ increbuit, Imperatorem appellaret Senatus? tot legionibus cæsis, tanta multitudine interfecta hostium dico, ita inquam, hostium, quamuis hoc isti hostes domestici nolint, clarissimis ducibus supplicationis honorem tribuemus, Imperatorum nomen adimemus? Quanto enim honore, lætitia, gratulatione in hoc templũ ingredi debent illi ipsi huius urbis liberatores, cùm hesterno die propter eorum res gestas me ouantem, & propè triumphantem populus Rom. in Capitolium domo tulerit, domum inde reduxerit? [a] Is enim demum est mea quidem sententia iustus triumphus ac uerus: cùm bene de Republica meritis testimonium à consensu ciuitatis datur. nam siue in communi gaudio populi Ro. uni gratulabantur, magnum iudicium: siue gratias agebant, eò maius: siue utrunq; nihil magnificentius excogitari potest. [b] Tu igitur ipse de te, dixerit quispiã, & quidem inuitus: sed iniuria * dolore aio me præter consuetudinem glorioſum. nónne satis est ab hominibus uirtutis ignaris gratiam bene merentibus non referri? etiámne * eos, qui omnes suas curas in Reipu. salute defigunt? Scitis enim per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me per Idus Quintiles, qui dies hodie est, cum fascibus descensurum. aliquémne Imperatorem habituri erimus? crimen inuidia * quæretur? [c] Credo hoc in gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse consultum: non in eũ, qui ne quid tale in Rep. fieri posset, effecerit. an ut ego qui Catilinam hæc molientem sustulerim, euerterim, afflixerim, ipse * extiterim repẽtè Catilina? quibus auspicijs istos fasces Augur acciperem? quatenus haberem? cui tradã? quenquámue fuisse

* An

a Amplificat à loco communi.

b Occurrit reprehẽsioni & excurrit in querelam contra improbos quosdam qui de se inuidiosum rumorẽ sparserant, & consilium machinabantur ad seditionem excitandam.

* dolor facit me præt.

* in eos obloquentur qui

* quærebatur

c Remouet à se tantum crimẽ, & purgat ex antefactis suis & sceleris magnitudine.

* existerem

fuisse tam sceleratum, qui hoc fugeret: tam furiosum, qui credere t? [a] *Vnde igitur ista suspicio, uel potius iste sermo, cùm ut scitis, hoc triduo uel quatriduo tristis à Mutina fama manaret, inflati lætitia, atque insolẽtia impij ciues unum se in locum ad illam Curiam uiribus potius suis, quàm Reipublicæ infelicem congregabant. ibi cùm consilium inirent de cæde nostra, partirenturq; inter se, qui Capitolium, qui ostia, qui urbis portas occuparent: ad me concursum futurum ciuitatis putabant. quod, ut cum inuidia mea fieret, & cum uitæ etiam periculo, famam istam fascium dissipauerunt, fasces ipsi ad me delaturi fuerunt. quòd cùm esset quasi mea uoluntate factũ, tum in me impetus conductorum hominum, quasi in tyrannum parabatur: ex quo cædes esset uestrum omniũ consecuta. Quæ res* patefecit *P. conscripti: sed suo tempore totius huius sceleris fons aperietur. Itaque P. Apuleius Trib. pleb. meorum omnium consiliorum periculorumq; iam inde à Consulatu meo testis, conscius, adiutor, dolorẽ ferre non potuit: doloris mei concionem habuit maximã, populo Ro. unum, atq; idem sentiente. In qua concione cùm me pro summa nostra coniunctione, & familiaritate liberare suspicione fascium uellet, una uoce cuncta concio declarauit, nihil esse à me unquam de Rep. nisi optimè cogitatum. Post hanc habitam concionem duabus tribúsue horis optatissimi nuntij, & literæ uenerunt: ut idem dies non modò me iniquissima inuidia liberarit, sed etiam celeberrima populi Roma. gratulatione auxerit.* [b] *Hæc interposui P. C. non tam ut pro me dicerem (malè enim mecũ ageretur, si parũ uobis essẽ sine defensione purgatus) quàm ut quosdã nimis ieiuno animo, & angusto monerẽ, id quod ipse semper feciſſem, uti excellẽtium ciuium uirtutẽ imitatione dignam, non inuidia putarẽt.*

[a] Interrogat oratoriè & respondet.

*patescit

[b] Excusat quòd ab instituto digressus sit: & quosdam in senatu reprehendit, ex quibus potissimum Q. Fusiũ & L. Pisonem, qui fauebant clam Antonio, & à Ciceronẽ frequenter dissidebant.

Magnus est in Repub. campus, ut sapienter dicere Crassus solebat. multis apertus cursus ad laudem. utinam quidem illi principes uiuerent, qui me post meum Consulatum, cùm ijs ipse cederem, principem non inuiti uidebãt. hoc uerò tempore in tanta inopia constantium, & fortiũ Consulariũ, quo me dolore affici creditis, cùm alios malè sentire, alios nihil omnino curare uideam, alios parum constanter in suscepta causa permanere, sententiãq; suam non semper utilitate Reip. sed cùm spe, tum timore moderari. Quòd si quis de contentione principatus laborat, quæ nulla esse debet: stultissimè facit, si uitijs cum uirtute contendit. ut enim cursu cursus, sic in uiris fortibus uirtus uirtute superatur. [a] *Tu, si ego de Rep. optimè sentiam: ut me uincas, ipse pessimè senties? aut si ad me bonorum concursum fieri uidebis, ad te improbos inuitabis? nollem, primùm Reipub. causa. deinde etiam dignitatis tuæ.* [b] *sed si principatus ageretur, quem nũquam expetiui, quid tandem mihi esset optatius? ego enim malis sententijs uinci non possum, bonis forsitan possum, & libenter. Hæc populum Ro. uidere, animaduertere, iudicare quidã molestè ferunt. poterátne fieri, ut nõ perinde homines* [*] *quoq; ut quisq; mereretur, iudicarent? ut enim de uniuerso Senatu populus Ro. uerissimè iudicat, nullis Reip. temporibus hunc ordinẽ firmiorem, atq; fortiorem fuisse: sic de unoquoque nostrum, & maximè qui hoc loco sententias dicimus, sciscitantur omnes, auent audire, quid quisq; senserit: ita de unoquoq;, ut quẽq; meritum arbitrantur,* [c] *existimãt. memoria tenent,* [d] *me ante diem* XIIII. *Cal. Ian. principem reuocandæ libertatis fuisse: me ex Cal. Iã. ad hãc horã inuigilasse Reipublicæ: meã domum, measq; aures dies & noctes omnium præceptis monitisq; patuisse: meis literis, meis nuntijs, meisq; cohortation*

a Indignatur & insurgit in aduersarũ, facitque prosopopœiam.

b Redit ad priorem sententiam.

* *quoq; non legitur in codice antiquo.*

c Iam confert se cũ cæteris: estque contentio.

d Hoc factũ est in tertia Philippica.

tationibus omnes, qui ubique essent, ad patriæ præsidium excitatos: meis sententiis à Cal. Ian. nunquã Legatos ad Antonium, semper illum hostem, semper hoc bellum: ut ego, qui omni tempore ueræ pacis autor fuissem, huic essem nomini pestiferæ pacis inimicus. Idem Vẽtidium, cùm alij Tribunum pl. noluissent, non ego semper hostẽ has in sententias meas si Consules designati discessionem facere noluissent, omnibus istis latronibus autoritate ipsa Senatus iampridem de manibus arma cecidissent. [a] Sed quod tum non licuit Patres conscripti, id hoc tempore nõ solùm licet, uerùm etiam necesse est, eos, qui re sunt hostes, uerbis notari, sententijs nostris hostes iudicari. Anteà cùm hostem, aut bellum nominassem: semel & sæpius sententiam meam de numero sententiarum sustulerunt. quod in hac causa iam fieri non potest. ex literis enim C. Pansæ, A. Hircij Consulum, C. Cæsaris Proprætoris de honore dijs immortalibus habendo sententias diximus. supplicationem modò qui decreuit, idem imprudens hostes iudicauit. nunquam enim in ciuili bello supplicatio decreta est. decretam dico? ne uictoris quidem literis postulata est. Ciuile bellum Consul Sylla gessit: legionibus in urbem adductis, quos uoluit, expulit: quos potuit, occidit: supplicationis mentio nulla. graue bellum Octauianum insecutũ est: supplicatio Cinnæ nulla uictoris. Cinnæ uictoriam Imperator ultus est Sylla: nulla supplicatio decreta à Senatu. [b] ad teipsum P. Seruili num misit ullas collega literas de illa calamitosa pugna Pharsaliæ? num te de supplicatione noluit referre? profectò noluit. [c] At misit postea de Alexandria, de Pharnace: Pharsalicæ uerò pugnæ ne triumphum quidẽ egit. [d] eos enim ciues pugna illa sustulerat, quibus non modò uictoribus, sed etiam uiuis, & incolumis & florẽs ciuitas esse posset.

*bellum uocatum

a Relabitur ad appellationẽ hostis in Antonium & adhortatur senatum.

b Colligit exemplo quibus consecutus est contra eo supplicationem nunquã nisi de exsis hostibus decerni, quoniã de ciuibus nunquã decernitur.

c ἀντίθεσις.

d Reddit rationem.

Quod idem contigerat superioribus bellis ciuilibus. nam mihi Consuli supplicatio nullis armis sumptis, nõ ob cædem hostium, sed ob conseruationem ciuium, nouo & inaudito genere decreta est. [a] *Quamobrem aut supplicatio ob Remp. pulcherrimè gestam postulantibus uestris Imperatoribus deneganda est, quod præter Gabinium contigit nemini: aut supplicatione decernenda, hostes eos, de quibus decernitis, iudicetis necesse est.* [b] *Quod ergo illi re, id ego etiam uerbo, cùm Imperatores eos appello, hoc ipso nomine & eos, qui iam deuicti sunt, & eos, qui supersunt, hostes iudico, cùm uictores appello Imperatores. Quomodo enim potius Pansam appellẽ? etsi habet honoris amplissimi nomen. quo Hirciũ? est ille quidẽ Consul: sed alterum nomen beneficij est populi Ro. alterum uirtutis, atq; uictoriæ. Quid? Cæsarem deorũ beneficio Reip. procreatum dubitémne appellare Imperatorem? qui primus Antonij immanem, & fœdam crudelitatem non solùm à iugulis nostris, sed etiam à membris, & uisceribus auertit. Vnius autem diei quot & quantæ uirtutes dij immortales fuerunt?* [c] *Princeps enim omnium Pansa prælij faciendi, & cum Antonio confligendi fuit, dignus Imperator legione Martia, digna legio Imperatore: cuius si acerrimum impetum cohibere potuisset, uno prælio confecta res esset. Sed cùm libertatis auida legio effrænatius in aciem hostium irrupisset, ipsé; in primis Pansa pugnaret, duob⁹ periculosis uulneribus acceptis sublatus è prælio Reip. uitam reseruauit. Ego uerò hunc non solùm Imperatorem, sed etiam clarissimũ Imperatorem iudico: qui cùm aut morte, aut uictoria se satisfacturum Reip. spopondisset, alterum fecit, alterius dij immortales omen auertant. Quid dicam de Hircio? qui re audita è castris duas legiones eduxit incredibili studio, atque*

a Concludit intentionem ex cõnexis.

b Commodè redit ad institutum inferens ex præcedenti loco imperatoriã appellationẽ in ducibus reip. cum hostis sit Antonius. Nam subest vis connexorum. Deinde subtexit argumentationem ex rebus gestis & meritis personarũ quæ ordine & breuiter commemorat. Cõnexa sunt sicut vxor & maritus, seruus & dominus non possunt separari.

c Iam commemorat rem.

uirt

uirtute, Quartam illam, quæ relicto Antonio se olim cũ Martia legione coniunxit, & Septimam, quæ constituta ex ueteranis docuit illo prælio, militibus iis qui Cæsaris beneficia seruassent, Senatus populíq; Ro. charum nomen esse. his uiginti cohortibus nullo equitatu Hircius ipse aquilam Quartæ legionis cùm inferret, qua nullius pulchriorem speciem Imperatoris accepimus cum tribus Antonij legionibus equitatúque conflixit, hostésque nefarios, huic Ioui Maximo, cæteríque deorũ immortalium templis, [a] urbis tectis, libertati Pop. Ro. nostræ uitæ, sanguiníque imminentes prostrauit, fudit, occidit, ut cùm admodum paucis nocte tectus, metu perterritus princeps latronum, dúxque fugerit. ô solem ipsum beatissimum, qui antequam se abderet, stratis cadaueribus parricidarum, cum paucis fugientem uidit Antonium! [b] An uerò quisquam dubitabit appellare Cæsarem Imperatorem? ætas eius certè ab hac sententia neminem deterrebit, quandoquidem uirtute superauit ætatem. Ac mihi semper eò maiora beneficia C. Cæsaris uisa sunt, quò minus erant ab ætate illa põstulanda, cui cùm imperium, eodem tempore etiam spem nominis eius deferebamus: quod, cùm est secutus autoritatem nostri decreti, rebus gestis suis cõprobauit. Hic ergo adolescens maximi animi, ut ueríssimè scribit Hircius, castra multarũ legionum paucis cohortibus tutatus est, secundúmq; prælium fecit. Ita trium Imperatorũ uirtute, cõsilio, felicitate, uno die locis pluribus Resp. est conseruata. Decerno igitur eorũ trium nomine quinquaginta dierũ supplicationes: quas ut honorificentissimis uerbis ipse consequi potero, complectar ipsa sententia. Est autẽ fidei, pietatíque nostræ, declarare fortissimis militibus, quàm memores simus, quámq; grati. [c] Quamobrẽ promissa

a Amplificat rẽ uerbis.

b Ad tertium uenit.

c Absoluit hunc locum de imperatoribus, & transit ad milites.

missa nostra atque ea, quæ legionibus bello confecto tributuros nos spopondimus, hodierno Senatus consulto renouanda censeo. æquum est enim militum, talium præsertim, honorem coniungi. Atque utinam P.C. ciuibus omnibus soluere nobis præmia liceret. quanquam nos ea, quæ promisimus, *studiosè, quanquã multa, reddemus. sed id quidem restat, ut spero, uictoribus, quibus Senatus fides præstatur: quam quidem cùm difficillimo Reipu. tempore secuti sunt, eos nunquam oportebit consilij sui pœnitere. [a] Sed facilè est bene agere cum his à quibus etiam tacentibus flagitari uidemur. illud admirabilius, & maius, maximéque proprium Senatus sapientis est, grata eorum uirtutem memoria prosequi, qui pro patria uitam profuderunt. Quorum de honore utinam mihi plura in mẽtem uenirent: [b] duo certè non præteribo, quæ maximè occurrunt: quorum alterum pertinet ad uirorum fortissimorum gloriam sempiternam, alterum ad leniendum mœrorem, & luctum proximorum. [c] Placet igitur mihi P.C. legionis Martiæ militibus, & eis, qui unà pugnantes occiderunt, monumentum fieri quàm amplissimum. magna atque incredibilia sunt in Remp. huius merita legionis. [d] hæc se prima latrocinio abrupit Antonij: hæc tenuit Albam: hæc se ad Cæsarem contulit: hanc imitata Quarta legio parem uirtutis gloriam consecuta est. Quarta uictrix desiderat neminem. ex Martia nõnulli in ipsa uictoria cõciderunt. ô fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patria est potissimùm reddita. Vos *uerò patriæ natos iudico: quorũ etiam nomen à Marte est: ut idem deus urbẽ hanc gentibus, uos huic urbi genuisse uideatur. In fuga fœda mors est, in uictoria gloriosa. etenim Mars ipse ex acie fortissimum quẽq; pignerari solet. Illi igitur impij, quos cecidistis, etiã

ad

* studiosè cumulata redd.

a Correctio.

b Breuis propositio.

c Proposuit, nũc rem aggreditur.

d Cõmemorat, & effertur in amplificationẽ. Amplificatio est demonstratiui generis.

*uerè

ad inferos pœnas parricidij luent: uos uerò, qui extremũ spiritum in uictoria effudistis, piorum estis sedem, & locum consecuti. Breuis autem uobis uita data est, at memoria bene reddita uitæ sempiterna. quæ si non esset longior, quàm hæc uita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus, & periculis ad summam laudem gloriámque contenderet? Actum igitur præclare uobiscum fortissimis dum uixistis, nunc uerò etiam sanctissimi milites, quod uestra uirtus nec obliuione eorum qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit, cùm uobis immortale monumentum suis penè manibus Senatus populúsq; Roma. extruxerit. [a] *Multi sæpe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis clari, & magni fuerunt: nec tamen ullis tale genus honoris tributũ est. atque utinam maiora possemus, quandoquidem à uobis maxima accepimus.* [b] *Vos ab urbe furentem Antonium auertistis: uos redire molientem repulistis. Erit igitur extructa moles opere magnifico, incisáq; literæ diuinæ uirtutis testes sempiternæ: nunquámque de uobis, eorum, qui aut uidebunt uestrum monumentum, aut audient, gratissimus sermo conticescet. ita pro mortali conditione uitæ, immortalitatem estis consecuti. Sed quoniam P. C. gloriæ munus optimis, & fortissimis ciuibus monumenti honore persoluitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est hæc quidem consolatio:* [c] *parentibus, quòd tanta Reip. præsidia genuerunt: liberis, quòd habebunt domestica exempla uirtutis: coniugibus, quòd ijs uiris carebunt, quos laudare quàm lugere præstabit: fratribus, quòd in se, ut corporum, sic uirtutum similitudinem esse confident. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententijs nostris, consultísque possemus, uel aliqua talis his adhiberi publicè posset oratio, qua deponerẽt mœrorem*

a Amplificat hîc honorẽ vt & virtutẽ amplificet.

b Delabitur ad commemorationem debitorum.

c Obiter consolatur omnes patres, & liberos, &c. loquitur autẽ distributiuè.

rem, atque luctum, gauderéntque potius, cùm multa, & uaria impendêrent hominibus genera mortis, id genus quod est pulcherrimum, suis obtigisse, eósq; nec inhumatos esse, nec desertos: quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur: nec dispersis bustis humili sepultura crematos, sed contectos publicis operibus, atque muneribus, eáq; extructione, quæ sit ad memoriam æternitatis ara uirtutis. Quamobrem maximum quidem solatium erit propinquorum, eodem monumento declarari & uirtutem suorum, & pietatem, & Senatus fidem, & crudelissimi memoriam belli: in quo, nisi tanta militum uirtus extitisset, parricidio M. Antonij nomen Pop. Ro. occidisset. Atque etiam censeo P. C. quæ præmia militibus promisimus nos Repub. recuperata tributaros, ea uiuis, uictoribúsq; cumulatè, cùm tẽpus uenerit, persoluenda: qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus, eadem tribuenda censeo. Sed ut aliquando sententia complectar, ita censeo: CVM *C. Pansa* COS. *Imper. initium cum hostibus confligendi fecerit, quo prælio legio Martia admirabili, incredibilíq; uirtute libertatem Popu. Rom. defenderit, quod idem legiones tyronum fecerint: ipséq; C. Pansa* COS. *Imper. cùm inter media hostiũ tela uersaretur, uulnera acceperit: cúmq; A. Hircius* COS. *Imper. prælio audito, & cognito, fortissimo, præstantissimóq; animo exercitum castris eduxerit, impetúmque in M. Antonium, exercitúmq; hostium fecerit, eiúsq; copias*[a] *occisione occiderit, suo exercitu ita incolumi, ut ne unum quidem militẽ desiderauerit: cúmq; C.* **Cæsar Impe. consilio, diligentiáq; sua castra feliciter defenderit, copiásq; hostium quæ ad castra accesserant, profligarit, occiderit: ob eas res Senatum existimare, & iudica-*

a Consuetudo loquendi de magna cæde, Cõmemorat merita cuiusque, deinde sententiã de honore subiungit.

**Cæsar Propræt. Impe.*

iudicare eorum trium Imperatorum uirtute, imperio, consilio, grauitate, constantia, magnitudine animi, felicitate, Populum Romanum fœdissima crudelissimáque seruitute liberatũ: cúmq; Remp. urbem, templa deorum immortalium, bona, fortunásq; omnium, liberósq; conseruarint dimicatione, & periculo uitæ suæ, uti ob eas res bene, fortiter, felicitérque gestas, C. Pansa, A. Hircius COSS. *Imperatores, alter ambóue, aut, si aberint, M. Cornutus Prætor urbanus supplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria constituat: cúmque uirtus legionũ digna clarissimis Imperatoribus extiterit, Senatum, quæ sit antea pollicitus legionibus, exercitibúsque nostris, ea summo studio Repub. recuperata persoluturũ: cúmq; legio Martia princeps cum hostibus conflixerit, atque ita cum maiore numero hostium contenderit, ut plurimos cæderent, caperent nonnullos: cúmque sine ulla* necessitate pro patria uitam profuderint: cũq; simili uirtute reliquarum legionum milites pro salute, & libertate Populi Romani mortem oppetiuerint: Senatui placere, ut C. Pansa, A. Hircius Consules, Imperatores, alter ambóue, si his uideatur, iis qui sanguinem pro uita, libertate, fortunísque Populi Romani, pro urbe, templísque deorum immortalium profudissent, monumentum quàm amplissimum locandum, *faciendúmque, urbem ad eam rem pecuniam dare, contribuere, soluere iubeant, ut extet ad memoriam posteritatis sempiternam, ad scelus crudelissimorum hostium, militúmq; diuinam uirtutem: útq; quæ præmia Senatus militibus antè constituit, ea soluantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, coniugibus, fratribus: * eáque fratribus tribuantur, quæ militibus ipsis tribui oporteret, si illi uixissent, qui morte uicerunt.*

* *retractatione*

* *faciẽdũq; curent: ad eam rem, &c.*

* *iísque tribuantur*

C. CRIS

C. CRISPI SALLVSTII IN M. T. CICERONEM INVECTIVA.

GRAVITER, [a] *& iniquo animo maledicta tua paterer M. Tulli, si te scirem iudicio magis, quàm morbo animi petulantia ista uti. sed cùm in te* [b] *neq; modũ, neque modestiam ullam animaduerto, respondebo tibi: ut si quam uoluptatem malè dicendo cepisti, eam malè audiendo amittas.* [c] *Vbi querar? quos implorem P. C. diripi Remp. atque audacissimo cuiq; esse perfidiæ locum? an apud Po. R. qui ita largitionibus corruptus est, ut sese, ac fortunas suas uenales habeat?* [d] *an apud uos Patres conscripti? quorum autoritas turpissimo cuique, & sceleratissimo ludibrio est? ubi M. Tullius leges, iudicia Pop. Roma. defendit, atque in hoc ordine ita moderatur, quasi unus reliquus ex familia uiri clarissimi Scipionis Africani, ac non reptitius, accitus, & paulò antè insitus huic urbi ciuis. An uerò M. Tulli facta, ac dicta tua obscura sunt? an non ita à pueritia uixisti, ut nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? An scilicet istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiæ iactura perdidicisti? Itaq; minimè mirandũ est, si eam flagitiosè uenditas, quã turpissimè parasti.* [e] *Verùm ut opinor splẽdor domesticus tibi animos tollit. uxor sacrilega, ac periuriis delibuta: filia matris pellex, tibi iucundior, atq; obsequentior, quàm parenti par est. domum ipsam tuam ui, & rapinis funestam tibi ac tuis comparasti: uidelicet, ut nos cõmonefacias, quàm conuersa est Respub. cùm in ea domo*

a Abruptum est procœmiũ & vehemens bene ac commodatum in uectiuis. Prorumpit in multifariã indignationẽ qua amplificat aduersarii crimẽ quod idcirco ἐπιφωνηματικῶς attollit, vt prius auditorum animos cõmoueat, quàm ille calumniam plenis faucibus reuomat. Quod orationis genus Fabius cap. 4. lib. 1 scribit vehemẽtissimè repungere. Quemadmodum igitur nullo procœmii principio vtitur, ita nec epilogi periodo.

b Paralepsis hæc inuidiam auget, quatenus conuiciandi finem in hoste propemodum inuenerit nullum.

c Interrogatio hæc vehementer amplificat.

d Epanaphora ad dubitationẽ confirmat.

e Amarulento scommate cõplectitur ratiocinationem.

domo habitares homo flagitiosissime, quæ P. Crassi uiri Consularis fuit. Atq; cùm hæc ita sint, tamen se Cicero dicit[a] in concilio deorum immortalium fuisse, inde missum huic urbi, ciuibúsq; custodem, absq; carnificis nomine, qui ciuitatis incommodum in gloriam suam ponit. quasi uerò non illius coniurationis causa fuerit Cõsulatus tuus, & idcirco Resp. adiecta eo tempore, quod te custodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quæ post Consulatum cum Terentia uxore de Rep. consuluisti, cùm legis Plancię iudicia domi faciebatis, ex coniuratis[b] alios morte, alios pecunia condẽnabas, cùm tibi alius Tusculanum, alius Pompeianam uillam ædificabat, alius domum emebat: qui uerò nihil poterat, is erat calumniæ proximus: is aut domum tuam oppugnatum uenerat, aut insidias Senatui fecerat: deniq; de eo tibi compertũ erat. Quæ si tibi falsa obijcio, redde rationem, quãtùm patrimonij acceperis, quid tibi litibus accreuerit, qua ex pecunia[c] domum paraueris, Tusculanum, & Pompeianum infinito sumptu ædificaueris: aut si retices, cui potest esse dubium, quin opulentiã istam ex sanguine, & miserijs ciuiũ paraueris? Verùm ut opinor homo nouus Arpinas, ex M. Crassi familia eius uirtutem imitatur, contemnit simultatem hominũ nobilium, Remp. charam habet, neq; terrore, neq; gratia commouetur. Illud uerò amicitiæ tantum, ac uirtutis est animi? imò uerò homo leuissimus, supplex inimicis, amicis contumelioſus, modò harũ, modò illarum partiũ, nemini fidus, leuissimus Senator, mercenarius patronus, cuius nulla pars corporis à turpitudine uacat, lingua uana, manꝰ rapacissimæ, gula immẽsa, pedes fugaces: quæ honestè nominari nõ possũt, inhonestissima. Atq; is cùm eiusmodi sit, tamẽ audet dicere, O fortunatam natã me Cõsule

a Hoc dixit Cicero in libris suorum temporum, quos non edidit.

b Hæc ætiologia esse protendit in figuram quam συναθροισμὸν Rhetores vocãt.

c P. Syllà rursus domum suã vendidit vicies sestertiũ, quæ iuxta Budæum summã efficiunt quiñ quaginta milliũ aureorum. Vide A. Gell. cap. 12. libri eiusdem.

Romam

Romam.te Consule fortunatam Cicero? imò uerò infelicem, & miseram, quæ crudelissimam proscriptionem ciuium perpessa est, cùm tu turbata Repub. metu perculsos omnes bonos parêre crudelitati tuæ cogebas: cùm omnia iudicia, omnes leges in tua libidine erant: cùm tu sublata lege Porcia, erepta libertate, nostrum omnium uitæ necisq; potestatem ad te unum reuocaueras. Atq; parum est, quòd impunè feciſti, uerùm etiam commemorando exprobras, neq; licet obliuiſci ſeruitutis ſuæ. [a] *Egeris, oro te Cicero, perfeceris quod libet: ſatis est perpeſſos esse: etiámne aures nostras onerabis tuo odio? etiámne moleſtiſſimis uerbis inſectabere? Cedant arma togæ: concedat laurea linguæ. quaſi uerò togatus, & nõ armatus ea, quæ g[illegible]iaris, confeceris, atque inter te, Syllámque Dictatorem præter nomen imperij quicquam interfuerit.* [b] *Sed quid ego plura de tua inſolentia commemorem? quem Minerua omneis artes edocuit, Iupiter Optimus Maximus in concilium deorum admiſit, Italia exulem humeris ſuis reportauit. Oro te Romule Arpinas, qui egregia tua uirtute omnes Paulos, Scipiones, Fabios ſuperaſti, quem tandem locum in hac ciuitate obtines? quæ tibi partes Reipublicæ placent? quem amicum, quem inimicum habes? cui inſidias in ciuitate feciſti, ancillaris: quo iure, cùm de exilio tuo Dyrrhachio rediiſti, eum ſequeris? quos Tyrannos appellabas, eorum nunc potentiæ faues? qui tibi antè optimates uidebantur, eoſdem nũc dementes, ac furioſos uocas. Vatinij cauſam agis? de Seſtio malè exiſtimas? Bibulum petulantiſſimis uerbis lædis? laudas Cæſarem? quem maximè odiſti, ei maximè obſequeris?* [c] *aliud ſtans, aliud ſedens de Republica ſentis? his maledicis, illos odiſti, leuiſſimè transfuga, neque in hac, neq; in illa parte fidem habens?*

a Suſpicioſa eſt conceſsio.

b Vehemens illa proſopopœia ſimultatẽ amplificat.

c Prouerbio iſto notamus homines inconſtanti ingenio, quaſi qui tantillo interuallo ſuã ſententiam mutent.

M. T. CICERONIS IN C. CRISPVM SALLVSTIVM RESPONSIO.

EA[a] DEMVM *magna uoluptas est, Crispe Sallusti, æqualẽ ac parem uerbis uitam agere: neque quicquam tam obscœnum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua respondeat: ut omnis oratio moribus consonet. neque enim qui it a uiuit, ut tu, alter, ac tu, loqui potest: neque qui tam illoto sermone utitur, uita honestior est.* [b] *Quò me uertã P. C? unde initium sumam?* [c] *maius enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior est uterque nostrum. quòd aut si de mea uita, atque actibus huic conuiciatori respondero,* [d] *inuidiam gloria consequatur. aut si huius facta, mores, omnem ætatem nudauero, in idem uitium incidam procacitatis, quod huic obiicio.* [e] *Id uos si forte offendimini, iustius huic, quàm mihi succensere debetis, qui initium introduxit. ego dabo operam, ut & pro me minimo cum fastidio respondeam, & in hunc minimè mentitus esse uidear. Scio me P. C. in respondendo non habere magnam expectationem, quòd nullum uos sciatis nouum crimen in Sallustium audituros,* [f] *sed omnia uetera recognituros, queis & meæ, & uestræ iã & ipsius aures calent. uerùm eò magis odisse debetis hominem, qui ne incipiens quidem peccare minimis rebus posuit rudimentum: sed ita ingressus est, ut neque ab alio uinci possit, neque ipse se omnino reliqua ætate præterire. Itaque nihil aliud studet, nisi ut lutulẽtus suis cum quouis uolutari. longè uerò fallitur opinione. Non enim*

a Totius responsionis χρινόμενον conuitiorum relatio est, quæ plane nullo artificio sed solito more per summam verborum syntomiã calumniæ semina in hostem respergit. Tota vehemẽs est, acris & amara: procemiũ ferè interrogationem interponit vt iacens ac depressa videatur oratio frequenter admistam habens aporiam & antapodosin, quæ amarè retundunt & concitant aduersarii odium: quibus frequẽtibus orationis dignitatẽ illustrat.

b Rhetorica addubitatione solet frequenter vti Cicero in augenda re.

c Hæc præmunitio aufert arrogantiæ suspicionem.

d Traductio est artificiosa: significat enim nemĩnẽ inuidiæ morsum posse fugere, qui sua extollit.

e Præcurrit cogitationem, vt suã antiprotasim boni consulant.

f Dilemma confirmat sententiæ circunductionẽ.

procacitate linguæ uitæ sordes eluuntur. Sed est quædam calumnia, quam unusquisque nostrum testante animo suo fert, de eo, qui falsum crimen bonis obiectat. quòd si uita istius memoriam uicerit, * illam P.C. non ex oratione, sed suis ex moribus spectare debetis. [a] Iam dabo operam quàm maximè potero, ut breue id faciam. Neq; hæc altercatio nostra uobis inutilis erit Patres conscripti. Plerunque enim Rēpu. priuatis crescit inimicitiis: ubi nemo ciuis qualis sit uir potest latere. [b] Primum igitur quoniam omnium maiores Crispus Sallustius ad unum exemplum, & regulam quærit, uelim mihi respondeat, nũquid hi, quos protulit Scipiones, & Metellos uel Fabios antè fuerint aut opinionis aut gloriæ, quàm eos res gestæ, & uita innocentissimè acta commendauit. quòd si hoc fuit illis initium nominis, & dignitatis, cur non æquè de nobis existimetur, cuius & res gestæ illustres, & uita integerrimè acta? quasi uerò non sis ab illis uiris Sallusti ortus. quòd si esses, nonnullos iam tuæ turpitudinis pigeret. Ego meis maioribus uirtute mea praluxi, ut si prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ. Tu tuis uita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras: ut etiam si fuerint egregij ciues, certè uenerint in obliuionem. Quare noli mihi antiquos uiros obiectare. [c] Satius est enim me meis rebus [d] gestis florere, quàm maiorum opinione niti: & ita uiuere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initium & uirtutis exemplum. Neque me cum iis conferri decet P.C. qui iam decesserunt, omnique odio carent, & inuidia: sed cum eis, qui mecũ unà in Rep. uersati sunt. Sed si fuerim aut in honoribus petendis nimis ambitiosus (non hanc dico popularem ambitionem, cuius me principem cõfiteor, sed illã perniciosam contra leges, cuius primos ordines Sallustius

* aliam

a Attentionem petit & syntomiã orationis pollicetur, quæ plurimum leuat lõgæ narrationis tædium.

b Species argumentationis quæ Græcis εἶδος dicitur.

c Præclara γνώμη, quæ addit multũ põderis superioribus.

d μεταλήψις seu ἀκρολογία.

Iustius duxit) aut in gerendis magistratibus, aut in uindicandis maleficiis tam seuerus, aut in tuenda Repub. tam uigilans, quam tu proscriptionem uocas: credo quòd non omnes tui similes incolumes in hac urbe uixissent. At quanto meliore loco Respu. staret, si tu par ac similis sceleſtorum ciuium, unà cum illis adnumeratus esses! An ego tunc falsò scripsi? [a] Cedãt arma togæ, qui togatus armatos, & pace bellũ oppressi. An illud mentitus sum? Fortunatã natã me Cõsule Romam, qui tantum intestinum bellum ac domesticum [b] urbis incendium extinxi. Neque te tui piget homo leuissime? cùm ea culpas, quæ in historiis gloriæ mihi ducis. An turpius est P. C. scribentem mentiri, quàm illum palàm hoc ordine dicentem? Nam quòd ætatem increpuisti, tantum me abesse puto ab impudicitia, quantum tu abes à pudicitia. Sed quid ego de te plura querar? Quid enim mentiri turpe duces, qui mihi ausus sis eloquẽtiam ut uitium obiicere? cuius semper nocens eguisti patrocinio. [c] An ullum existimas posse fieri ciuem egregium, qui non his artibus, & disciplinis sit eruditus? an ulla alia putas esse rudimenta, & incunabula uirtutis, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur? [d] Sed minimè mirum est P. C. si homo qui desidiæ ac luxuriæ plenus sit, hæc ut noua, atque inusitata miratur. Nam quòd ista inusitata rabie petulanter in uxorem, & in filiam meam inuasisti, quæ facilius mulieres se à uiris abstinuerunt, [e] quàm tu uir à uiris: satis doctè, ac peritè feciſti. Non enim me speraſti mutuam tibi gratiam relaturum, ut uicissim tuos compellarem. Vnus enim satis es materiæ habens: neque quicquam domi tuæ turpius est quàm tu. Multũ uerò te opinio fallit, qui mihi parare putaſti inuidiã ex mea re familiari, quæ mihi multo minor est, quàm habere dignus sim. atq;

a Obiectionis repetitio per ἐπεξεργασίαν.

b ἐπεξήγησις.

c Circunductione docet bonas literas fœmina virtutis esse: iis enim ad gloriæ verticem trahimur.

d Delabitur in assumptionem, quæ causã reddit huius vanitatis refutationi.

e Expositio superioris sententiæ, qua fœdam libidinem exprimit: significat namque Cinædũ & pathicum esse Sallustium.

utinam ne tanta quidem esset, quanta est: ut potius amici mei uiuerent, quã ego testamentis eorum locupletior essem. Ego fugax Crispe Sallusti? furori Trib. pleb. cessi. utilius duxi quanuis fortunã unus experiri, quam uniuerso Po. Ro. ciuilis essem dissensionis causa. qui postea quam ille suum annũ in Rep. perbacchatus est, omniáq; quæ commouerat, pace, & otio resederunt: hoc ordine reuocante, atque ipsa Repub. manu retrahente me, reuerti. Qui mihi dies, si cum omni reliqua uita conferatur, animo quidẽ meo superet: cùm uniuersi uos, populúsque Ro. frequens aduentu meo gratulatus est. tanti me fugacem, mercenarium patronum hi æstimauerunt. [a] Neque hercule mirum est, si ego semper iustas omniũ amicitias exist naui. Non enim uni priuatim ancillatus sum, neque me addixi: sed quantũ quisq; Reip. studuit, mihi tantum fuit aut amicus, aut inimicus. [b] Ego nihil plus uoluí ualere, quam pacẽ. Multi priuatorũ audacias * metuerunt, ego nihil timui [c] nisi leges. [d] Multi arma sua timeri uoluerunt, ego nunquã uolui quicquam posse nisi pro uobis. Multi ex uobis potentia freti, in nos suis uiribus abusi sunt. Itaq; non est mirum, si nullius amicitia usus sum, qui non perpetuò Reip. amicus fuit. Neq; me pœnitet, si aut petenti Vatinio reo patrocinium pollicitus sum, aut Sestij insolentiã repressi, aut Libuli patientiã culpaui, aut uirtutibus Cæsaris faui. hæ laudes egregij ciuis & unicæ sunt. Quæ si tu mihi ut uitia obijcis, temeritas tua reprehendetur, nõ mea uitia culpabuntur. Plura dicerem, si apud alios mihi esset dicendum P. C. non apud uos, quos ego habui omnium mearũ actionum monitores. Sed ubi rerũ testimonia adsũt, [e] quid opus est uerbis? Nũc ut ad te reuertar Sallusti, patrẽq; tuũ præteream: qui si nunquã in uita sua peccauit, tamen maiorem in

a Diluit obiectã in amicitiis leuitatem.

γνώμη ornandi causa.

* nutrierũt

c Συναλοιφὴ hic æquitatẽ animi affert. Timuit enĩ Cicero quicquam contra leges facere.

d Inuidiosa prosopopœia, qua Clodium, Gabinium, Pisonẽ inducit tãquam internecinos Reip. hostes.

e Rhetorica simulatio; vt maiorẽ vim habeat verborum ornatus.

f Reuertitur ad institutam narrationem per epanalepsim.

rem iniuriam Reip. facere non potuit, quàm quòd te talem filium genuit. neq; tu si qua in pueritia peccaſti, exequar, ne parentem tuum accuſare uidear, qui eo tempore ſummam tui poteſtatẽ habuit: ſed qualem adoleſcentiam egeris. hac enim demonſtrata, facilè intelligetur, quàm petulãti pueritia tam impudicus, & procax adoleueris. Poſteaquam [a] immenſæ gulæ impudiciſſimi corporis quæſtus ſufficere non potuit, & ætas tua iam ad ea patiẽda, quæ alteri facere collibuiſſet, exoleuerat, cupiditatibus infinitis efferebaris: ut, quæ ipſe corpori tuo turpia non duxiſſes, in alijs experireris. Ita non eſt facile reputare P.C. utrum inhoneſtioribus corporis partibus rem quæſierit, an amiſerit. Domum paternã uino patre turpiſſimè uenalem habuit, uendidit. & cuiquam dubium poteſt eſſe, quin mori coegerit eum, quo hic nondũ mortuo pro hærede geſſerit omnia? [b] Neque pudet eum à me quærere, quis in P. Craſſi domo habitet, cùm ipſe reſpondere non queat, quis in ipſius habitet paterna domo. At hercule lapſus ætatis tyrocinio, poſtea ſe correxit. non ita eſt, ſed abiit in ſodalitium ſacrilegij Nigidiani: bis ad iudicis ſubſellia attractus, extrema fortuna ſtetit: & ita diſceſſit, ut non hic innocens eſſe, ſed iudices peieraſſe exiſtimarentur. Primum honorem in Quæſtura adeptus, hunc locum, & ordinem deſpectus, cuius aditus ſibi quoque ſordidiſſimo homini patuiſſet. Itaque timens ne facinora ſua clàm uos eſſent, cùm omnibus matribus familiarum opprobrio eſſet, confeſſus eſt uobis audientibus adulterium, neq; erubuit ora ueſtra. [c] Vixeris ut libet Salluſti, egeris quæ uolueris: ſatis ſit unum te tuorum ſcelerum conſcium eſſe. noli nobis languorem, & ſoporẽ nimiũ exprobrare. Sumus diligentes in tuenda pudicitia noſtrarum uxorũ, ſed ita experrecti non ſumus, ut à te

a Vehemens παράβασις in deſcriptione hoſtis, quem ſuis coloribꝰ figurat. Summa enim ars eſt, quẽ in calũniæ crimen vocamus, eius nequitiam ſingularẽ oſtendere: ſumpto argumento à cõtrario.

b Procatalepſis hæc obiecta extinguit.

c Aſyndeton eſt amaræ permiſſionis.

cauere possimus. Audacia tua uincit studia nostra. Et quod hunc mouere possit P.C. factum ac dictum turpe, quem nõ puduit palã nobis audientibus adulteriũ confiteri? [a] *Quòd si tibi nihil per me respõdere uoluissem, sed illud censoriũ elogiũ Appij Claudij, & L. Pisonis integerrimorũ uirorum, quo usus est quisq; eorũ, pro lege palàm uniuersis recitarẽ:* [b] *nónne tibi uiderer æternas inurere maculas, quas reliqua uita tua eluere non possit? Neq; post illum delectũ Senatus unquã te uidimus: nisi fortè in ea te castra cõieciſti, quò omnis sentina Reip. cõfluxerat. At idẽ Sallustius, qui in pace ne Senator quidem mãserat: posteaquã Resp. armis oppressa est, & idẽ uictores, qui exules reduxit: in Senatũ post Quæsturam est ductus. quem honorẽ ita gessit, ut nihil in eo non uenale habuerit. cuius aliquis emptor fuerit. ita igitur egit, ut nihil non æquum, ac uerum duxerit, quod ipsi facere collibuisset: neq; aliter uexauit ac debuit, si quis prædæ loco magistratum accepisset. Peracta Quæstura, posteaquam magna pignora eis dederat, cum quibus similitudine uitæ se coniunxerat, unus iam ex illo grege uidebatur. Eius enim partis erat exemplar Sallustius, quo tanquam in imam* [c] *uoraginem cœtus omniũ uitiorũ excesserat. quicquid impudicorũ, cylonum, parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit in urbe, municipijs, colonijs, Italia tota,* [d] *sicut in fretis subsederant, nominis perditi ac notissimi, nulla in parte castris apti, nisi licentia uitiorum, & cupiditate rerũ nouarũ. At posteaquam Prætor est factus, modestè se gessit, & abstinenter. Nónne ita prouinciã uastauit, ut nihil neq; passi sint, neq; expectarint grauius in bello socij nostri, quã experti sũt in pace, hoc Africam interiorẽ obtinẽte? unde tãtũ hic exhausit, quãtum potuit aut fide nominũ traijci, aut in naues contrudi.*

a Cõplexio hæc probationem adiunctam habet.

b Prolepticõs infert præmunitionem.

c Allegoriõs ponitur pro malorum cõtubernio.

d Allegoriæ explicatio. Nã quẽadmodum in mare omnis aqua profluit: sic uniuersum hoc hominum genus ad hanc Reip. sentinam confluxerat.

erudi. tantũ inquã P.C. exhauſit, quãtũ noluit. Ne cauſſam diceret, ſeſtertio duodecies cum Cæſare paciſcitur. quòd ſi quippiam eorum falſum eſt, his palàm refelle, unde tu, qui modò ne paternã quidem domũ redimere potueris, repente tanquã ſomnio beatus, hortos præcioſiſſimos, uillã Tyburti, C. Cæſaris reliquas poſſeſſiones parauerís. [a] Neq; piguit quærere, cur ego P. Craſſi domũ emiſſem, cùm tu ueteris uillæ dominus ſis, cuius paulò antè fuerat Cæſar. modò inquã patrimonio nõ comeſo, ſed deuorato, quibus rationibus repente factus es tam affluens, & tam beatus? nã quis te faceret hæredẽ, quem ne amicum quidẽ ſuum ſatis honeſtum quiſquam ſibi ducit, niſi ſimilis, ac par tui? [b] At hercule egregia facta maiorũ tuorum te extollunt. quorũ [c] ſiue tu ſimilis es, ſiue illi tui, nihil ad omniũ ſcelus, ac nequitiã addi poteſt. Verũ ut opinor honores tui te faciunt inſolentẽ. Tu C. Salluſti tantidẽ putas eſſe bis Senatorem, & bis Quæſtorem fieri, quanti bis Conſularẽ, & bis triumphalẽ. Carere debet omni uitio qui in alterũ paratus eſt dicere. Is dæmũ maledici, qui non poteſt uerũ ab altero audire. Sed tu omniũ menſarum aſſecla, omniũ cubiculorũ in [d] prima ætate pellex, & idẽ poſtea adulter, omnis ordinis turpitudo es, & ciuilis belli memoria. [e] Quid enim grauius pati potuimus, quàm quòd te incolumẽ in hoc ordine uideamus? [f] Deſine bonos petulãtiſſima cõſectari lingua: deſine morbo procacitatis iſto uti: deſine unũquẽq; moribus tuis æſtimare. his moribus amicũ tibi facere non potes, uideris uelle inimicũ habere. [g] Finẽ dicendi P.C. faciã. ſæpe enim grauius uidi offendere animos auditorũ eos, qui aliena flagitia apertè dixerũt, quã eos qui cõmiſerũt. Mihi quidẽ ratio habẽda eſt, nõ qd Salluſtio meritò debeat audire, ſed ut ea dicã, ſiqua ego honeſtè effari poſſũ.

a Conduplicatio ſententiæ eſt, quæ ſolet libenter Cicero repetere, ad maiorem amplificationem.

παρέκβασις eſt ironica.

c σαρείτης eſt, quo nihil argutius.

d ἀντιμετάβολὴ eſt.

e πάθη & affectus obſtet aſperſi.

f Conduplicatio hæc verborum ideo per ſingula κόμματα repetitur vt gratior ſit ſententia. Rutilius hanc, ni fallor, ἐπαναλλαγὴν vocat.

g Abſoluit orationem ne affectus languefcat.